



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>







01 1890 2402 UB AMSTERDAM





2122

S Y N T A G M A  
P H I L O S O P H I A E  
E P I C U R I,  
Cum Refutationibus  
D O G M A T U M

Quæ contra Fidem Christianam  
ab eo asserta sunt,

Oppositis per


P E T R U M G A S S E N D U M

Philosophum ac Mathematicum  
celeberrimum.

Præfigitur

SAMUELIS SORBERII DISSERTATIO

De Vita ac Moribus PETRI GASSENDI.



A M S T E L O D A M I,

Prostant apud JOANNEM RAVENSTEINIUM.

clō lōc lxxviii.

*copy of mine and orig by of da Hunt 1684. 4.*

AMERICAN  
FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION  
UNITED STATES DEPARTMENT OF JUSTICE


MEMORANDUM FOR THE DIRECTOR

TO : SAC, NEW YORK

RE : [REDACTED]

[REDACTED]

AMERICAN  
FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION  
UNITED STATES DEPARTMENT OF JUSTICE



# TYPOGRAPHUS LECTORI

S.

**A**Nte aliquot Annos Typis nostris excudimus libros quosdam doctissimi atque clarissimi Viri **PETRI GASSENDI** Ἐμακαρίτης, *Vitas nempe Epicuri, Claudii Pereiskii, Tychonis Brahei, Nicolai Copernici, Georgii, Peurbachii & Ioannis Regiomontani: Exercitationes Paradoxicas adversus Aristoteleos; Institutionem Astronomicam cum Oratione Inaugurali: Epistolas de Mercurio in Solē viso, & Venere in visa: De Proportione Gnomonis ad Solstitialem umbram observata Massiliae: De Novem Stellis circa Iovem visis: De Parheliis, sive Solibus Spuriis quatuor Romae visis, &c.* Cumque omnia ejusdem Auctoris Opera post ejus è vita decessum Lugduni impressa sint, sex Voluminibus in Folio comprehensa, non abs re me facturum existimavi, si alios quosdam ejus Libros, selectiores scilicet & utiliores, eadem formâ quâ cæteri apud Nos excusi, publici juris facerem, ne opus esset iis qui istos Nostræ editionis jam habuerint, magna ea volumina sibi comparare, præsertim quibus res non satis ampla est magnis sumptibus ferendis, nedum duplis exemplaribus se onerando. Damus igitur nunc *Syntagma Philosophiæ Epicuri, cum Refutationibus eorum Dogmatum quæ contra Fidem Christianam ab eo asserta sunt,* quas suis Capitibus annexuimus, sicuti ad calcem cujus-

\* 2

libet

libet *Gassendus* annotaverat , excerptas verbotenus ex suo *Philosophiæ Syntagmate*. Nullus dubito quin multis rem gratam fecero : quo intellecto , alios propediem , quos à plurimis minori etiam formâ separatimque expectituros fore ; firmiter mihi persuadeo , Typis nostris , Deo volente , committam : ad quod , præter aliorum admonitiones , Litteræ doctissimi Viri Samuelis Sorberii ad me missæ non parum me instigant , cujus institutum ac de propensione mea Judicium Tibi communicare fortasse non intempestivum fuerit. Vale.

SA-

# SAMVEL SORBERIVS

Adriano Vlacco, Typographo

De Literatis benè merito

ὕψαινεῖν ἢ ἀπλαστῆν.

**A**vdio te, Amice Vlacce, Operum Gassendi nostri magnam partem, selectiorem scilicet utilioremque minori formâ partim edidisse, partim editurum, ut in manus omnium facilius pervenire possint. Laudo quidem istam quam utilitatis publicæ curam geris. Quæ de Vita & Moribus Autoris præfatus sum ad Virum Illustrem, quandoquidem adhibere satagis Syntagmati Philosophiæ Epicuri, quod excudere decrevisti, si eâdem sententiâ perseveres, per me licet, & illud totum arbitrii tui facio. Quod ad Epitomen meam Philosophiæ cui nunc incumbo spectat, pauca accipe, de quibus & alios, si qui instituti mei rationem scire laborent, certiores facere poteris, ne inanem operam in contrahendo opere magno insumere videar.

Miratus sum sæpius quid fieret ut philosophandi ratio quam Petrus Gassendus instituit, & quæ tanto applausu excepta fuit, non tamen profundius hominum studiosorum mentes pervaserit; ex quo in lucem varia hujus autoris specimina prodire. Sectatores habuit illa paucos, quamvis blandè animo adrepat, nullo nisu facillima ejus principia memoriæ insculpentur, luce tam clarâ intellectum, & virtute tantâ voluntatem perfundat. Auxit imprimis admirationem, quæ ab annis triginta, quorum memini, viget curiositas, seu ad Physicam ἀρχαίαν Πιρίλαια, aures patule ad levem quamcumque auditionem, & ad nova quæ proferuntur adeo arrectæ; tum labor improbus, quo nonnulli tandem potuerunt animum flectere ad recentium philosophorum doctrinam capescendam, adeo ut in gyrum agi, & è vortice in vorticem ferri assuescerent. Existitere enim non ita pridem Philosophi percelebres,

qui sublevanda ignorantiae humanae specie, cum non satis place-  
rent quae vulgò in scholis docentur dogmata, novam adornavere  
philosophiam, quae sanioris defectu jam apud multos egregios vi-  
ros obtinet. Neoterici doctores isti Mathesi viam sibi ad fidem in  
Physicis habendam stravere, & tamen naturalis scientiae primor-  
dia duxere à Metaphysicis abstractionibus; unde animus, veluti  
in solas terras deportatus, expunctis scilicet ideis omnibus per  
anfractus varios, per varia discrimina rerum, in novum quod-  
dam Systema deducitur. Huic capiendo opus est nisi quodam  
insolito, quo funditus subvertuntur omnia & ita conteruntur, ut  
nusquam facies antiqua rerum appareat; sed nescio quenam exo-  
riantur Elementa, quorum indefinitè facta quancumque libet  
divisio, statim præsto est solvendis componendisve corporibus, &  
nullis non figmentis asylum præbet tutissimum. Hoc, inquam, me  
diu multumque torsit cum nondum satis animadvertirem, qui  
fieri posset ut tam erudito, tam vafro isto seculo, larvis & somniis  
solidiora sapientum ratiocinia post haberentur. Verum illud tan-  
dem discriminis esse comperi, inter sublimes istos scilicet Docto-  
res, & Gassendum humi repentem, quod agmine denso incedant,  
& confertim in lectorem irruant; dum noster palabundus nimia  
literaturâ ponit inter propositiones suas haud commoda inter val-  
la, quarum itaque non satis apparet cohesio, & vires infringun-  
tur. Novus Anaxagoras urget propositum, dum vult digito mon-  
strari, & dicier, Hic est; sua tantum cogitata propinat, instat  
titubanti, loco tandem movet lectorem, & vel invitum cogit mo-  
tum semel impressum sequi. Nec mirum abripi, quocumque libue-  
rit ferri, cui pondus omne ablatum, cui imperare vir iste potuerit  
ut omnem abjiceret præcedentem rerum cognitionem, quam per  
sensus vel per rationem habuerit. Huic sane operi quanto majori  
molimine opus fuit, tantò facilius impressus jam motus perseve-  
rabit. Quare nihil mirum, tot hodie exstare viros eximios, quos  
medio alveo devehunt abreptos opiniones portentosæ, abstrusissi-  
mae,




*ma, imperfectissima, atque adeo nullo modo conferenda cum Epoche sapientissima, paucis assertionibus semper admista, in scriptis Philosophi nostri, quid verum atque decens sine fuco, sine ambitione quaerentis.*

*Huic maluit medicam manum, si qua possem, asferrem, suasere amici quamplurimi Gassendo & mihi communes, ut Philosophia isti radios nonnullos demerem, citationes scilicet frequentissimas, & innumera veterum loca, quibus gemmis opus totum circumfulget. Tunc enim existimavere, ratiocinia multiplici ornatu nudata, solâ verò perspicuitate sermonis relictâ, & membrorum revelatâ distinctione, vim majorem habitura. Auctoris ergo nostri verba ipsa desumpsi, propositiones separatim enunciaui, digessi aliquando, & quò facilius notarentur voces ad essentiam rei facientes, aliis characteribus signandas curavi, appositis quoque in margine brevibus summariis. Sunt ista  $\mu\iota\kappa\epsilon\gamma\ \alpha\pi\ \tau\omicron\mu\acute{\alpha}\chi\eta\ \mu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\lambda\omega\ \tau\ \delta\iota\omicron\mu\omega\ \nu$ , frustulatim exhibeo, quò facilius ori admoveantur deglutianturque epulae, quas in patinas & lances aureas vagrandes immenso sumptu & apparatu, atque in pyramides fastigiatas extruxit Gassendus; quales in cœnis illis quas dubias dixere, ubi fercula alia ab aliis obumbrantur, & in quibus facit copia jejuno stomacho satietatem. Remanebunt tamen exstructæ semper epulae, & qui dapes orbiculis nostris appositas libaverint, etiam postquam erit exempta fames, non sine stupore loca lustrabunt unde petita fuerint. Exstabunt semper volumina Gassendiana in honorem Bibliothecarum, seu bonæ mentis & omnifariæ eruditionis ac sapientiæ armamentaria. Ex magno flumine si quis malit, quam ex hoc fonticulo tantundem sumere, non solum per me licet, sed auctor sum. Quid autem, dicet aliquis, si docti ab ipso Gassendo petere malint, indoctine à nobis quid accipient? Nonne frustra omnis susceptus erit labor? Non id ego tamen omnino concedam. Ita enim me gessi, ut ornatum orationis & literaturam non omnem spreverim; quamvis ratiocinii philosophici potiores partes*

*partes fuerint : Memor fui semper illius , brevis esse laboro , ob-  
scurus fio ; Sectantem levia nervi Deficiunt , animique. Nihil  
otiosum , nihil supervacaneum irrepfit , quod tædio doctis esse  
possit ; & nullæ tamen tenebræ de quibus indocti conqueri queant.  
Itaque ea nolui scribere , quæ nec isti intelligere possent , nec alii  
legere curarent. Quanquam obiter ista nunc dixerim securus pro-  
positi , nec malè navatæ operæ reus coram illis qui me ad scriben-  
dum currentem impulerunt. Quippe in arenam istam sponte de-  
scendi , iniquis tranquillitati publicæ temporibus à Philosophia  
doloris medicinam petens , atque otii mei oblectationem honestissi-  
mam quærens. Vale , vir Optime , & studia bonæ mentis aman-  
tium juvans , ut rem quoque tuam bene gerere possis semper exopto.  
Latetia Parisiorum Kal. Febr. A. S. R. cIo Ioclix.*

AD VIRUM ILLUSTRUM  
HENRICUM LUDOVICUM  
HABERTVM MON-MORIVM  
LIBELLORUM SVPPPLICVM  
MAGISTRVM INTEGERRIMVM,  
SAMVELIS SORBERII  
P R A E F A T I O,  
IN QVA  
DE VITA, ET MORIBVS  
PETRI GASSENDI  
DISSERITVR.



QUALIS, quantusque Vir fuerit *Petrus Gassendus* o *panacæius*, cujus universa Opera in lucem nunc prodeunt, nemini notum non esse puto, qui in Imperio literario & bonæ mentis studio hospes omnino non fuerit; adèd ut tanti Viri laudes pluribus prosequi Lectorum inscitiam arguentis esse videretur, vel hominis esset otio abutentis suo, & Soli lucem scenerari præposterè gestientis. Pauca tantùm prælibare est animus, quæ ad vitam Senis optimi, studia, mores, invaletudinem, & tandem placidum in *Cristo* obitum, atque maturatam operum editionem pertinent. Quippe cæteris non injucundum fore confido, testem in his rebus oculatum, amicum fidum, discipulum veterem audire. Mihi verò, in luctu & mœro reposito tam chari Capitis desiderio, ingens dabit solatium proculdubio

\* \*

culdubio præteritorum memoria; eximiæ virtutis, sine fuco pietatis solidissimæ, stupendæ eruditionis, ingenij acutissimi, judicij subactissimi, & in primis intemeratæ, quamvis immeritæ, quâ me tamen dignatus est ab adolescentia, arctissimæq; necessitudinis repræsentatio. Aggrediar itaq; nonnulla præfari, quandoquidem Viri facundissimi, quibus id oneris incumbebat ob pleniorum rerum omnium informationem & majorē dicendi copiam, silent nunc per negotia gravissima, quæ parentationem istam, & justorum solutionem non permittunt.

Meminerint illi, si quando vacat, reddere victimas ædemque votivam piis Amici nostri Manibus; interea nos humilem feriemus agnam. Ita jubes *Henrice Ludovice Haberte Mon-mori*, Vir Illustrissime; suadent *Prateus & Martellus*, Animæ, quales neque candidiores Terra tulit; neque queis me sit devinctior alter; optant Typographi, hortantur alij; & sinit nunc prospera, Deo bene propitio, valetudo mea; tum in Urbem reditus, sedata nonnihil mœstitia, reddita animo tranquillitas, relata mecum scriniola, libraria suppellex, & otium, quibus abundo.

*Petrus Gassendus* vulgò *Diniensis* habitus, ob Ecclesiæ illius Præposituram, quo functus est munere annos viginti, non tamen *Diniam* quam appellavit patriam, sed *Campotercerium* agri *Diniensis* Pagum seu oppidulum, unâ ab urbe leucâ in occasum distans, natalitium habuit, anno superioris sæculi nonagesimo secundo, Ianuarij Die vigesima secunda. Pater illi fuit *Antonius Gassendus*, & Mater *Francisca Fabria*, morum suavitate, & fidei in Religione majorum perseverantia potiusquàm genere & divitiis in patria conspicui. Quibus parentibus ad pietatem ita efformatus fuit à teneris unguiculis, ut non prorsus voces nonnullas reddere potuerit, quin sublatis jam in Cælum oculis, & manibus junctis paratus fuerit precibus ad Deum fundendis, quas, ut accepi, primas omnium pronunciare didicit. Unde cum primùm firmato gressu domo egredi quadriennis valuit, vel coætaneos inter concionatorem imitabatur, vel solus in multam noctem Cælo sudio serendūque Lunam & Sidera

Sidera contemplabatur; non sine metu parentum multo per avia puerum in cunis Astroligizantem quæritantium. Ut primùm igitur grandior culturæ admoveri debuit, *Diniam* missus est, ubi brevissimo temporis spatio specimina edidit ingenij elegantissimi, usus Præceptore *Godefrido Wendelino*: quare nemine non exosculante virtutis præsentis & futuræ Doctrinæ tam clara pignora, vel invito, at saltem infcio parentum altero, qui colendi agri magis quàm promovendi ad bonas literas gnati sollicitus erat, non solum Latinæ linguæ rudimenta superavit; sed in Rhetorica tantos progressus fecit, ut ab affine Dinienfi, qui liberos paulò inferioris notæ nec eò quò *Gassendus* provectos habebat, *Aquas-Sextias* missus fuerit, quò Philosophicis studiis sub *Fesajo* Minorita doctissimo, incumbere posset. Et circa *wendelinum* audiendus est *Valerius Andreas Desselius* in Bibliotheca Belgica edita 1643. *Romam* adiit, peragratæque Italia bona parte dum per *Massiliensem Gallia. Provinciam* iter domum versus instituit, substitit ibidem aliquantisper, studiaque sua impensius excoluit, *Dinensem* instituendo an formando juventutem, discipulum præ multis unum nactus *Petrum Gassendum*, scriptis famæque celebrem. Vivit adhuc Senex optimus *Tornaci* Canonicus, nec quidpiam ejus in rem literariam affectui ætas illa detraxit. Assensit pater ea conditione ut redderetur pago suo post biennium filius, qui domestica curaret potiusquam ea, quæ nihil ad rem suam pertinere existimabat: nam Scientias omnes Vir ille bonus quamvis non haberet exosas; at steriles tamen Camœnas sepi leves nugas valere jubebat, ut filij sui fortunæ, non splendidè quidem, verùm maturè & tutò consuleret. Idem enim satis inter vilia fortis, illos sapere, & solos aiebat bene vivere, quorum *Conspicitur nitidis fundata pecunia villis*.

Exacto *Aquis-Sextiis* biennio, *Campotercerium* non diu manere potuit *Gassendus*; *Diniam* scilicet vocatus adolescens annorum sexdecim ut Rhetoricam doceret: unde rursus triennio post *Aquas-Sextias* reverti coactus fuit, fatis functo scilicet *Minoritâ* Præceptore,

in cujus locum suscectus imberbis Philosophiæ Professor, agro tandem æternum vale dicere debuit, Musarum Castra sequenturus, & in illis quidem tanta cum gloria militaturus. Neque enim diutius evocatos inter & tumultuarios milites meruit, qui Sacramento religatus in Rempublicam literariam juravit, imò statim agmen duxit, Exercitationes Paradoxicas conscribere aggrediens ut virium suarum periculum faceret. Quas ut vidit *Nicolaus Fabricius Peireskii*, & *Iosephus Galterius Prior Valettæ*, omen lubentes accepere, facile dijudicantes quantus in studiis philosophicis futurus esset *Gassendus*.

Hisce duobus Amicis & patronis, Scholæ ereptus fuit, rixosæ nimis & altercationis funem semper trahenti, ut vitæ Ecclesiasticæ traderetur, quæ otium præbet securius, & tranquillitatem ad philosophandum uberiolem. Id jam igitur ætatis ut Sacerdotij jugo cervicem submittere posset, Sacris Ordinibus se admovit, & Canonicatu donatus mox Præposituram adeptus est Doctoratus sui privilegio, cum de illo munere controversia inter Canonicos Dinienfes oriretur. Cujus litis occasione pluribus innotuit Viris literatis dignitate Senatoria conspicuis & Gratianopoli & Lutetiæ Parisiorum, ubi decertandum fuit ut in possessionem Præposituræ suæ assereretur. Quid interea temporis & per annos sequentes contigerit, nec satis compertum mihi præter initas amicitias multas, de quibus erit infra dicendi locus, & scriptos Libros; nec homini Philosopho plura contigisse notatu digna arbitror, ut in hisce levioribus vitæ privatæ casibus pluribus esse non debeam.

Unum sufficit animadvertere, susceptam à *Gassendo* hujus sæculi anno xxvi. cum *Franc. Tuillero* Parisino Rationum Magistro in Belgium peregrinationem, quæ unica fuit extra patriam: quare frustra sunt illi, qui scripserunt in Italiam appulisse, & Romæ cum *Athanasio Kirckero* Jesuita, imò cum dictissimis Cardinalium contulisse de rebus Philosophicis. Certò certius est iter Hollandicum unicum extra Gallias extitisse; quo in itinere ingeniosissimam scripsit

fit adversus *Robertum Fluddum*, *Marino Mersenno* defendendo Exercitationem. Iste nimirum paulò acerbius exceperat deliria *Fluddani* in vægrandi Commentario suo ad VI. priora Libri *Geneseos* capita, unde *Fluddus* excandescens malè habuerat Virum cæteroquin optimum, & litium fugientem animum passim ostendentem, in Libro recèns edito, quem *Mersennus* amico suo proficenti examinandum tradidit. Itaque exarata à *Gassendo* desultoriè Epistola, quàm Apologiæ vice publici juris fecit *Mersennus*; in qua verò Author noster Socratico more futilissimum adversarium deridendum propinavit, intricata solvens, & obscura in lucem proferens ut ineptissimarum cogitationum deformitas omnibus pateret. Qua in arte mirus fuit omninò *Gassendus*, quem sæpius audivi laccessitum à Sophistis nullam aliam responsionem abhibere præter eam, quam ipsi sibi adversarij faciebant. Quippe nudare solebat perplexa & involuta verborum cortice sophismata, probaturus an satis Authorum mentem assequeretur. Quod ubi concesserant, rogabat ut jam efferrent ratocinia sua verbis istis ejus captui magis accommodatis. Jucundum autem erat videre bonos istos Viros, quos ratiocinij sui suppudebat, qui verò inchoatum alacriter sermonem ægrè ad exitum proferre totum poterat: nam quibus erat ingenui pudoris quid, reliquum durum erat retexere, quæ tunc apparebant ineptissima. Et circa *Mersennum* quidem ejusque Commentarium intempestivè aliquando in latifundia Scientiarum Mathematicarum divagantem, hic mihi venit in mentem quod ab *Andrea Riveto* accepi & doctis condendentibus exemplo esse poterit. Sixtum Amamam Frisium duriter tractaverat *Mersennus*; itaque vapulabat in Opere quod parabat Amama; qua de re certiore fecit *Rivetus Mersennum* per epistolas, quare facta est aliqua commutatio donec ad Sixtum ipsum scripserit *Mersennus* veniam petens ultro laccessit Viri docti, & rogans ut sine convitiis ad rem ipsam responderetur. Quod ab Amama factum, & insuper initum amicitiaæ fœdus ad mortem usque perseveravit.



In Hollandia *Gassendus* tantam sui admirationem reliquit, ut cum ego amœnam illam & eruditissimam regionem post annos ab ista peregrinatione quatuordecim incolem, & frequens literarum commercium cum *Gassendo* haberem, percunctabantur semper eruditiores solliciti quid Ille pararet: Cum autem significassem vidisse me Lutetiæ Parisiorum Disquisitionem Metaphisicam, quam premebat ne litem ex lite inovertet, auctores fuere omnes ut mitti quam-primùm curarem; & illa ipsa Princeps *Elisabetha* Serenissimi Regis Bohemiæ filia natu maxima, quæ tantùm favit *Cartesio*, cum cæteris avebat editam perlegere. Itaque ad *Gassendum* iteratò scripsi, & per *Mersennum*, *Thomam Martellum*, atque *Abrahamum Prataum* effeci tandem ut scripti copiam haberem; illud imprimis ad expugnandam Viri modestiam afferens, efflagitasse *Cartesium*, quem in suburbano Leydensi *Engelgeest* dicto iuviseram, ne diutiùs ista Diatriba inter paucos ambularet, sed palam & apertè hostem adoriretur. Et memini cum lares Lugduni Batavorum fixissem, *Adrianum Heereboordium* & *Henricum Bornium* Viros amicissimos καὶ φιλομασενδῆς impulsisse ut Discursum illum Scepticum Gallica veste donarem, in quo *Ioannem Wallaum* Medicorum Belgicorum, ne quid majus dicam, facilè Principem, & nimis propera morte rebus humanis exemptum, provocarem ad refellendas *Gassendi* objectiones contra Sanguinis circulationem & Chyli per venas lacteas exsuctionem. Qua de re communicavi cum Authore, qui æqui bonique consuluit curas nostras; & sententiam demum mutavit, præsertim ubi *Ioannes Pecquetus* vivorum animalium sectionem instituens rarâ felicitate pepercit receptaculo illi lumbis imposito, cuius ope ductum Chyliferum dorso adrepentem detexit. Non dubitavit enim ampliùs & circulationem Sanguinis juxta *Harvaei* demonstrationes fieri, & venas lacteas *Afellianas* Chylum exsugere, & in canalem *Pecquetianum* transfundere, & Chylum guttatim in venas subclavias decidere, sanguinæ massæ permiscendum. Adfui non semel unà cum *Gassendo* canum dissectionibus,

in

*De Vita & Moribus Petri Gassendi.*

in quibus omnibus *Pecquetus* noster peculiari solertia rem adeò fecit indubitata, ut gauderet admodum Senex curiosissimus ob detectū sibi ante obitum Medicinæ utrumque Polum; veritates, inquam, tanti ponderis, quarum altera alteram confirmat, quibus verò sperabat ut deinceps Ars tota Medica superstrueretur, illa saltē quæ à perspecta œconomina Animalis ad morborum curationem mechanico more procedet aliquando ubi major lux affluserit: neque enim magni-faciebat latricem illam quæ tantum verbis verba necere docet, & tota ludit in combinatione Qualitatum, in Elementorum, humorum, temperamentorum ficta proportione, in facultatum & ministrantium partium assignata subordinatione, atque in hujusmodi præclaris cogitationibus ex politicis vel ex schola Rhetorum callidè desumptis.

Et talia quidem exagitans fragmenta faceret multa proferebat, sed coram amicis tantummodo, quorum censuram non vereretur. Erat quippe naturâ suâ in Ironiam propensior, ut si quis audire vellet narratiunculas risui commovendo idoneas, haberet ille in numero statim innumeras; verum quibus non utebatur, nisi inter familiares & necessitudine conjunctissimos. Ut suspicionem autem prorsus amoliretur, quam de canali Cholidocho habuerat, quem Chylodochum dicere maluerat, equos, in quibus omnino deficit, introspicere voluit. Et memini offendisse me aliquando euntem cum *Martello*, sæviente admodum hyeme, ad loca illa in quæ deportari solent viarum purgamenta & trahi equorum cadavera, quæ plura soluto pretio aperiri jussit.

In mentem mihi revocat itinerum facta mentio quod contigit Amplissimo Viro *Petro Maridato* Senatori doctissimo cum *Gratianopolim* venisset comite *Gassendo*, & sub noctem invisisset amicum, qui veniam statim petiit non protractæ diutius conversationis, nam propero, ait, ad *Gassendum*, qui in urbem commodum venit die crastina discessurus: ad quæ *Maridatus* annuens subjunxit, ego verò te lubens comitabor, & unà rediit ad hospitium suum, in quo

*Samuelis Sorberij Dissertatio*

quo reperit hominem cum quo plures dies versatus fuerat illum ipsum esse *Gassendum* quem quærebat. Nullum scilicet sui indicium fecerat Vir modestissimus; quamvis de re literaria multi sermones habiti fuissent, uec facillè daretur vel nuper editorum librorum Catalogum recensere, vel Scientiarum historiam profèqui, cujus pars aliqua non esset Author noster, atque adeo cujus occasione de se ipso nonnulla ambitione procul prædicare potuisset. Nimirum jactantiam omnem tantopere auersabatur, ut de seipso vera dicere, quamvis necessarium foret aliquando, tamen pudibundus reformidaret.

Atque honorum & lucri tam non erat appetens, ut invitus in *Matheseos* Professore Regium electus fuerit anno M. DC. XLV. *Gassendum* promovente & propemodum cogente Cardinali Lugdunensi *Alphonso Plessæo*, *Armandi Richelij* Fratris. Exstat Oratio inauguralis, & illi muneri debetur edita jam toties Institutio Astronomica prælectionibus explicata, quibus non aderant tantum Auditorio frequentissimo adolescentes, sed omnis ætatis homines, Senes quam plurimi, & Viri doctissimi. Quod in honorem Scientiarum non memineram vidisse uspiam præterquam Amstelodami, *Gerrardo Ioanne Vossio* prælegente non tyronibus quidem solis, sed grandævus & rude donatis undiquaque ad Varronem istum, vel Mercurio posthabito, confluentibus.

Adversata est proculdubio illa Professio *Gassendi* nostri bonæ valetudini, tussis enim inde & pulmonis sequuta est inflammatio. Provinciam itaque, ut aëre natali reficeretur, petiit. Nec tamen Diniæ concessum fuit diu manere, optimo Prorege ejus consortio ita gaudente, ut sine *Gassendo* degere non posset. Comitatus est igitur semper *Valesium*, non solum ut Principis animum studiorum amœnitate recrearet, sed turbatis tunc rebus ut consiliorum particeps sapientia sua iuvaret, donec in Aulam vocato prorege, Diniam ipse repetiit, commoratusque est ad annum usque M. DC. LIII. quo Lutetiam venit cum *Francisco Bernerio* Andegavensi Medico, qui

*De vita & Moribus Petri Gassendi.*

qui post elatum *Gassendum* in Ægyptum profectus, nunc Memphis Medicinam facit, & cum *Antonio Poterio* suo, atque in Ædibus tuis residentibus, *Monmori* Illustrissime, exceptus fuit tantâ comitate tua, lectissimæque Coniugis tuæ, ac tanta famulorum tuorum reverentiâ, ut Herus alter esse videretur: cùm tamen ille nullam omitteret partem debiti cultus natalium tuorum splendori, vel debita venerationis virtutibus illis, quibus Fortunæ munera superare contendis.

Totus erat *Gassendus* in adornando Philosophiæ suæ Systemate post publicatam *Tychonis & Copernici* vitam, cùm in morbum incidit anno M. DC. LIV. quo levatus quidem fuit studiorum facta intermissione, & educta ex senili corpore sat magna Sanguinis copia, qua fuere vires nonihil infirmatæ. Sive enim morbi fomitem introrsum latentem, sive morbi remedium phlebotomiam, sive studiorum intemperantiam, sive ingravescentem ætatem incuses, certum est *Gassendum* prospera ex illo tempore non usum esse valetudine, nec perambulationes quibus in horto lætabatur, nec longas cum Amicis confabulationes sustinuisse. Quare tandem anno sequenti incunte Autumno in morbum lethalem delabitur, atque ab iisdem Medicis Lutetiæ celeberrimis eadem fuere adhibita remedia. Nec sanè Galeni & Hippocratis auctoritates defuerunt Viris doctissimis, quibus erat cordi proculdubio Amici restauratio: verùm tristissimâ comprobatum fuit experientiâ tritum illud, *Interdum doctâ plus valet arte malum.*

Cùm repetitis jam novem sanguinis missionibus dejectas heu nimium vires suas sentiret Vir optimus, & adessent Medici per celebres & Amici, dubitanter proposuit, ne in alienam messem falcem suam injicere videretur, an consultum esset abstinere à Phlebotomia, cui tolerandæ imparem se existimabat. Assidebat ægroto Medicorum senior, qui arteriam consulens, & ad cætera attendens inclinabat jam cum sociorum altero ut sanguini parceretur; cùm nescio quis alius grandi passu cubiculum perambulans præ-

\* \* \*

fractè

fractè in contrarium contendit, & Collegas in sententiam suam veluti postliminio redeuntes pertraxit. Nec renuit *Gassendus*, qui non tanti ducens usuram vitæ in illa ætate adeò labefactatæ, ut vix spes esse posset restaurandæ in integrum bonæ valetudinis, sine qua non tam vivere debeas aliquem dicere, quàm ægrè spiritum in pœnas & dolores trahere, secum verò reputans nihil sine Numine contingere, providentiæ Divinæ committendū se statim deliberavit, quæ quidem fines suos habet præstitutos, nobis nequicquam supremam moriendi necessitatem tardare nitentibus. Nec illa fuit última Phlebotomia, sed insequitæ sunt aliæ quatuor, quarum unam cum *Poterius*, conscio *Gassendo*, eludere voluisset; quasi peracta jam fuisset ante adventum Medici qui imperaverat, officiosum istud mendacium nescio quomodo detectum nihil aliud profuit, nisi ut graviter fidus iste Amanuensis increparetur, & largior forsàn copia liquoris accersito Chirurgo hauriretur. Quæ quidem recenseo historiæ, seu veritatis causâ, non verò ut quemquam laceßam, vel ullius praxim Medicam inculpem: Amicus enim Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas. Si quid Lutetiæ verè eruditum & magni nominis fuit inter Medicos, totum illud adfuit sanando *Gassendo*; nec alia methodo itum esset à Viris præstantissimis ad Medicinæ finem in persanandis sanguine conjunctis, vel Principibus ipsis morbo consimili laborantibus. Haud itaque in culpa sunt Medici propter celebratam paulò frequentius Phlebotomiam; quemadmodum innuere voluit *Petrus Borellus*, quum Observationum Physico-Medicarum, seu Medico-Physicarum Centuria III. observatione XI. scribit, *Possẽm hĩc Viri semper lugendi mortem dolorosam toti Europa, immò Mundo, recensere nimio illo remedio sanguineo, & verba ab ejus ore deprompta referre, quibus ante obitum fassus est se nimio obsequio perĩsse, & cum Heroõ suo ad inferos cum Iviridi adhuc & stante senectute descendisse.* Sed nimirum commovit diligentissimum Scriptorem quod accepit dictum à *Gassendo* dum celebrandæ ultimæ Phlebotomiæ

botomiæ brachium præberet : Conversus enim ad *Poterium*, satius est, ait, istâ virium infirmatione placidè obdormire in *Christo Domino*, quàm majori cum sensu doloris suffocatione vitam amittere. Ex illo tempore fermè obmutuit, cùm non posset vocem attollere ut audiretur ab adstantibus *Bernerio & Poterio* extrema officia, quemadmodum in toto morbi decursu fecerant, ministrantibus.

Extremam tamen horam imminentem sentiens, quod reliquum erat virium impendendum existimavit præparando ad mortem animo. Itaque significavit ut quam-primùm vocaretur Sacerdos, in cujus aures, dum fari poterat, peccata sua effunderet; quorum omnium veniam per sacrum ministrum à *Deo* peteret, atque per Confessionis Sacramentum obtineret; ut inde paratior existeret sistendæ coram summo Judice animæ suæ, ac veluti alba puritatis stola indutus nuptiis agni immaculati interesse posset, sacrum scilicet viaticum debitâ cum veneratione tertium accipiens: nam semel eam atque iterum sumpserat ingravescente morbo. Dein, ut nihil perfectæ Christiani militis armaturæ deesset, sacro inungi oleo efflagitavit. Ad quam cærimoniam animo attendens cùm Sacerdos aures inungens pronuntiaret verba solemnia, & lapsu quodam memoriæ dixisset, *Indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum peccasti*, reposuit statim æger, imò per auditum; adeò intentus erat rei gravissimæ, & eluendarum sordium vel minimarum cupidum se & sitibundum gerebat. Ex illo scilicet momento, quasi se itineri accinxisset in æternas sedes brevi migraturus, repudium misit omnibus aliis præterquã sacris cogitationibus, subinde versus nonnullos Psalmorum proferens; sed leni murmure & tam summissa per interceptum spiritum voce, ut procul audiri non valeret. In ore quidem habuerat initio morbi loca Poëtarum Latinorum quamplurima, quibus recitandis tempus aliquando falleret; quum & memoriâ admodum polleret, & sibi temperare non posset quin semper ad honesta studia animum converteret. Verùm & Musis & amœniori literaturæ tum valedixit. Illud enim unicum philosophantis

phantis ad extremum vitæ curriculum ingenij signum edidit, quod mortuo manus dextera reperta fuerit regioni cordis apposita; cui parti non semel iusserat *Poterium* ut manum admoveret, notandæ Systolæ, & Diastolæ; quarum ipse titubantem gressum & deficientem vigorem advertens, vides, ait, quid sit hominis vita. Quæ vox ultima fuit summi Philosophi; quandoquidem philosophatum desiit *Gassendus*, ut totum se *Christo* & sanctissimis Meditationibus traderet; quas inter placidè obdormivit in Domino, & die quidem Dominica horâ post meridiem quartâ vel circiter, IX. Kal. Novembris Anni à Virgineo partu M. D C. L V. ætatis verò suæ exacto jam à novem mensibus L X I I I. qui magnus Climacterius ab hominum perditione & fractura ἀνδροκλασῆ dicitur. Atque ita nobis ereptus fuit Senex optimus.

Mortuum luxit universus Orbis Terrarum eruditus. Quod innumera testari possent tum prosâ, tum versu Encomia undiquaque ad Te illustrissimum defuncti hospitem missa, qui funus ducens cadaver extulisti, & sepulchro Majorum tuorum in ecclesia Sancti Nicolai Campensis deposuisti, juxta *Guillelmum Budaum* parentis tui pro-avunculum, togatorum autem superioris sæculi doctissimum; appositâque fuit aliquandiu post in *Montmoriorum* Saccello statua marmorea; cujus iconem reperire licet inter Operum istorum præludia. In ecclesiâ autem patriâ Diniæ mortuo lessum fecit publicè *Nicolaus Taxilius* presbyter in Præpositura successor, Oratione habitâ in obitum Philosophi Christiani, quem titulum præfixit cum Lugduni Typis edendam curavit anno sequenti quinquagesimo sexto; atque tanto civium omnis ætatis concursu, tam largo autem omnium fletu, ut non meminerint senes publicum luctum huic similem extitisse.

Nec quidem temerè factum ut mœror nullos non contreraneorum pervaserit; quippe Vir pius summæ fuerat vivens valensque, non solum universo Diniensi populo, sed ipsi præsertim Clero suo, venerationi. Adeo ut pro concione hisce ego auribus audiverim, cum



cùm aliquando Arausione *Gassendum* invisissem, factam Viri cum elogio mentionem ad sententiam aliquam plenius confirmandam. Unde tantus homini modestissimo suffusus rubor, ut domum reversus nondum pudoris commotio penitus sedata videretur. Et forsitan in causa fuit quod à me unà redeunte ingenti cum gaudio notatum, neminem occurrisse qui non saluaret, idque ex animo, quemadmodum vultu præsignificabatur, & multis atrio suo vel officina exeuntibus atq; opus suum intermittentibus, ut venerando Seni debita præstaretur reverentia. Quod demirans & adstantibus indicans, accepi à Lautaretio Medico & ab aliis concivibus, nihil illius esse impresentiarum venerationis, si conferretur cum publica hilaritate quâ obviam iri moris erat, si quando urbe abfuisset; quod sæpissimè contigerat Illustrissimo Principi *Ludovico Valesio, Peireskio, Campinio, Luillerio*, vel *Te Mon-Mori* doctissime, tam clarum lumen patriæ suæ invidentibus. Cùm autem inquirerem paulò diligentius, quid Virum sortis hujuscemodi, in tenui re positum, universis tam gratum redderet, imò adeo venerandum, ut nulla institui posset comparatio quod spectat ad cultum ultro præstitum cum ipso Præsule vel Præfecto Provinciæ Diniam adventantibus; comperij immensam ejus eruditionem doctos omnes sibi conciliavisse, officia & liberalitatem seu eleemosynas pro virium modulo factas, plebeculam & egenos sibi devinxisse, modestiam, comitatem, & morum niveum candorem, bonæ mentis amantium oculos perstrinxisse, at pietatem & Sapientiam universis amorem sui & admirationem creavisse.

Et de pietate quidem ut primùm dicam, attendendum sedulò ad ea, quæ *Gassendus* voce, & scriptis docuit, ad vitæ rationem quam instituit, & à qua ne latum unguè unquam discessit, ad Amicos quibus conjunctissimus sine querela vixit, & ad ea tandem quibus moriens ultimum vitæ actum clausit: Nam veræ voces tum demum pectore ab imo ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.

Ad doctrinam quod attinet quam professus est tum privatim tum publicè, certum est nunquam ejus ore excidisse verbum ullum

quod summam non præ se ferret dogmatum Ecclesiæ Catholicæ venerationem, de quibus ne controversiam quidem debere moveri nisi seriò & graviter, idque à Viris doctis, quibus id muneris sacra vocatione traditum, existimabat. Itaque Sacras Scripturas, & Patrum, Conciliorum, Sanctæ Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ auctoritatem semper suspiciens, indignabatur si quando dissentientes Christianos offenderet ingenio suo abutentes ad necitendas difficultates, vel frustra nitentes in explicandis vi ratiociniij sui, tam perplexi, tam nullius, rebus illis quas Fides suscipiendas, haud enarrandas proponit. In Concionibus autem suis ad Populum Dinensem, quas plurimas habuit, Theologiæ Doctorem egit egregium, dum junior latere & pulmone valeret: nam ab istis exercitationibus temperandum necessariò fuit, quandoquidem non poterat de rebus sacris, præsertim controversis, sermonem è suggestu instituere, quin zelo flagrantior vocem attolleret, & erumperet dolor animi ob laceratam *Christi* vestem in fletus & lamenta, quibus non firma valetudo convelleretur.

Ad scribendum verò ubi animum appulit, nullam prætermisit occasionem pietatis suæ comprobandæ: quod passim videre est in uberrimis refutationibus errorum circa Deum ter Maximum, Providentiam, Animæ immortalitatem, in explicandis opinionibus Physicis, non damnatis quidem, sed nondum probatis, & in lubrico loco positis, unde facilis esse posset lapsus in errorem. Nihil enim de Systemate Mundi juxta *Copernicum*, *Aristarchum*ve Samium, nihil de Atomis scribit, nisi menti aliorum exponendæ, & assensu jugiter cohibito, atque præfatus observantiam suam erga communem fidelium Matrem.

Quo sanè intemerato ad Ecclesiæ nutus omnes obsequio meruit ut ad generalem Cleri Gallici concessum Diœceseos suæ nomine mitteretur anno huius sæculi XL. atque in generalem Agentem, ut vocant, seu Procuratorem totius sacri Ordinis eligeretur. Quo tamen non functus est munere, id honoris lubens concedens Ecclesiastico

stico nescio cui, in quem Cardinalis *Richelii* favor procumbebat; cum non satis nosset *Gassendum* summus ille rerum nostrarum Administrator, qui tamen eruditorum fautor fuit, sed ea infelicitate sua ut primarium Galliae & ævi sui decus ignoraverit. Obfuit nempe Viti sapientis modestia, cujus in nonnullis desiderium id semper efficit, ut Principibus notiores sint homines levis armaturæ, petulanti ingenio & vulgari doctrina præditi, quàm illi graves Musarum mystæ, qui famam aucupari, Magnatum favorem ambire, & adulatione nummos conquirere virtuti suæ haud consonum putant, *Nec fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitant.* Verùm obiter istud in *Gassendi* laudem & *Richelii* gratiam: quippe satius est illam assignare causam cur omninò præteritus ab isto Mæcenate fuerit *Gassendus*, quàm fateri haud ignotum extitisse, sed insuper habitum; quod cadere non potuit in Eminentissimum Heroëm, quem lugent adhuc Musa & Gratia, quibus condire solebat quæ sunt aliàs amara ingratis & inveniustè doctis quam multis pariter & indoctis deglutienda, quoties scilicet clavo admoventur Numinum istorum contemptores. *Quod procul à nobis avertit qui cuncta gubernat*, ut eò Lucretij verba detorqueam, & temporum nostrorum felicitatem paucis perstringam.

Verumtamen cum eò devenerim ut nonnulla forsan scitu digna subnectere possim posteris profutura, quandoquidem monitis non eget ætas nostra, per tot egregia nimirum facinora, quorum rationes & argumenta in mores nostros jam abierunt, nec *Gassendi* tantum, sed Philosophiæ causa agatur, non inconsultum erit uberius rem prosequi, & dolere incuriam, seu infelicitatem Principum, qui verè doctos & sapientes Viros, aut non advertunt secum habitantes, aut temnunt mites & modestos, aut reformidant oculatos nimis & sagaciores. Et vide, quæso, *Richelii* fatum, qui Philosophos quotidie admittens exercendi acuminis gratiâ Peripateticos, nunquam audivit illum, qui non solùm Peripateticorum sanior Doctrinam, sed Syllogismorum captionumque Dialecticarum laque-

OS,

ος, κρυπτόντας, ἰσχυράζοντας καὶ σάπειτας, aliosque id genus gryphos in numerato habeat; qui verò his superaddebat Stoæ, Hor-  
torum, Academiae, & nullius non Methodi Scientiam, qui nullas non  
disciplinas callebat, qui omne immensum peragraverat mente ani-  
moque. O quàm deperiisset *Armandus* si satis nossæt Philoso-  
phum istum non ignava opera, qui Philosophica erat sententia; quã-  
doquidem tantùm præ se tulit amorem vulgaris illius Philosophiæ  
& humanioris literaturæ! Hæc duo prima occurrunt Magnatibus  
in atriis & pergulis Palatiorum; quæ torva, aspera, vel ludibunda  
& aliquando nugatoria, officiant solidioris doctrinæ existimatio-  
ni; quippe uno ordine censentur omnes disciplinæ, & crimine ab  
uno discuntur omnes. Ita Principes arbitrantur totum illud quod  
Philosophiæ ambitu continetur, simile esse rudimentis & progym-  
nasmatis Scholarum, Rhetorum scilicet, Poëtarum, & Dialectico-  
rum, quorum ipsi specimina edidere, vel quæ postmodum Auli-  
ci nonnihil calamistrata in Aulam deportant & dividendunt; quibus  
verò fucum facientes emptori, id consequuntur ut nec probatæ,  
nec illustratæ bonæ merces rejiciantur. Hinc exploduntur Artes in-  
genuæ, sana mens, & vera eruditio; nec parcitur illis scientiarum  
interpolatoribus, quorum conditio nequaquam melior existeret  
sorte bonorum, nisi semel in animum induxissent omnia perpeti  
opprobria, rumorem parvi facere, dum sit rumen qui impleant.  
Verùm aliter fit cum verè Philosophis, quibus cor ritè salit læva sub  
parte mamillæ, nec sustinet os honestum infrunitorum & malefe-  
riatorum hominum insaniam. Ita factum memini ut *Renatus Car-  
tesius* in Aulam vocatus, quam-primùm in Hollandiam redierit fer-  
mè insalutato Aulæ limine. Neque renuerit tamen rursus se Oce-  
ano committere accersitus à Regina Sueciæ, quæ tunc temporis  
Viros doctos undiquaque accersebat, Sed neque eò loci satis con-  
venisse audio huic Philosopho cum Grammaticis & Pseudophilo-  
sophis, seu cum anseribus & corvis olores inter advolantibus,  
quibus aurem faciliè commodant Principes. Quidquid illius sit ut

vineta

vineta cædamus nostra, non sine publico damno *Gassendi* virtus in obscuro latuit apud rerum Ministros, qui beneficia, munera, vel opes largiores nactus uti potuisset in publicam utilitatem, ad arcana Naturæ detegenda, ad illustranda vitæ commoda, ad sublevandam pauperum inopiam. Vetus est querela, bonæ mentis fororem esse paupertatem; nec enim tam bene rebus humanis fato consultitur, ut bonis semper benè sit: quamquam non malè fuerit *Gassendo* propter istam præteritionem, cui nihil eorum defuit queis dolet humana sibi natura forsque privata negatis, licet non fuerit facie notus, vel munere auctus, vel opibus donatus à Magnatibus. Quod tamen recensendum duxi ad Viri modestiam & *αὐταρξία* confirmandam, non verò quòd sperem ut in meliorem frugeth reducentur si qui orientur olim, quod Deus avertat, rerum humanarum moderatores, quorum fortassè intererit ut ingenij, virtutis, & pietatis rationes susque déque habeantur. At istarum omnium rerum interesse existimavi ut subinde audeat aliquis sæculo suo, si meruerit, gratulabundus, in prisca tamen oculos retorquere, & exoptare venturis ne unquam in societate civili exoriantur vomicæ & carcinomata, quibus morbis genus humanum laborare videtur, quotiescunque regendum traditur inficetis, imperitis, ingloriis Terræ filiis, id sibi tantùm negotij datum existimantibus ut Reipublicæ artus universos depascantur, & succum nutritioni corporis destinatum in pus, tabum, & faniem introrsum latentem convertant. Sed iterum è diverticulo in viam.

Ad privatam *Gassendi* vitam sæpiùs attendens Anachoretam aliquem cernere mihi videor, qui media in Urbe vitam instituit planè ad Monachi severioris normam; adèd paupertatem, castitatem, & obedientiam coluit; quanquam sine ullo voto tria ista vota solvissè videatur. Parvo contentus vixit, nulli invidens divitias operosiores; opulentiorum favore nihilo factus ditior, elargiens autem ipse è suo liberali manu quoties se dabat occasio sumptus faciendi. Abstemius erat sponte sua, pûsanam tepidam bibens pulmoni re-

\*\*\*

frige-

frigerando humectandóque: nam existimabat altiùs liquorem penetrare vi caloris immixti; asserebàtque cùm tertianâ laboraret aliquando expertum fuisse, vix quartam se adhibuisse siti extinguendæ tepidi liquoris partem, cujus frigidi triplo majorem mensuram hauserat in præcedentibus paroxysmis. Carne rarò, herbis sæpiùs, ac maceratâ offâ manè & vesperi utebatur.

Spectandam præbuit in humilitate obedientiam, quâ nulli unquam se præposuit, nulli contendenti non statim loco cessit, nihil scripsit quod suffenum & sui plenum hominem sapiat, quemadmodum excidit aliquando Viris magnis multa volumina scribentibus. *Tu me ut voles alloquere (ad Cartesium respondens) nam per me quidem integrum tibi est affari non modò ut carnem, qua vox solertia tua occurrit, ut esset menti àvnter, sed etiam ut saxum, ut plumbum, & si quid putes esse obtusius.* Et articulum illum claudens verba addit elegantissima, quibus & simul modestissimè, solus de se ipso ausus est aliquid affirmare. *Tametsi enim carneum me dicas, non ideo facis exanimem; ut neque tametsi te mentalem geras, te idcirco facis excarnem. Quare & permittendum tibi, ut pro genio loquaris tuo, sufficitque ut Deo propitio, neque ego sim planè caro sine mente, neque tu planè mens sine carne; & neque tu supra, neque ego infra conditionem hominis simus: quamvis tu quod est humanum recuses, ego id à me alienum non putem.* An in controversiis Religionis pertractandis ullus unquam inter tot eximios religionum hominum ordines humilitatem professus, tantâ cum moderatione de se ipso sensit, tam modestè egit, ut arctâs se contineret intra justum inculpatæ tutelæ moderamen?

Et illa fuit Modestia tanto ingenio & tantæ eruditioni conjuncta, quæ omnibus acceptissimum reddidit *Gassendum*. Quamvis enim magna quæque & excelsa sui admirationem faciliè concitent; non tamen ingenerant semper amorem sui & charitatem, si difficilem per superbiam & torvitatem, seu per ardua & abrupta accessum habeant. Nimirum nemo non exoptat sibi quod in alio adprobandum cernit;

cernit; & quantò quisque meliori luto ficta præcordia habet, tantò magis præcellere cupit. Acclivem igitur Virtutem qui bonus conspicit non desperat montem aliquando se superaturum, & templa illa Sapientum serena conscensurum, quæ radij Solis jugiter illuminare videntur. Amabat omnes cum primùm cernerent *Gassendum*, ob illam scilicet comitatem, mansuetudinem & modestiam, quibus se adeo demittebat ad cujusque accedentis mensuram, ut modò puerum dixisses, vel è plebe literatorum aliquem, atque genio sese accommodans & captui auditoris, sibi quisque sperabatidem, nemo non existimabat facili negotio eodem se modo philosophaturum & Naturæ arcana referaturum: verùm sudabat multum frustra que laborabat ausus idem. Itaque ad eundem erat rursum blandus ille Doctor, qui semper paratus erat eandem Amicis & merentibus operam navare, & ulterius promovere veritatis amantes.

Hinc charissimus vixit Viris quoque Nobilissimis & Principibus nonnullis, animo scilicet cultioribus quàm solet esse illud genus hominum. *Peireskium* quid memorem, vel *Campinios*, *Lullierum*, aut *Christinam* Serenissimam Sueciæ Reginam, cujus Epistolæ fidem faciunt quanti fecerit *Gassendum*, quum Musis aliàs Princeps illa operaretur, tantam sui Doctis venerationem, & bonis Artibus tantam incrementi & futuræ laudis spem ingenerans; vel illustrissimum Cancellarium *Petrum Seguierum*, qui in illo honorum fastigio cum doctis congregari, & *Gassendum* imprimis audire gaudebat, vel illum denique, qui unus instar plurium esse potest, *Ludovicum Engolismensem* Ducem, ultimum stirpis Regiæ *Valesiorum* surculum, & *Te Mon-mori*, cujus familia non minùs illustris est pietate in *Deum*, quàm doctrinâ & nobilitate: nolo enim recensere Viros omnes ἐν ἀξιώματι & genere claros *Gassendi* Amicos, vel tuarum laudum præconium instituere. Testor tamen illa tua verba, quibus nuper significabas, Te non minùs exosculatum esse in *Gassendo* pietatem sinceram quàm cæteras ingenij dotes eximias. Gratulor autem imprimis quod mihi copiam feceris Com-



mentariorum & scedularum optimi Principis, in quibus datum animadvertere quàm amicè egerit cum *Gassendo*, de rebus gravissimis & ad Rempublicam spectantibus Philosophum, & de Sacris Theologum consulens. Etsi editæ testentur illud Epistolæ, bene multa sunt tamen ipsius *Valesii* manu exarata, quæ non minus confirmabunt aliquando, si tempore suo in lucem prodeant, illustrissimâ Heroinâ Conjuge emittendi curam tibi tradente, intimam fuisse animi cum *Gassendo* conjunctionem, quàm Principi doctissimo fuisse ingenium defæcatissimum & pietate virtutibusque Pacis & Belli instructissimum.

Cæterum, ut istorum finem faciam, in praxi Religiosa ex quo ad Sacrum Sacerdotium admotus fuit *Gassendus*, nulla dies Dominica vel Sanctorum publicæ commemorationi dicata præterit, quandiu nulla fontica causa vel quid gravius impediit, quin augustissimam cærimoniam ad altare tremebundus accedens celebraret. Ritus Ecclesiasticos ad unguem callebat omnes, & rationes expeditissimè reddebat, tempus assignabat, nominabat Authores quibus singuli fuerant constituti: Quorum omnium curiosissimum exstitisse satis apparet, vel ex libro de Notitia Ecclesiæ Diniensis edito, ex Clendario Romano, & passim ex alijs. Nam inferri debet quid majus ex legatis Testamento ducentis libris Turonicis ut quotannis die obitus sui sanctissima Missa, in quo sepeliendus erat facello celebraretur, tum alijs sexaginta tribus annui redditus concessis ut idem Diniæ præstaretur, & in pauperes fierent largitiones. Verùm de pietate summi Viri satis dictum sit. Est nunc ut de ingenio nonnulla subjungam, quandoquidem fuere qui bonum Virum facillè crediderint, magnum non adeo libenter. Unde autem illud paucis aperiam.

Cùm neutiquam *Gassendus* careret ingenij acuminè, sermonis facili nitore, urbanitate, & salibus Provincialium suorum, ingenito lepore, atque cæteris τῶν χαριστικῶν dotibus; judicij tamen & sapientiæ potiores esse partes existimans tardior in dicendo & subtrior

Etior visus est in interiora nondum admissis; quanquam blando & renidenti vultu obvios quosvis exciperet & alloqueretur. Verùm nequaquam cum sibi finem proponens in quem plerique collineare videntur, ut subtilitatis & dicacitatis laudem consequeretur; præterea non ignorans quàm difficile esset appositè loqui ex tempore, neque id curans ut nugis adderet pondus, quod passim faciunt nonnulli, tum voce veluti in minas elata, tum vultu ad audaciam quandam composito, quàm verò diversa fierent de rebus etiam comper-tissimis judicia; sententiam suam promere temerarium ducebat, antequam expiscari potuisset quæ mens esset auditoris, quas haberet præjudicatas opiniones, ne incassum loqueretur, vel ingratum faceret, aut pipulo se differendum exponeret.

Itaque adventantes Viros literatos non statim verbis obruebat inconditè prolatis; pauca tantùm in benevolentia signum & grati animi testimonium proferens; cùm se non existimaret dignum quem eruditi inviserent ut quidquam addiscerent; neque ipse eruditos inter nomen suum profiteretur; sat magno apponens lucro, si æqui bonique consulerent affectum, quem in eruditionem & Philosophiam haberet. Studia sua ad aliud se nunquam direxisse, nisi ut se ipsum erudiret & meliorem redderet. Si quæ autem in lucem prodissent, factum id esse amicorum culpa sive consilio, qui exempli forent alicujus, & adhortamenti studiosis, ut Libris incumbentes aliquando majora præstarent: neque ausum fuisse, quamvis revera jure debuisset recusare; symbolam suam conferre, tenuem adeò & tam parvi momenti, ac proinde profus inutilem juvandis cæterorum studiis.

Ast ubi in medium proferebatur quæstio de qua sententia sua rogaretur; præfari solebat quàm angustis limitibus humanæ mentis scientia circa res naturales cohiberetur; & ipse in primis quàm ignarus esset istorum omnium, atque inidoneus tarditate ingenij promovendis scientiæ istius pomæriis. Cùm non diffiteretur sæpius

se animum suum torfisse in eadem illa quæstione enucleanda, neque quidquam adinvenisse quod sibi, nedum aliis sagacioribus satisfacere posset. Et quidem meminisse, non semel habitos hac de re sermones cum optimo *Peireskio*, qui somnia enarrantem audiebat, & nugas suas per justitiam in secessu Belgencenario amœnitate loci ductus lubens admittebat.

Verùm ubi somnia, nugas suas, & deliramenta enarranda suscipiebat, animo erat maximè attendendum, & doctissima atque sapientissima ratiocinia erant expectanda. Præmittebat autem ut velitationem institueret veluti exploratores quosdam & primipilares propositiones quasdam universaliiores, quibus notum fieret quâ via incedere parabat; quæ principia admitteret. Si quis autem in limine hærebat ob ignorata huc usque *Elementa*, seu iter non assuetum, calcar renitenti non addebat, sed præcedens quasi manu ducere conabatur. Cui operæ si morositas quædam obesset, & calcitronem quendam offenderet, verbum ultra nullum, aut operam fumebat inanem. Confestim igitur sinebat quemque sibi sapere, & è vestigio rursus causabatur infantiam suam & humanæ mentis caliginem, per quam non licet longum iter in investigatione rerum naturalium instituere. Dein aliis lampada tradens occasionem dabat fusè differendi; neque hilum dicebat, vel minimum commotior videbatur si quando senex coram juvene obmutesceret, & discipulum ageret, qui doctorem cœperat. Intereâ libenter Sigalioni litans mirabatur tacitus multorum loquendi pruriginem, mores intempestivos, temeritatem; unde factum proculdubio ut istam ad silendum proclivitatem interpretati sint nonnulli tarditatem ingenij.

Quæ quidem nulla fuit, ut conjicere licet vel ex acutissima *Dissquisitione Metaphysica*, quam intra paucos dies tam miro ordinavit artificio, ut adversario subtilissimo omnem respondendi ansam omninò præripuerit. Opus sanè tereti filo & eximia sagacitate ad umbilicum perductum satis mirari non poterat *Thomas Hobbius*; qui *Heroëm nostrum* nusquam majorem apparere pronuntiabat, quàm

quàm in retundendis larvis, tenues in auras tam facilè diffugientibus, gladio imperviis, nec ictum clavæ excipientibus. Ita enim sentiebat Vir emunctæ naris de Meditationibus *Cartesii* & de illa *Gassendi* Disquisitione, quæ primum posteris exemplum dedit refutationis numeris omnibus absolutissimæ, qualem esse decuit Philosophi acutissimi, Viri doctissimi, qui Gratiis non minus quàm Musis litaverat, & præsertim hominis Christiani, cui nefas λοιδορεῖν ἀντιλοιδορεῖν, cui vetitum est obtrectandi & maledicendi ferram reciprocare: sed cui licet in hostem tela sua amicâ manu, nec feriendi animo retorquere.

Ita se gessit Vir optimus in refutando *Cartesio*, ut præter lepidè quædam dicta nihil invenias quod adversarium pungat: vel si quid tangat cutim extremam, illud quidem blandè, modestè, & cum significatione quadam benevolentis introrsum latentis, & cui renovandæ paratissimus esset. Quemadmodum reipsa fuit, vbi elapso vix quinquennio occasionem habuit *Cartesium* Lutetiæ amplectendi, & pronum affectum in laudes tanti Viri patefaciendi. Copulâ scilicet tantorum Virorum Abbate *Cesare Estreo*, qui nunc Episcopus Laudunensis factus inter Franciæ Pares gradum stirpi nobilissimæ non minus quàm insulæ & meritis debitum obtinens, non tamen deposuit bonarum artium curam; quod aliis contigit aliquando, non quidem illis quos evexit ardens ad Sidera virtus, sed quos illa ludum insolentem ludere pertinax fortuna rebus humanis præfuit. Illustrissimus ille Præsul prandio excipere voluit unâ cum *Gassendo*, *Cartesio*, & *Ioanne Launoi* suo Theologo Parisiensi, *Agidium Personerium Robervalium* Mathematicum, *Micheaelem Marollum* Abbatem Villalupensem, *R. P. Marinum Mercennum*, & *Hilarionem à Costa*, *Marivallium* illum Abbatem, qui in Americam transfretaturus in ipso portu Lutetiæ Parisiorum naufragium fecit. *Gassendi* oborta noctu invaletudo non permisit ut conviva àdesset: Itaque ad illum sub vesperam properarunt, Magistro convivij duce, & deleta fuit omnino præteritorum memoria.

Sarta

Sarta enim testâque deinceps mansit inter illos amicitia, saltem per *Gassendum*, qui honorificam in opere posthumo nunc in lucem prodeunte *Cartesii* mentionem fecit; quamquam non prorsus exuisse hostilem animum visus fuerit *Cartesius* in responsionibus Gallicis ad Instantias eodem anno editis. Atq; utinam, si quæorian- tur in posterum, quod absit tamen, inter Viros doctos disensiones, attendatur sedulò ad exemplum mansuetudinis, non minus quàm solertiæ & acuminis, cujus satis amplum specimene didit *Gassendus*, unde judicari possit an ingenij acutissimi titulum meritus fuerit.

Desiderarunt alij nonnulli in Philosopho nostro *Mathesin* profundiorẽ, quia nihil, aiunt, scriptis protulit unde conjiendum præbeat ultiores in Geometria & Aritmetica progressus, & inde etiam ejus acumen obtundere nituntur, vel quid laudibus immensis detrudere volunt, Verùm nihilo inferior summis Mathematicis fuit *Gassendus*, quamvis ignoraverit, vel potius discere neglexerit nonnulla quæ nullius usus esse noverat, impensæ verò, hoc est temporis in acquirendo sat longi. Nimirum satis esse duxit vitæ humanæ brevitatem advertens, & angustias mentis nostræ dimittens necessaria tantum comparare, & ea sine quibus ad philosophandum se accingere non poterat, non invidens aliis, qui toti Geometriæ vel Algebrae incumbere, subtilissimarum inventionum gloriam. Præ oculis semper habuit ultimum philosophandi scopum Felicitatem, quæ in corporis bona valetudine & animi tranquillitate tota consistit. Ad utramque partium istarum rectâ collineare existimavit rerum naturalium cognitionem: Itaque ex universo Scientiarum ambitu ea tantum collegit, quæ præcipuè ad institutum suum facere viderentur; haud imitatus imprudentem viatorem, qui ad loca quæque amæna desleat immemor patriæ vel termini peregrinationibus suis præfixi. Equidem ita se gerunt plerique eruditorum doctrinarum Oceanum ingressi & veluti varia appellentes ad littora. Nec tamen deteriores sunt illi vel insubidi- ores, qui ætate noñdum adulta studiorum cursum, ut vocant, instituentes,

*De Vita & Moribus Petri Gassendi.*

instituentes, & libros omnis generis evolventes, tradunt se alicui disciplinæ, cujus dulcedine capti fuerint præter mentem suam, vel contra propositum ad aliam concedendi, quæ paulò remotior erat. Quos nequaquam magis damnare velim, quàm Mercatorem Batavum culparem, si quis in Indias orientales navigaturus mercibus reportandis, quibus ditior factus Amstelodami demum senex in otio degeret; in Insulis tamen fortunatis vel alibi Terrarum manere vellet, & inquilinorum mores arridentes induere. Dicitur Eloquentia quàm multos egregios Viros: quot alios Ars Poëtica, quot Mathematicarum partes singulæ, quot Juris, Historiarum, Politices, Medicinæ Scientiarum Disciplinarum nulla est quæ amatores suos non habeat, & sua cuique Minerva placet adeò ut despectui sint aliæ; & pudeat Geometram ad orationis elegantiam & flosculos attendere, misereatur verò Oratorem infantia & inconcinnitatis stili Geometrici; Poëtam rideat Jurisperitus, & ab inamæna Jurisperiti occupatione abhorreat qui fonte labra proluit caballino.

Quidquid sit illius mutæ subsannationis, verum est Mathesin illam abstrusissimam non multum conferre, ne quid gravius dicam, ad recti ratiocinij adeptionem & ad rerum naturalium illustrationem: Cùm nemo non nôrit insignes in arte Analytica, vel in sectionibus conicis Mathematicos interdum nihilo in cæteris rebus existere oculatiores. Ideòque tempori parcendum, nec se pluribus impedimentis onerandum suscepit *Gassendus* noster, qui vel solo Euclide armatus, altior veluti præcinctus, satis instructus sibi videri potuisset debellandis errorum monstris, vel Physicæ difficultatibus referendis, quæ potissimum Felicitati obicem opponunt. Apparet quàm facili negotio penetraret in intricatissima quæque ubi Astrologiam explodit, in cujus nugas non dedignatus est descendere, ubi *Fluddum* exagitavit, ubi in Aristoteles signa contulit. ubi sola sermonis usus perspicuitate nihil enarrandum statuit quod non statim percipiatur, sine ullo molimine, sine ullo figurarum apparatu;

\*\*\*\*\*

quas

quas adhibent aliquando nonnulli ad ostentationem, vel solertiae istius defectu, quae certè sagacissimum ingenium, & ad omnia studia natum innuere videtur.

Sed quid ego natum dico ad abstrusissima quæque disciplinarum Virum doctissimum, qui reipsa penetraverat in adita, recessus omnes lustraverat, nullum non moverat lapidem ut veritatem erueret? An scilicet qui in Scholasticorum Libris aliquandiu impalluit, qui Astrologiam, & nullas non scientias, etiam nugatorias excutere gestiit, omnium primarias præterisset? Quantus fuerit in Astronomicis nemo dubitat; atque utinam sibi temperare potuisset ab Astrorum inspectione, qui nocte intempesta Siderum motus quotiens Cælum erat serenum observabat, non sine magno valetudinis suæ dispendio; quamvis statim post occasum Solis caput muniret pluribus tegumentis, retundendæ aëris noxæ quam gravem sæpius expertus fuerat. In Opticis autem haud minor existit, quod nos monet observatio de visione distincta per oculorum alterum facta. Quæ circa motum commentatus est Geometram acutissimum sapiant, qualem se gessit in detegenda fallacia circa inventionem Longitudinum, de qua non nemo gloriabatur. Etiam de Musica libellum scripsit; nullam denique partem Mathematices intactam inexpugnatamque reliquit. Quare inter Mathematicos meritò refertur à *Gerardo Ioanne Vossio*, qui de *Gassendo* ita loquitur, Anno M. DC. XXVIII, ac deinceps *variâ doctrinâ, imprimis Mathesi, eluxit Petrus Gassendus Gallus, cujus singularem & multijugam eruditionem non potui non mirari cum Belgicam hanc lustrans Anno M. DC. XXIX. inter alios, me non semel salutatione & alloquio suavissimo dignaretur. Nec aliter Reverendus Pater Ricciolus* in Catalogo Chronologico Mathematicorum eximio operi præfixo quod *Athagestum Matheseos* appellavit. Verùm à Sapientiâ, non à Mathesi, præcipuum esse *Gassendum* lubens concedam; qui summus quidem Mathematicus, sed idem sapientissimus fuit, & sapientiæ suæ famulas disciplinas illas adhibuit.

Non

*De Vita & Moribus Petri Gassendi.*

Non essent hîc loci innumera quæ in confirmationem illius sapientiae afferre possim, silentio prætermittenda, & memorandi jam occurrerent Viri Orbis totius literati sapientissimi, qui primariam illam virtutem in *Gassendo* colebant: Sed in immensum opus excurreret. Id partim exequentur Epistolæ; & alibi ostendent illi ipsi Viri magni, qui in operibus suis amicam *Gassendi* mentionem facere inter titulos suos meritò posuerint. *Peireskium* quid nominem & *Galterium*, *Valesium* Principem, *Varium*, & *Varii* in amando *Gassendo* æmulum illustrissimum *Petrum Sequierum* togatorum nunc Principem; *Luillerium*, *Campinium* utrumque, & alios quos jam innumus, nec quisquam ignorare potest, qui *Gassendum* norit. Vel quid in medium afferam quotidie accedentes magno ambitu amicitiam suam optimo Virorum offerentes; aut quos ille sibi in itineribus suis devinxit, quod laudata *Vossii* verba satis demonstrant. Paucos igitur seligam, quos esset piaculum præterire, quippe interioris notæ & omnium horarum Amicos, vitæ testes, studiorum socios, ejusdem sapientiae cultores.

Primus occurrit R. P. *Marinus Mercennus* Religiosorum Ordinis Sancti Francisci à Paula, Minimorum decus & ornamentum, qui dum vixit Lutetiæ Parisiorum tersius philosophantium commune centrum fuit. Ad illum pergebat *Gassendus* singulis diebus Dominicis manè, sacris operaturus, & deinde amico confabulaturus. Atque eò tum confluebant docti permulti, ut tantorum Virorum colloquia audirent. Visus ibi à me primùm *Carolus Duboscus*, *σώμασφίης*, quem per transfennam *ἄως ἐν παρόδῳ* laudare Virum supra omnem laudem positum, non debeo; & *Thomas Hobbis* *Gassendo* charissimus, cujus libellum de *Corpore* manibus *Pratai* nostri paucis ante obitum mensibus accipiens, osculatus est subjungens, mole quidem parvus est iste liber, verùm totus, ut opinor, medulla scatet. Anumerandi veniunt *Puteani* Fratres celeberrimi; *Ismael Bullialdus*, Philolaus alter, nec pietate minus & omnigena eruditione, quam Astronomicâ Scientiâ conspicuus;

\*\*\*\*\* 2

*Gabriel*



*Gabriel Naudæus*, librorum helluo, qui callebat varias cujusque editiones, qui si quid fortè lateret, Indice monstraret digito; *Ludovicus Jacob Cabilonensis*, hac in arte à *Naudæo* non divellendus, sed morum suavitate potior; *Ælius Diodatus*, Senex intemperatam probitatem eximix eruditioni & sagacitati conjungens; & *Franciscus Motha Vahyerus*, Aulæ nostræ *Seneca*, cujus Sapiencia Regibus & Regum Fratribus instituendis dudum selecta fuerat, in quem verò illud *Casparis Barlai* adscriptum Iconi *Vossii* usurpare possum,

*Et puer, & juvenis chartis impalluit, & Vir,  
Et nunc non alium se cupit esse senem.*

Non cessat enim inter Aulæ ministeria, & in senili ætate, eundem profiteri in bonas disciplinas affectum, & patriam suam Scriptis ornare ære perennioribus. Ad istum inter Amicos intimos vetustissimum hospitem divertere solebat nonnunquam *Gassendus* Lutetiam appellens; *Jacobus Valesius* Gratianopoli Franciæ Thesaurarius, in Mathematicis versatissimus. Nec postremum locum obtinere debet *Ioannes Capellanus*, cujus in Testamento meminit *Gassendus*, qui verò *Virgilii* famam in Gallia Heroïco Poëmata consequutus, excultum habet omnifaria eruditione & philosophica præsertim modestia ingenium; vel *M. Nevræus*, acerrimus ille *Gassendi* defensor quotiescunque dentata opus fuit charta Amico propugnando, quod plus satis probavit in illum *Ioannem Baptistam Mortinum* Φερώνυμον, qui livido morsu *Gassendum* petere præter omnem humanitatem ausus fuerat, forsitan ut ista immanitate inclaresceret, qui aliunde non poterat. Quod tandem advertens *Gassendus*, dolebat quidquam repositum fuisse ab Amicis, *Nevræo*, inquam, & *Bernerio*, & vel Apologiam suam expungi Operum suorum catalogo æquo animo passus fuisset. Et præsertim si adversario suo supervixisset, ne Legem Solonis violasse videretur ἢ πεινηνέτε μὴ νακῆς αἰ γορδύειν; & illius Planci memor, cum mortuis nonnisi larvas luctari, vel Euripidis apud *Stobæum* *Grotio* Interprete,

*Mors*

*De Vita & Moribus Petri Gassendi.*

*Mors iurgiorum finis est mortalibus :  
Nam majus aliud letho quid potest dari ?  
Molem quis autem saxeam hasta verberans  
Cicat dolorem , mortuumve injuriis  
Frustra lacessens , nulla sensurum mala .*

Cæterum is ille *Nevræus* est , qui *Gassendi* Vitam unus potest immortalibus suis coloribus repræsentare . Aut *Franciscus Bernerius* , qui non solum stilo acutissimo confodit adversarium , *Muris ridiculi Anatomiam* faciens , & *favillam muris* dispergens , sed , quod pluris duco , qui secutus est optimum Præceptorem suum *Tolonam* , *Diniam* , & *Lutetiam Parisiorum* , lateri semper adhærens , nulla non reddens officia , & oculos demum mœstissimus tanquam parenti charissimo claudens . Inter Amicos istos ab annis hisce viginti sedem occupaverunt Viri duo *Gassendum* mirè ingenio & sapientia mihi nunc referentes , *Abrahamus Præaus* Medicus doctrina & judicio cum paucis conferendus , nisi *Socratem Hippocrati* superaddens utrumque *Φυσικὸν* facias ; cujus quoque in Testamento suo mentionem fecit *Gassendus* ; & *Thomas Martellus* , qui Philosophica studia negotiis publicis absorptus non intermisit , ut quam in Theoreticis disciplinis solertiam præbuit , in rebus agendis retinuerit . Par istud Amicorum nunquam divellebat *Gassendus* , & trigam ego sæpius faciebam . ex quo mihi conciliaverat amicitiam *Gassendi Samuel Petitus* Avunculus meus . Nam unà Philosophum nostrum adire solebamus , & domum reduces ejus aurea dicta excerpere , facta recolere , & in ejus mentem veluti descendere . Quod illis fanè non parum profuit ut in tantos Viros evaderent . Nèc recendus Filius tuus *Ludovicus Henricus* , qui tum summæ spei Adolefcens , jam Senator Parisiensis in Supremo Regni Senatu vaticinia *Gassendi* adimplere felicissimè cœpit . Adeò ut vestigia tua arctè premens , non solum Te , & *Habertos* omnes imitandos nunc sibi proposuerit ; sed vel in ipso literarum tyrocinio *Budaum* suum Græcè loquentem auditorio frequentissimo retulerit . Neque

semel jam memorasse sufficit illustrissimum Laudunensem Episcopum *Casarem Estraum*, eruditorum fautorem per-eruditum, qui non tantum doctrinâ labore partâ, vel Familiæ suæ splendore antiquissimo, verum innatis excultisque virtutibus totus circumfulget. Hunc Præsulem inter paucos *Gassendus* habuit amicissimum.

Redamavit præterea *Gassendus* egregios multos Viros, *Agiduum Menagium*, quem nominare toto orbe Terrarum celeberrimum ut sat laudum tribuam sufficit; *Conrardum*, humanissimum Virum, auctoribus optimis obstetricantem, ἀνοδιδάκτων, nec tantam Gallicæ facundiae summum Censorem, sed, quod stupendum, sine ullis Græcis Latinisve literis Veterum mentem ita affequutum, ut aliquando eorum Interpretes lapsuum & errorum monuerit; *Kneknium Digbium* Equitem Anglum, non minus doctrina & sapientia, quàm generis nobilitate, & dum res Regni stabant, publicis muneribus, Magni illius *Verulamii* desiderio patriam suam feliciter consolantem; quo Viro Româ redeunte donatus fuit *Gassendus* Telescopio *Eustachii* illius *Divini* arte elaborato, quod *Galileano* suo anteponebat; *Michaëlem Maarollium* Abbatem Villalupensem, oris præstantia, sed magis animi robore Heroas suos referentem, qui tot elegantissimorum Poëtarum Latinorum fidus interpres, patriam suam locupletavit quidem alienis opibus; verum privavit suis: nam Vir akti spiritus poterat eloquentiam quam in sætibus aliorum suscipiendis impendit in usus suos convertere, & ipse ex sæcundissimo ingenio suo plura promere immortalitate dignissima; *Ioannem Launoium* Theologum Parisiensem, qui Conciliis omnibus interfuisse videtur, unde aliis tot inaudita referre potest; *Franciscum Tallemannum* Abbatem Græcis adedò literis imbutum, & inamæna studiorum Aulæve læto risu, vocatis scilicet Camænis, temperantem; *Franciscum Barancium*, & *Baltazarem Monconissum* ad unguem factos homines, amara curarum eluere efficacissimos, quorum iste Regionem tot exteris lustravit, & tanta quidem cum perspicacitate; *Petrum Moinerium* nostrum διβαφορ, virtu-

*De vita & Moribus Petri Gassendi.*

Virtutibus subactam mentem, & maceratum bonis artibus ingenium in Aula nunc retinentem; *Franciscum Henry* Patritium Lugdunensem curiosissimum: cui quantum debeat editio ista nemini compertius quàm Tibi, *Mon-mori* illustrissime, quem sollicitudinum parte gravissima levavit Vir iste lucubrationum *Gassendiarum* ab interitu vindicandarum studiosissimus. *Guilielmum Barberium* quidni in partes vocem, Typographum egregium, qui Vitam Epicuri, & Animadversiones in X. Laërtij elegantissimè excudit, & doctos omnes ita deperit, ut fortunarum suarum rationem non habeat, si quid operæ præstandum sit; Vel *Petrum Guisonium* Cavallonensem, juvenem in Philosophicis & Mathematicis versatissimum; *Elzearium Carolum* Abbatem Avemiensem, egregium prudentiæ & moderationis exemplum; qui tot annos Aulæ fluctibus irrequietis ratim credidit, ut in eam quam assequutus est tandem tranquillitatem appelleret. Cùm primùm enim potuit extricare se molestissimis negotiis, Oceano illi infido æternum Vale dixit, & in Musæum suum sese abdidit, solis literatis Viris visendus; unde autem ipse, tanquam ex specula, videns nunc sua sine parte periculi suos maleficatorum hominum lusus, quibus tandiu iniquitate fati volens nolens interfuerat, ridet miseram ambitionem Aulicorum, qui foeda Magnatum mancipia, nec sui planè juris esse sciunt, nec dominos graves adsciscere æquo prorsus animo possunt. Verùm semper de Fortuna conquerentes, Fortunam tamen venerari non desinunt: cujus neque rictum vanissimum audent spernere, neque superba fastidia perpeti, aut procul amoliri queunt; *Capellam Luillerium*, cujus versus illi hendecasyllabi cultissimum ingenium satis supèrque monstrare videntur; *Franciscum Verdusum*, Patricia familia Burdigalensi natum, qui tutoris fraude adolescens amplissimo patrimonio privatus, scilicet *Dum peregrè est animus sine corpore velox*, solatium nunc quærit in bonis Artibus, quarum amorem agello & purpura potiorem habuit; Nobilissimum Virum *Alexandrum Delbenum* rerum ad Physicam spectan-

ſpectantium curioſiſſimum; *Ludovicum Nublaum* jurisconſultum tam probitate, quàm doctrina & rara engenij felicitate omnibus acceptiſſimum; *Balthazarum De Vias* Apollinem Maſſilienſem; *Carolum Pererium* doctis adeò verſibus ludentem, ſi quem Virum, aut Heroa Lyra, vel acri tibia ſumat celebrare; *Carolum Guillelum*, ſeu mavis, *Calvidium Latum*, quo primùm nomine vſurpato Callipædiam ſuam emiſit in lucem, an ſatis placeret opus elegantiſſimum probaturus; Et *Marinum Cureum Cambraum*, Medicum, qui primus Ariſtoteleam Philoſophiam & Platonica ratiocinia cultiore cultu ornata deduxit in Aulam noſtram; *Petrum Guilleminum* & *Carolum Sponium* Medicos quoque Lugdunenſes, non modò doctiſſimos, ſed feliciffimos, ſeu rectiùs dixerim, ut felicitatis iſtius cauſam complectar, ſapientiſſimos; *Petrum Petitum*, Regiis arcibus muniendis præfectum, cum quo gaudebat experimenta plurima Phyſica facere; *Ioannem Riolanum* Anatomicum percelebrem; *Renatum Moræum* & *Guidonem Patinum* Medicos, & Profeſſores Regios eruditiffimos; itèmq; *Claudium Martinum*, & *Jacobum Iouvinum* Medicos prudentiſſimos; *Jacobum Menteliam*, cujus nomini innatum videtur rariſſimorum inventorum laude aliquandiu privari: Artis enim Typographicæ inventionem luculentâ Diſſertatione majoribus ſuis demum aſſeruit; qui tamen rerum ſuarum, ut ait, negligens noluit amico noſtro jamjam nominando quidquam detrudere ejus quam meretur commendationis, quamvis conſtanter affirmare ſoleat, ante annos triginta, cùm *Bartholomæi Euſtachii* locum & *Herophili* apud Galenum legiſſet, quaſitum à ſe & inventum ductum Chyliferum. Verùm cùm non ſatis in illum adverterit, mavult adhuc ſenex & Medicus, quod proſus inſolitum, finire ut laus univerſa cedat juveni, per quem revera primam res clarè & diſtinctè omnibus innotuit. Nimirum magno Viro, & plura tamen habituro. convenit iſta neglectæ laudis jaçtura. Addam igitur, *Mentelio* annuente, ut agmen claudat, *Ioannem Pecqutum* Medicum, cujus gloriam à repertâ Chyli viâ invidendam

*De Vita & Moribus Petri Gassendi.*

videndam pronuntiabat; cùm laudaret prudentiam illustrissimorum *Fucquetorum*, quibus vir ille multis beneficiis devinctus operam suam addixerat. Nempe quod bonis bene fit beneficium, ea gratia gravis est bonis, & famæ suæ in posterum sapienter consulunt, quibus sola desunt certa pignora victuræ in æternum post funera laudis. Dilabuntur opes, corruunt ædes, numerosissima deficit aliquando familia: at inserta præclaris inventis nomina nunquam intereunt, & *Fucquetos* loquetur doctorum Mecænes *Pecqueti* liber exiguus, quo forsan tempore de iis, quæ in Republica gessere amplissimi rerum nostrarum administri, nulla erit memoria: Civitates maximæ & Regna florentissima subverti possunt: At genus humanum priùs universum deleatur oportet, quàm pereat ductus ille Chyliferus, & ignorentur illi, quorum munificentia *Pecquetus* honestum otium nactus iter Medicis ignotum aperuit. Verùm in Amicis *Gassendi* recensendis ne nimius sim vereor, qui paucos seligere constitueram; brevior autem futurus si vel integrum Volumen cunctis memorandis impendere vellem.

Quaquam nominare sufficit omni laude majores *Sammarthanos*, & *Valesios* Fratres. *Hugonem Grotium* τὸν πένυ, *Dionysium Petavium*, qui πολλῶν ἀντιξί, & ἄλλων, *Honoratum Fabrum*. Romæ nunc magnum Pœnitentiarium, *Petrum Burdinum* & *Ioannem Bertetum* Iesuitas, & innumeros alios, quos Religiosissima Societas quotidie fundit Viros doctissimos; *Iacobum Gassarellum* Maimonidem Christianum; *Petrum Fermatium* tam longo intervallo Vietam, *Diophantum*, & *Pythagoreos* omnes post se relinquentem; *Nicolaum Rigaltium*, *Philibertum Maraum*, & *Claudium Hardyem*, Senatores, Viros omniscios. *Hieronymum Bignonum* Ἡ γὰρ δὲ πὸ γλώσσης μέλι & γλυκίων ῥέει αὐδῆ. *Oppedam*, *Bois sieum*, *Donnevillæum*, *Roccam*, *Moleum*, *Thuanum*, *Memmium*, Senatuum Præfides: *Claudium Aurvrium* Constantiensem Episcopum, cujus indolem officiosam, media in Aula ferratos postes portasque uni Marti & Mercurio aperienti, laudat in Dedicatoria *Calendarij* sui, ad quem verò

\*\*\*\*\*

Gallicè

Gallicè Epistolam scripsit, firmandis multorum animis, qui Lutetiæ ingentem impendere ruinam arbitrabantur ab illo Solis defectu anni M. DC. LIV. quem harioli tantopere reformidandum prædicaverant. *Antonium Arbaudum Bargemonium Sистерicensem, Antonium Godellum Venciensem, & Iosephum Mariam Suaresum Vasio-nensem*, Episcopos pedo ligneo vere aureos; qui omnes *Gassendi* virtutem colere non dedignati sunt; ut majorum Gentium Deos omittam, Eminentissimos S. R. E. Cardinales *Barberinos, Franciscum*, inquam, qui *Musas ornans ornatur ab illis*, teste *Sangenesis* nostro, & *Antonium*, Solem illum beneficum, *Qui examine magno*, ut ejusdem Poëtæ verbis animi mei sensa exprimam,

*Doctas pascit Apes, & Terris mella ministrat.*

*Balneum, ἰσθῆρον Φῶτα, Ludovicum Alphonsum, Plessaum Richelium*, seu *θεὸν δὲ πὸ μηχανῆς, Ioannem Franciscum Paulum Gondium Retzium*, excelsi animi Mæcenatem, nec minoris facundiæ & eruditionis *Chrysoptomum*, qui *Gassendum* audire apud *Campinium* degentem solebat. Vel *Celissimum Borbonium* Principem *Contium*, per quem non stetit ut *Gassendus* frueretur Prioratu, quem ultrò dederat, cùm Indultarius superveniens Munificentiæ isti obicem opposuit. Aut Regiam *Virginem Aurelianensem* Heroïnâ, quæ per illustrem affinem tuum *Frontenaci* Comitem sæpius *Gassendum* salvere jussit. Et illustrissimam *Aguilonis* Ducissam, *Richeliorum* Neptem dignissimam, quæ bene valenti *Gassendo* Ruellium suum non semel obtulit, etiam philosophicis studiis nobilitandum, post agitata olim amænissimo in secessu negotia totius Europæ gravissima, quæ quidem sapientissima Fæmina illis totius Univerſi pluris non facit: admodum enim sollicita de fato Philosophiæ, *Gassendo* ægrotante, Medicum suum quotidie misit, non solum ut sciscitaretur quomodo se haberet; sed ut consilio juvaret, & cuncta quæ in locuplete Domo reperiuntur pellendo ciborum fastidio Heræ suæ nomine, testandóque tam diutini morbi dolori præsens larga manu offerret.

Supereffet jam ut de ista Operum *Gassendianorum* editione multa dicerem,

dicerem, quæ in laudem tuam omnino cederent, *Monmori* illustrissime, sed ne plurimus sim vetas. Tibi nempe commendavit moriens Author scripta sua, quæ in ordinem digessim tam aptum & concinnum, ut nullius rei præmonendus sit Lector in antecessu, quò facilius fruatur tantis opibus, tantâ scilicet bonæ mentis & eruditionis segete. Elegisti quoque Typographos diligentissimos, qui nullis sumptibus pepercerunt ut quam-primùm thesauro isto omnes potirentur, quibuscum autem egisti, Nobilissimo intercedente *Campinio*, per præclarum virum *Franciscum Henryaum*, cujus fidei Codices Manuscriptos committere voluisti ut in Musæum tuum redirent inter Cimelia tua pretiosissima asservandi: nempe cum tot voluminibus manu Patru tui exaratis, ex plurimis autem quæ Carthusianis cesserent, illius, inquam, *Petri Haberti* Cadurcensium Episcopi & Comitis illustrissimi, Dij cui divitias dederant, artemque fruendi, qui retinuerat, quod est difficillimum, ex Sapientia modum. *Antonii Poterii*, *Amanuensis* illius *Gassendo* charissimi patrocinium suscepisti, Familiæ tuæ orbatum Patrono adscivisti, & Lugdunum misisti, ut editionem maturaret, Typographicis operis præesset, Codices servaret, & quæ restabant digerenda juxta mentem tuam disponeret. Iconem Amici insculptam cælo *Nantolii* illius mores ipsos hominum exprimentis, toti Terrarum orbi suspiciendam curasti, & elegantissimo Epigrammate ornasti, quo paucis tersissimè complexus es ea omnia, quæ nos balbutiendo pluribus repræsentare non potuimus.

Manum igitur de tabula, ne modum excedere videamur. Quamquam enim non injussus calamo manum admoverim, tamen in publica commoda peccare non debeo, & tua vel aliorum tempora longo sermone morari. Perge porrò, Vir Illustrissime, de genere humano bene mereri, dum bonis impensè faves & philosophantium in ædibus tuis chorum moderaris. Regium illud sanè quod nuper suscepisti ad Physices arcana indaganda; unde summi Opificis laus emergere, & in usus publicos plurima commoda redundare poterunt. Utinam ulterius tam præclara cœpta procedant, & mentem

\*\*\*\*\*

tuam



tuam penitus assequantur, qui tantam assequuti sunt aliarum rerum cognitionem. Adsis Tu quoque præsens optime *Gassende*, ut modestiæ & sapientiæ tuæ semper omnium animis obversetur imago? Equidem post edita Opera tua nihil deerit quominus te totum videamus, neque tantùm vigiliis tuis & eruditione tua fruamur, sed & oculis perpetuò in sapientiam tuam defixis, illa potiore tui parte imitemur veram, cujus tam clarum exemplum præbuiti, philosophandi rationem. Intereris quoque, quâ Terræ patent, post innumerabilem annorum seriem studiis hominum ad bonam mentem contententium, ut si qui reperiantur olim, quos juvet adhuc barbarè vel meteoreticè philosophantium lectio, unum illud Ciceronis in redargutionem usurpari possit: *Qua est autem ista inter homines tanta dementia; frugibus inventis, ut glande vescantur!*

## I N D E X

### *Sectionum, Partium & capitum hujus Syntagmatis.*

De Philosophia universè Epicurus loquitur Pag. 1.

### Pars Prima, quæ est Canonica sive de Criteriis.

- |  |       |
|--|-------|
|  | 7.    |
| C A P. I. De Veritate, illiusque Criteriis.  | Ibid. |
| C A P. II. Canones de sensu, Criticorum Primo.   | 9.    |
| C A N. I. <i>Sensus nunquam fallitur, ac proinde est omnis sensus, omnisque phantasia, seu apparentia perceptio vera.</i>                                | Ibid. |
| 2. <i>Opinio est consequens sensum, sensuque superadjecta, in quantum Veritas, aut Falsitas cadit.</i>   | 12.   |
| 3. <i>Opinio illa vera est, cui vel suffragatur vel non refragatur Sensus evidentiæ.</i>   | 14.   |
| 4. <i>Opinio illa falsa est, cui vel suffragatur vel non refragatur Sensus evidentiæ.</i>  | 15.   |
| C A P. III. Canones de Prænotatione, Anticipatione, Criticorum altero.   | 17.   |
| C A N. I. <i>Omnia, quæ in Mente est, Anticipatio dependet à Sensibus; idque vel incurfione, vel proportionem, vel similitudinem, vel compositionem.</i> | Ibid. |
| 2. <i>Anticipatio est ipsa rei notio, &amp; quasi definitio: sine qua quicquam</i>   |       |

quam querere, dubitare, opinari imò & nominare non  
licet. 18.

3. Est Anticipatio in omni Ratiocinatione, principium, quasi nempe id, ad quod attendentes, inferimus unum esse idem, aut diversum, conjunctum, aut disjunctum ab alio. 19.
4. Quod inevidens est, ex rei evidenti Anticipatione demonstrari debet. 20.

**C A P. IV. Canones de Affectione, Passioneve, Criteriorum postremo. 21.**

**C A N. 1. Ea Voluptas qua nullam habet annexam Molestiam, amplectenda est. Ibid.**

2. Ea Molestia, qua nullam habet Voluptatem annexam, fugienda. Ibid.

3. Ea Voluptas, qua aut majorem Voluptatem impedit, aut graviores Molestiam parit, fugienda. Ibid.

4. Ea Molestia, qua aut majorem avertit Molestiam, aut Voluptatem uberiores creat, amplectenda. 22.

**C A P. V. Canones circa usus Vocum. Ibid.**

**C A N. 1. Dum loqueris, delige Voces communes, & perspicuas; ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando tempus frustra scias. Ibid.**

2. Dum audis, id emitte, ut vim subjectam vocibus teneas, ne te, vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant: 23.

## Pars Philosophiæ secunda, quæ est Phyfica, seu de Natura. 24.

### S E C T I O I.

De Universo seu Natura Rerum. 26.

**C A P. I. Constare universum ex corpore & inani seu loco. Ibid.**

*Gassendi Animadverso I. de Animorum immortalitate. 29.*

*Ejusdem Animadverso II. de forma qua Deum apprehendimus. 72.*

**II. Esse Universum infinitum immobile, immutabile. 91.**

*Gassendi Animadv. 1. An non Mundus hic pro Universo sit habendus. 93.*

*Ejusdem Animadv. 2. Esse Deum autorem seu causã productricem mundi. 107.*

*Ejusdem Animadv. 3. Esse Deum rectorẽ seu causã gubernatricẽ mundi. 129.*

**III. De Divina in Universo natura. 147:**

*Gassendi Anim. 1. Cujusmodi sint quas in Deo intelligimus Perfectiones. 151.*

*Ejusdem Anim. 2. Dari inter causas unã omnium primã, seu, Deum esse. 173.*

*Ejusdem Anim. 3. De usu partium in Animalibus. 184.*

*Ejusdem Anim. 4. Regere Deum speciali cura Humanum genus. 209.*

IV. De Prima Materia seu de Principiis concretarum rerum.	227.
V. Dari in natura rerum Atomos, quæ sunt corporum principia	238.
<i>Gassendi Animadversio. Quid sit, &amp; qua necessitate materia prima exigatur.</i>	240.
VI. De Atomorum proprietatibus, magnitudineque imprimis.	254.
VII. De Atomorum Figura.	257.
VIII. De gravitate seu pondere, ac multiplici motu Atomorum.	258.
IX. Atomos, non item vulgaria Elementa, aut Homæomera, esse prima Principia Rerum.	261.
X. De Prima & radicali Concretionum causa: hoc est, de Agente, sive Efficiente.	263.
XI. De Motu, qui idem cum Actione, Effectioneve est, ac de Fortuna, Fato, Fine, & Sympatheticis, Antipatheticisque Causis.	264.
XII. De Rerum concretarum Qualitatibus generatim.	267.
XIII. Qualitates ex Atomis, spectatis secundum substantiam, ac Inanis interceptionem.	269.
XIV. Qualitates ex Atomis, spectatis secundum proprietates singularem sumptas.	270.
XV. Qualitates ex Atomis, spectatis secundum proprietates conjunctim acceptas.	272.
XVI. De eis Qualitatibus quæ habentur rerum Eventus; ac præsertim de Tempore.	275.
XVII. De Ortu & Interitu, seu Generatione & Corruptione rerum Concretarum.	277.
XVIII. De ijs, ob quæ genitum corpus in certo rerum genere est, & discernitur à cæteris rebus.	281.

## S E C T I O S E C U N D A.

### De Mundo.

CAP. I. De Forma & Figura Mundi.	<i>Ibid.</i>
II. De Novitate Mundi.	286.
III. De causa Mundi.	287.
IV. De exortu Mundi.	289.
V. De obeunte suas vices Mundo.	292.
VI. Obiter de geniis, seu Dæmonibus?	294.
<i>Petri Gassendi Refutatio. Quid sentiendum de Divinatione, seu præsentione rerum futurarum merè fortuitarum.</i>	296.
VII. De Fine seu interitu Mundi.	332.
VIII. De infinitis Mundis.	335.

## SECTIO TERTIA.

De Rebus humilibus, seu Terrenis.

	337.
<b>C A P. I.</b> De Terra in medio Mundi consistente.	338.
II. De Terræ motu, ac obiter de Ætnæo incendio.	340.
III. De Mari, Fluvijis, Fontibus, & de inundatione Nili.	342.
IV. De Aquarum quarundam proprietatibus, & de Glacie.	344.
V. De Terrenis Rebus Inanimis.	345.
VI. De Magnete specialiter.	347.
VII. De Animalium Generatione.	349.
VIII. De usu partium in Animalibus.	352.
IX. De Anima, quæ Animalium interna est forma, seu motu.	354.
X. De Sensu, qui est Animæ quasi Anima, universè.	357.
XI. De Visu, deque Simulacris ipsum incurrentibus.	360.
XII. Peragi Visum intercedentibus hujuscemodi Simulacris.	363.
XIII. De Auditu.	365.
XIV. De Olfactu.	367.
XV. De Gustatu.	368.
XVI. De Tactu.	370.
XVII. De Animo seu Intellectu, Mente, Ratione, illiusque sede.	371.
XVIII. Non cogitare Animum, nisi per simulacra incurrentia.	372.
XIX. De Affectibus, seu Passionibus Animæ.	374.
XX. De motu voluntario, ac Loquutione Nominumq; impositione;	377.
XXI. De Somnis & Infomniis.	380.
XXII. De Morte.	383.

## SECTIO QUARTA.

De Rebus Sublimibus, tam Cælestibus quàm Aërcis.

	386.
<b>C A P. I.</b> De Substantia, & varietate Siderum.	389.
II. De magnitudine & figura Siderum.	391.
III. De Motu, & Anteversione, conversioneque Siderum.	393.
IV. De ortu occasu siderum; & Dierum Noctiumq; longitudine.	395.
V. De siderum Luce; & de Phasibus & Maculis Lunæ.	397.
VI. De siderum Eclipsibus, periodisque ipsarum statis.	399.
VII. De præsignificationibus Siderum.	400.
VIII. De Cometis, seu Stellis crinitis, & de vocatis Cadentibus.	401.
IX. De Nube.	403.
X. De Vento, ac Prestere.	404.
XI. De Fulmine.	405.
XII. De Fulgure & Tonitru.	407.
XIII. De Pluvia & Rore.	409.
XIV. De Grandine, Nive & Pruina.	410.

XV. De Iride & Halone.	411.
XVI. De Avernis.	412.
XVII. De Pestilentia.	413.

## Pars Philosophiæ Tertia, quæ est de Ethica, seu de Moribus. 415.

CAP. I. De Felicitate, quatenus illius homo capax est.	417.
II. Voluptatem, sine qua notio Felicitatis nulla est, rem bonam suapte natura esse.	419.
III. Felicitatem, universè in Voluptate consistere.	422.
IV. Voluptatem, in qua Felicitas est, esse Indolentiam corporis, & Tranquillitatem Mentis.	424.
V. De iis quæ hanc Felicitatem seu Voluptatem pariunt, ut cum primis virtutes sunt.	427.
VI. De Recta Ratione ac Libero Arbitrio, à quo laus omnis Virtutum est.	429.
VII. De Virtutibus ipsis generatim.	432.
VIII. De Prudentia universè.	434.
IX. De Prudentia privata.	436.
X. De Prudentia domestica.	438.
XI. De Prudentia civili.	441.
XII. De Temperantia universè.	443.
XIII. De Sobrietate adversus Gulam.	446.
XIV. De Continentia adversus Libidinem.	450.
XV. De Lenitate adversus Iram.	453.
XVI. De Modestia adversus Avaritiam.	456.
XVII. De Moderatione adversus Avaritiam.	457.
XVIII. De Mediocritate inter Spem desperationemque futuri.	460.
XIX. De Fortitudine universè.	463.
XX. De Fortitudine contra metum Numinis.	465.
XXI. De Fortitudine circa metum Mortis.	467.
XXII. De Fortitudine adversus Corporis dolorem.	470.
XXIII. De Fortitudine aduersus Animi ægritudinem.	573.
XXIV. De Justitia universè.	475.
XXV. De Jure, Justo, à quo Justitia dicta.	477.
XXVI. De Origine Juris, ac Justitiæ.	480.
XXVII. Quos inter Jus, ac Justitia versetur.	283.
XXVIII. Quàm merito Jure Justitia colatur.	487.
XXIX. De Beneficentia, Gratitude, Pietate, Observantia.	490.
XXX. De Amicitia.	492.

# PHILOSOPHIAE EPICURI SYNTAGMA.

## PRÆFATIO.

**B**revem Epicuri Philosophiæ Syntaxin exhibeo, quâ serie mihi jam occurrit (otio quidem majore posset & congeri plenius, & distribui clarius) utpote, quæ neque aliena ab Epicuri methodo sit, neque tamen habeatur illi adeò scrupulosè illigata, ut non, sicut ipse Epicurus ordinem eundem in eadem re pertractanda non semper tenuit, & Lucretius quoque non illum absque immutatione servavit, ut non, inquam, ut ar eâ libertate, quâ pleraque emoveam, transponam, & quâ esse videbitur magis commodum, interjiciam. Inducam autem Epicurum uno tenore, suisque verbis totâ serie philosophantem; quatenus quidem ea verba existant apud Laertiam, M. Tullium, Senecam, &c. Authores alios; nisi quòd, ut res evadere possit aliquantò concinnior, admitar meis ea colligere, quæ haberi alioquin possent quasi confusa rudera, & scopæ quadam dissolutæ. Attribuam verò ipsi Epicuro, si quid dictum à Metrodoro, Hermacho, Colote, aliove quopiam ex illius Sectatoribus fuerit; quando Apud istos, ut Seneca habet, quicquid dicit Hermachus, quicquid Metrodorus, ad unum refertur: & Omnia, quæ quisquam in illo contubernio loquutus est, unius auspiciis dicta sunt. Attribuam quin etiam ea, quæ videbuntur esse aliquando supple-

P R Æ F A T I O.

da, decerpendaque ex Lucretio: quoniam & Lactantius (tamen si verbo sanè illaudato) Epicuri, inquit, sunt omnia, quæ delirat Lucretius; & Lucretius ipse cum opere toto id satis declarat, tum his speciatim versibus:

— inque tuis nunc

Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Et

— tuisque ex inclute chartis

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Et

Cujus ego ingressus vestigia, nunc rationes

Prosequor.

Fiet quoque, ut interdum, ubi sententia erit obscurior, neque usquam apud Authores satis disertè explanata, ipsam meis verbis declarem, & ad Epicuri mentem sic accommodem, ut nihil ipsi non congruum sit. Vnum est, quod admoneam te, ut sollicitè nempe attendas ad ea capita, quibus Epicurus quidpiam proferet Fidei Sacra dissentaneum, ubi apposuimus ea qua in libris Physicis, à nobis refutata sunt; ne quidquam mali absque remedio presentaneo excipi possit. Scilicet ut possit ejus Philosophia, quantum quidem ferunt relicta vestigia, integrè cognosci, nihil esse videtur ex ea rescindendum, suppressendumque; ut neque fieri moris est in Aristotele, aliisque (ac in ipso etiam Lucretio) quorum eduntur libri integri, & ne adjunctam quidem habent errorum, qui adversus Fidem in iis leguntur, repressionem. Quod superest, & ne longum faciam, cedo ecce Epicuro, ut loquatur, locum.

D E



D E

# PHILOSOPHIA UNIVERSE.

EPICVRVS LOQVITVR



Philosophia, seu studium Sapien-  
tiæ, est Rationis exercitatio, quâ  
meditando, colloquendoque vi-  
tam beatam parat, eâque fruitur.  
Nempe Philosophia id speciale ha-  
bet præ cæteris Artibus, ut operis  
finem pro suo fine habeat, illum-  
ve sic spectet, ut ipso fruatur.

Cùm beata autē Vita consistat in  
Animi tranquillitate, & indolen-  
tia corporis, sed in illa potissi-  
mùm (quatenus sunt Animi bona potiora bonis corporis, uti & ma-  
la sunt deteriora malis) idcirco Philosophia Animi præsertim me-  
dicina est, prout ipsi reddit ac tuetur sanum; scilicet ejus sani-  
tas ipsamet tranqui'litas est.

Quare & heinc efficitur, ut neque debeat Juvenis philosophan-  
di trahere moram; neque Senex ullatenus philosophando defa-  
tigari. Quippe ad habendum sanam Mentem nemo immaturus,  
aut vietus est; & qui præterit philosophandi tempus aut non-  
dum adesse, aut jam præteriisse; non secus facit, ac is, qui di-  
cit, bene, beateque vivendi tempus aut nondum adesse, aut  
esse elapsum.

A 2

Phi-



Philosophandum itaque & juveni & seni est; illi quidem, ut dum senescet, perseveret bonis efflorescere: ob perseverantem eorum, quæ decorè eatenus peregerit, gratiam; isti verò, ut annis senex, animis tamen juvenis sit, quatenus erit à futuris, impendentibusque securus.

Nempe Philosophia est sola, quæ sui cultores fidentes, & ab omni vano timore facit liberos; ipsique adeo servendum est, ut contingat vera libertas.

Felices ij tamen, qui eo corporis, animique habitu sunt, aut in ea gente nascuntur, ut possint sive ex seipsis, sive impulsu ab aliis Philosophiæ operam dare, & Veritatem prosequi, cujus assequutione Homo verè liber, seu sapiens, sibi que imperiosus efficitur.

Siquidem, triplicis sunt notæ, qui Animum huc applicant. Sunt enim quidam, qui ad Veritatem sine ullius adjutorio exeant. Sunt, qui operâ alienâ indigeant; non ituri, si nemo præcesserit, bene sequuturi. Sunt, qui cogi ad rectum, compellique possint; quibus non duce tantum opus est, sed adjutore, & ut ita dicam, coactore:

Ac sunt primi quidem maximè laudandi; verumtamen egregium quoque secundæ fortis ingenium; ac ne genus quidem tertium fastidiendum. Cùm certè ex secundo fuerit Metrodorus, ex tertio verò Hermachus; ut illi magis gratulor, ita istum magis suspicio; quoniam quamvis ad eundem finem uterque pervenerit, tamen major est laus idem effecisse in difficiliore materia.

Cùm nihil verò esse Philosopho debeat ipsâ Veritate antiquius; idè is ad ipsam rectâ tendet viâ, & nihil neque finget, neque ab aliis fictum admittet; quoniam nullum figmenti genus Veri professoribus convenit; ac ne probanda quidem videtur illa Socratis Ironia perpetua, quâ effert in Cælum laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros: se autem rerum omnium inscium fingit, & rudem.

Quò minùs profecto oportuit confingi à Philosopho illam fabulam de Ero Armenio. Cur enim, si rerum Cælestium notionem, si habitum nos Animorum docere voluit; non simplici, & absoluta hoc insinuatione curatum est; sed quæ sita persona, casusque

susque excogitata novitas, & composita advocati scena figmenti, ipsam quærendi Veri januam mendacio polluerunt.

Hac ergo de causa Vir sapiens neque Poëtarum fabulas audiet, neque ipse Poëmata fabulosa elucubrat. Quin-etiam Oratorum technas, fucosq; averfabitur; ac ut nihil aliud ex Grāmatica, quàm orationem congruam, sic ex Rhetorica nihil aliud, quàm perspicuā exigens, dictiōe utetur simplici, atq; familiari, & sive Scholam aperiat, sive libros scribat, sive rogatus scriptorum quid coram multitudine legat, cavebit, ne id Panegyricè, atque Hyperbolicè fiat.

Quandoquidem verò ex philosophantibus quidam sunt, qui circa Veritatem nihil certi tradant, sed de omnibus dubitent; quidam, qui omnia sciri putent, ac indiscriminatim affirmant: videtur Sapiens, & qui germanè philosophari instituit, sic se habiturus, ut non asserat quidem omnia; sed quæpiam tamen Placita rata, & de quibus non sit hærendum, defendat.

Nam quoties quidem aliqua sunt, quæ possunt multis peragi modis, uti Eclipses Siderum, uti eorumdem ortus, occasus, sublimiaque cætera; tunc unum modum ita probare, ut improbentur cæteri, ridiculum profectò est; at quoties agitur de iis, quæ nisi uno modo esse non possunt, aut fieri, cujusmodi sunt illa Effata, *Ex nihilo nihil fit; Universum ex Corpore, & Inani constat; Principia rerum sunt insectilia*; cæteraque hujusmodi; tunc quoque perabsurdum est iis non firmiter adhærere.

Hinc fit ut sit Sapientis proprium, sicut in illis multiplicem, sic in istis modum unicum tueri, ac non vacillare, neque à quæsito semel Sapienti discedere. Videlicet, secus, ac illi, qui quasi ex legis præscripto agentes, non ut ipsæ resexigunt, de Natura philosophantur, ac ideò à recto tramite excedunt, & ad fabulas delabuntur: non advertentes, ut ad vitam nihil conferat, aut Placita propria jactare, aut inani gloriâ gestire, sed animo inperturbato esse.

Cæterum cum duæ præcipuè statuantur Philosophiæ partes; una Physica, quæ in Naturæ contemplatione sit; altera Ethica, quæ in dirigendis ad beatam vitam moribus versetur: patet profectò, aut Ethicam universalem esse Philosophiam; aut physicam quidem in partem venire: verum quatenus ipsa quoque ad beatam vitam conducit.

Nam

Nam, si nihil quidem nos conturbarent, quæ suspicamur, veremurque à rebus illis Sublimibus, ac etiam à morte quasi aliquid pertineat ad nos. Si item satis caperemus, qui sint cupiditatum fines, & quousque dolor, qui est ex illis, sedandus sit; nihil Physiologia, hoc est, Naturæ explicatione indigeremus.

Verùm, quia fieri non potest, ut tantum bonum, nisi perspectâ rerum naturâ assequamur, sed ut pueri in tenebris trepidant, ac nihil non metuunt, ita nos miserè versantes in ignorantiae caligine, ea timeamus, quæ fabulosa, ac magis metuenda non sunt, quàm quæ pueri in tenebris pavitant, & futura fingunt; idè est necesse, ut terrorem hunc, tenebrasque has Animi, non ipsi sanè radii Solis, sed Naturæ species, ac ratio; seu, quod idem est, Physiologia discutiat. Est ergo etiam Physica ut pars Philosophiæ habenda.

Quam aliqui autem præterea, quasi tertiam partem, Dialecticam addunt; ea repudianda idcirco est, quòd, quatenus quidem vulgò traditur, nihil aliud quàm spinas vellat, inanis loquacitas sit, & cavillorum officina; imò & quòd sit etiam superflua, ob finem, quem præstituant: ut videlicet Physicorum ratiocinia percipere, & dijudicare possimus: quoniam nulla aliâ ad hoc re est opus quàm ut Physici & consuetis & perspicuis rerum vocibus utantur.

Quod si quidpiam præterea esse videtur utile, id esse aliud nihil potest, quàm collectio Canonum, Regularumve quarumdam paucarum, quæ ut de ipsis vocabulis, sic de Criteriis, quibus solemus res dijudicare, tradantur.

Quo pacto vice perosæ, prolixæque Dialecticæ, haberi hæc brevis Canonica potest; & aut reputari Philosophiæ pars (tametsi minùs præcipua) aut haberi veluti quædam accessio facta Physicæ: quippe quasi ad illam brevis introductio.

## P H I L O S O P H I Æ

## P R I M A,

## Q U Æ E S T

## C A N O N I C A, S I V E D E C R I T E R I I S.

**I**Taque, ut inde exordiamur; cum omnis, quæ in Philosophia excitatur quæstio, aut de Re, aut de Voce sit, & ad illius solutionem varijtradi Canones valeant; ideò pars Philosophiæ prima illos continens, vocari *Canonica* potest.

Quia verò de Voce non aliud quàm usus, significatiove ejus quaeritur; de ipsa Re verò ejus veritas, quæ est quid abstrusum, investigatur; ideo complexuri *Canonibus* paucis, quæ ad usum Vocum attinent, plusculos priùs afferemus de ipsa Veritate, ejusve Criteriis; sed ubi tamen pauca præfati de illa, ac de his fuerimus.

## C A P U T P R I M U M.

*De Veritate, illiusque Criterijs.*

**I**Nitio ergo Veritas intelligi potest, ac distingui duplex; una Existentiæ, Existentiæve; & Enunciationis, seu Judicii alia.

Veritas Existentiæ ea est, quâ unaquæque res in ipsa rerum natura existans, est id ipsum, quod est, nihil verò aliud. Vnde & nulla Falsitas huic Veritati opponitur (neque enim orichalcum, v. c. falsum aurum est, sed verum orichalcum) nihilque adeò differt, aliquidne existans, existensve dicas, an verum.

Veritas autem Enunciationis, seu Judicij nihil aliud est, quam  
confor-

conformitas enunciationis or factæ, aut judicij mente peracti, cum ipsa enunciata, seu judicata re.

Veritas verò ista est, cui opponitur Falsitas: nam, ut verum est, quod ita se habet, ut se habere dicitur; sic falsum, quod ut se habere dicitur, non ita se habet.

Obiter porrò circa id, quod *Contingens futurum* vocant, veræ sunt quidem quæ dicuntur ex contrariis disjunctiones, seu complexiones majoris, quæ fiunt per disjunctivas particulas; veluti si dicatur, *aut vivet cras Hermachus, aut non vivet*, at quæ in his enunciantur (seu oppositorum membrorum) neutrum verum est; neque enim ulla est in natura necessitas, ut Hermachus cras vivat, neque iterum, ut non vivat.

Ad-hæc, quoniam res, cujus veritas quæritur, aut ad solam speculationem, aut ad vitæ actionem spectat, & priore modo scientiæ Naturalis, posteriore Moralis est, idcirco habendum Criterium, sive judicandi instrumentum est, quo utrovis modo expendi, judicari, cognosci possit.

Cæterum, quia res Naturales, aut Sensu, aut Mente, & res Morales, ipso Affectu, Appetitûve, percipiuntur, idè ex parte istorum accipienda Criteria sunt.

Et ex parte quidem Sensus, non potest aliud accipi, quàm ipsa ejus functio, seu Sensio, quæ ipsa quoque Sensus nomine donatur.

Ex parte autem Mentis, quia præter functionem, quam habet, dum rem quasi præsentem, & apparentem, Sensus instar contuetur (unde & perceptio apparentiæ, seu ejus, quod res tam Menti, quam Sensui esse apparet, Phantasia vocatur) quia, inquam, præter hanc functionem, Mentis proprium est, ut ratiocinetur: idè exigitur Prænotio, seu Notio quædam anticipata, ad quam respectando, quidpiam inferatur.

Ex parte denique Affectus, sive Appetitus, cujus proprium est proficui, aut refugere aliquid, aliud accipi, quam ipsa affectio, seu passio non potest, eaque aut alliciens, ut putà Voluptas, aut avertens, utputà Molestia, seu Dolor.

Itaque tria sunt omninò Criteria, Sensus nimirum, sive Sensio; Prænotio, seu Anticipatio; & Affectio, seu Passio, de quibus singulis proinde Canones aliquot sunt tradendi.

## CAPVT II.

*Canones de sensu Criteriorum primo.*

**A**C Ut primum quidem de Canonibus, quæ ad sensum spectant, dicamus, ij statui posse videntur quatuor.

## CANON I.

*Sensus nunquam fallitur, ac proinde est omnis Sensio, omnisque Phantasia, seu apparentia perceptio vera.*

**I**D verò probatur imprimis, quoniam omnis Sensus ratiocinationis est expers, recordationisque prorsus incapax, quippe cum neque à seipso moveatur, neque motus ab alio, addere quidpiam detraheréve, sive enunciando copulare, aut disjungere, concludendóve inferre valeat, ut propterea possit quidpiam opinari, aut opinando falli. Scilicet Mens quidem id potest, at non ipse Sensus, cujus proprium est id solam, quod est præsens, quodque ipsum movet, apprehendere, ut Visus objectum colorem, non item verò discernere illud quidem esse, quod heic, aliud, quod illeic subicitur. Nudè porrò apprehendentis, nihilque omninò pronuntiantis neque mendacium, neque falsitas est.

Deinde, quia nihil est, quod refellere, falsive arguere ipsos Sensus possit. Neque enim sensus genere similis similem genere refellet, ut visus dextri oculi visum sinistri, aut visus Platonis visum Socratis: idque propter æquipollentiam, seu quod par ratio utriusque sit, neque enim lippus minus videt id, quod videt, quàm Lynceus id videt, quod videt: Neque genere dissimilis genere dissimilem, ut Visus Auditum, Gustatus Olfactum: quoniam diversa objecta habent, ferendóque iisdem de rebus iudicio minimè inserviunt. Neque item una sensio ejusdem sensus aliam, quoniam nulla est, quâ non afficiamur, cuique, donec ipsâ afficiamur, non adhæreamus, assentiamurve, ut dum baculum nunc extra aquam rectum spectamus, ex parte immersum recurvum contuemur, neq; enim quantum vis nitamur,

mur; aut in priore statu curvum, aut in posteriore rectum videre fas est: Neque denique ratio, seu ratiocinatio; quoniam omnis ratiocinatio à præviis pendet sensibus, oportetque sensus prius esse, quàm ipsam rationem iis innixam, verò.

Confirmatur autem, quia Sensus est Criteriorum primum, ad quod provocare quidem à cæteris licet; ipsum verò debet constare per se, ac manifestæ esse veritatis. Nam si falli quidem omnem sensum dixeris, deerit tibi Criterium, quo vel id ipsum de aliquo sensu particulari dijudices, ac probes. Sin aliquem solummodò, perplexa te disputatione intricabis, dum requiretur, quis, quomodo, quando fallatur, aut non fallatur sensus, adeò ut cùm dirimi controversia non valeat, necesse sit omne Criterium tibi excidat. Unde & inferre licet, si ullum Sensibus visum falsum est, nihil percipi posse, seu (ut aliis verbis dicam) nisi omnes Phantasiæ, nudæve rei perceptiones sint veræ, actum esse de fide, constantia, atque iudicio Veritatis. Nam qui Phantasiarum inducunt discrimen, probare hoc ipsum non possunt, esse videlicet ex iis alias quidem veras, alias autem falsas. Neque enim probabunt ulla re apparente, quoniam quæstio est de rebus apparentibus; neque ulla immanifesta, quoniam quod est immanifestum, per quidpiam apparens demonstrandum est.

Confirmatur iterùm, quia sublatâ Sensuum certitudine, atque adeò germanâ rerum cognitione, & scientiâ, tollitur omnis & vitæ degendæ & rerum gerendarum ratio. Nam ut in fabrica, si regula prima sit prava, si norma fallax, si libella claudicans, fieri mendosè omnia, atque evadere obstipa, absonaque necessum est; sic omnia in vita præposterè fiant, ac evadant perturbationis, confusionisque plena oportet, si quæ est habenda, quasi prima regula, norma, ac libella in dignoscendis bonis, ac malis, iisque, quæ agenda sunt, aut non agenda discernendis, prava, atque perversa sit; hoc est certitudine, quæ illius quasi rectitudo est careat. Ex quo proinde efficitur, ut licet ratio, exempli gratiâ, explicare causam non possit, cur ea, quæ juxtim quadrata sunt, rotunda procul appareant, præstet nihilominus balbutire, & mendosè dicere causam; quàm fidem primam labefactare, & fundamenta convellere, quibus vitæ constantia, incolumitasque ita nititur, ut nisi Sensui credere ausis, non sit, quo caveas, ut præcipitium, perniciemve aliam devites.

Tertiò

Tertiò, quia veritas Sensuum, vel ex eo patet, quòd eorum functiones in ipsa rerum natura existent, seu reipsà verèque sint; quippe videre nos, & audire, tam est aliquid, quod reverà est, quam ipsum dolere, nihilque, ut mox dictum, discriminis est, seu quid extans dicat, seu verum.

Sanè, ut res paulò uberius dicatur; quemadmodum primæ passionis, Voluptatis putà, & Molestiæ, pendent ab aliquibus causis ipsas efficientibus, ac ob hujuscemodi causas in ipsa rerum natura constant; videlicet Voluptas pendet à rebus jucundis, Molestia verò à molestis: & neque contingit illud, quod efficiens est Voluptatis, non esse jucundum, neque quod Molestiam exhibet, non esse molestum; sed necesse est, quod Voluptatem creat, jucundum; quod, Molestiam, molestum secundùm naturam sit. Eadem ratione circa passiones Phantasiarum, quæ fiunt in nobis, quicquid cujuslibet illarum efficiens est prorsus, omninòque est tale, ut sit Phantasiæ efficiens; & tale cùm sit, effici non potest, ut aliud evadat, quam cujusmodi deprehenditur id, quod Phantasiæ est effectivum. Idem porrò speciatim est de singulis existimandum; quippe quod est visibile, id non apparet modò visibile, sed tale etiam est, quale & videtur; & audibile non modò apparet audibile, sed reverà quoque est tale, atque ita de cæteris. Quare omnes Phantasiæ veræ, & congruè quidem ad rationem fiunt.

Exinde autem patet, visa quoque tam delirantium, quàm somniantium ea de causa vera censerì, quòd reverà sint, seu reipsà existent, siquidem facultatem movent, cùm id quod non est, nullatenus moveat; adeò proinde ut in Natura necessitas sit quâ speciebus rerum, quæ in Mente, aut Imaginatione recipiuntur, tali modo motis, commissis, turbatis, non possint talia visa non fieri, quicquid postea sit de opinione, quâ res tales esse in se, quales apparent, judicantur, & de qua dicendum jam est.



## C A N O N II.

*Opinio est consequens Sensum, sensationique superadjecta, in quam Veritas, aut Falsitas cadit.*

**P**Robatur id autem, quia, exempli gratiâ, dum turris apparet oculo rotunda, Sensus quidem verus est, quia reverâ specie rotunditatis afficitur, eâque species & talis est, & causam habet necessariam, propter quam in hujusmodi distantia sit talis. Non fallitur autem, quia talem esse turrim non pronuntiat, sed passivè solùm se habet, speciem accipiens, ac referens dumtaxat, quid sibi appareat. Verùm Opinio, seu mayis, Mens, cujus est opinari, seu judicium ferre, quatenus addit, quasi de suo, turrim esse id, quod Sensui apparet, seu esse turrim in se, & reverâ rotundam; Opinio, inquam, ipsa est, quæ vera esse, aut falsa potest.

Quocirca & inferre licet, omneis quidem Phantasias, seu sensationes, quibus res apparentes percipiuntur, veras esse; sed Opinionones quod attinet, admittere ipsas aliquod discrimen; quippe aliarum verarum, aliarum falsarum sunt, quatenus sunt nostra judicia Phantasias superaddita, & nos quædam rectè, quædam perperam judicamus: ob id scilicet, quòd Phantasias addatur, imputeturque aliquid, aut aliquid etiam ipsis detrahatur, ac universè Sensus, qui ratiocinii expers est, mendaciter insimuletur.

Nonnullos autem decipit ea Phantasiarum, quæ ab eodem contingere sensibili, (ut aspectabili, v. c.) existimatur, diversitas, juxta quam subjectum aut alterius coloris, aut alterius figuræ, aut alio quodam modo immutatum apparet. Reputant enim discrepantium, pugnantiùmque sic Phantasiarum, aliam quidem esse oportere veram, aliam verò esse ex opposito falsam; quod stolidum profectò est, ac Hominum, qui ipsam rerum naturam non considerant. Non enim totum solidum, seu tota ipsa corporis soliditas est, quæ videtur (ut verba faciamus de visibilibus) sed ipsius solidi color. Coloris verò aliud quidem est, quod in ipso est solido, qualeque apparet in iis, quæ propè, aut mediocri ex intervallo conspiciuntur; aliud, quod extra solidum (utpote dimanans ab ipso species, seu simul-

simulacrum) recipiturque in locis ordine succedentibus, qualéque apparet in iis, quæ ex intervallo prolixo spectantur. Hoc autem posterius in spatio intermedio immutatum, propriamque assumens figuram, talem Phantasiam exhibet, quale ipsum reverâ est.

Quo ergo modo neque vox, quæ in ære pulsato est, neque ea, quæ in ore est vociferantis exauditur, sed ea, quæ in sensum nostrum incidit (nempe idem esse in duobus distitis subjectis non potest:) quemadmodum nemo dicit eum falsò audire, qui ex intervallo seu distantia vocem exiguam percipit, quoniam cum propiùs accesserit, eam percipit quasi majorem: sic neque Visum dixerim falli, quòd eminus turrim parvam videat, ac teretem, cominùs majorem, & quadrangularem: sed ipsum potiùs se verè habere, quoniam quando ipse sensibile parvum, ac hujusmodi figuræ apparet, parvum ibi reverâ est, ac hujuscemodi figuræ, fractis nempe simulacrorum ipso per aërem trajectu extremis, ac ad eò angulo minore in oculum subeuntibus) & rursus quando magnum apparet, figuræque alterius, illeic' rursùs & magnum est, & alio modo figuratum: videlicet idem utrobique non est (utputà heic jam integrioribus, & majore angulo in oculum subeuntibus simulacrorum extremis.) Cæterùm enim illud jam perversæ opinionis est, existimare id, quod propè; procúlque spectatum apparet, oculúmve afficit, idem esse.

Non est verò etiam, cur falli Visum dicant, cùm videmus umbram in Sole moveri, sequi nostra vestigia, ac gestus nostros imitari. Siquidem aliud nihil est umbra, quàm aër lumine privatus; & quia procedentibus nobis, Terra succedenter nunc heic, nunc illeic' privatur Solis lumine, uti & quæ erat antè privata, id succedenter recuperat; fit quidem, ut umbra videatur & locum mutare, & nos consequi, at non id eò tamen oculi falluntur, quatenus illorum solummodò est, contueri lucem, contueri umbram, quocumque tandem loco sit; pronunciare autem eam lucem, vel umbram, quæ heic est, eandem esse, aut aliam, quæ mox fuit illeic', hoc non illorum opus est, sed Mentis, sive Animi, cujus munus est discernere, ac opinari; adeò proinde, ut quicquid heic falsitatis intervenit, id sit Opinioni, non Sensui tribuendum.

Idem porrò etiam proportionè dicendum est, ad sexcenta alia,

plena, pressâque sint. Quò fit ut rei inevidenti id, quòd est ap-  
parens, seu evidens, non refragetur, videlicet motus cum sit.

Itaque Suffragatio, & Non refragatio Criterium est, quo ve-  
rum esse quidpiam probatur. Adhibendus autem est ad hunc  
Canonem.

#### C A N O N   I V .

*Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non  
suffragatur Sensus evidentiâ.*

**Q**uo loco Refragatio est quidpiam oppositum Non-refragationi;  
siquidem rei evidentiis unâ cum inevidenti supposita, coëversio  
est. Quemadmodum, exempli gratiâ, dicunt aliqui non esse Inane;  
cum hoc autem supposito coëverti debet, quòd evidens est, Mo-  
tus nimirum; quandoquidem, si Inane non sit, necesse est Motum  
quoque non esse, prout jam declaratum est.

Pari autem modo Non-suffragatio Suffragationi opposita est; vi-  
delicet subversio est, quâ constat non esse opinabile, cujusmodi fuerat  
opinionem conceptum. Ut, quopiam procul accedente, eum, pro  
intervalli ratione Platonem esse conjicimus; sublato autem interval-  
lo, constat nobis per evidentiâ, quòd Plato non sit. Atque talis  
quidem est Non-suffragatio; nam opinioni præhabitæ res evidens  
non suffragatur. Itaque sicut Suffragatio, & Non-refragatio Cri-  
terium est, quo aliquid verum probatur; ita Refragatio, & Non-  
refragatio Criterium, quo quidpiam evincitur falsum, ipsâque interim  
evidentiâ, basis, ac fundamentum est, cui innititur omnis recta  
de vero, falsoque opinio.

Prætereo autem evidentiâ interdum uno sensu haberi, ut cir-  
ca proprium sensibile, interdum etiam pluribus, ut cum sensi-  
bile est commune, sicut magnitudo, & figura, distantia, & situs,  
quies, & motus, aliaque id genus, quæ possunt visu, tactuque per-  
cipi, ac nisi sensu uno, saltem alio manifesta evadere, quo modo  
quoque interdum fit, ut propter varias qualitates advocari possint  
sensus varij, ut quæ evidentiâ non habetur uno, obtineatur alio:  
veluti cum Visu discerni non potest, panis ne oblatum sit verum, an  
fictus,

quæ objici solent, cujusmodi illa sunt, de navi visa immota, ac prætereunte littore; de Sideribus quiescere visis; de montibus disitis, & procul tamen visis coniunctis; de circumcursatione post gyrationem pueris apparente; de Sole proximè monteis viso, cum tanta spatia interiaceant; de tanto spatio sub aqua viso, quantum inde ad Cælum est; de flumine, dum trajectur, in caput suum relabi viso; de porticu visa abire in angustum; de Sole viso ex undis emergere, in undas demergi; de remis inflexis, seu refractis visis; de nocturnis Sideribus præter nubila properare visis; de rebus ob distortam pupillam geminatis visis, & quæ id genus alia sunt.

### CANON III.

*Opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur Sensus evidentiæ.*

**S**ensus evidentiæ hæc voco illam sensationis, Phantasiæ speciem, cui, remotis omnibus ad judicandum obstaculis, ut distantia, ut motu, ut medio affecto, & quæ alia sunt ejuscemodi, contradicere non potest. Unde & quæstione factâ, *An res, qualis apparet, talis sit*, non est temerè pronuntiandum, sed observandum illud est, quod dicere soleo Προσμενόμενον, *Expectabile*; quasi scilicet expectandum sit, quousque modis omnibus, quibus fieri potest, res expensa sit, atque explorata.

Suffragatio autem à me dicitur comprehensio per evidentiæ facta, quod opinabile tale sit, quale fuerimus priùs opinati. Veluti, Platone procul accedente, conjicio quidem, & opinor, quantum per intervallum licet, esse eum Platonem; at verò, cum appropinquarit, & intervallum sublatum est, tunc fit attestatio, quod Plato sit, suffragatioque per ipsam rei evidentiæ habetur.

Non-refragatio verò dicitur consequutio rei inevidentis, quam supponimus, & opinamur ad quidpiam apparens, sive evidens respicientes. Uti dum dico esse Inane, quod quidem est inevidens, id per rem evidentem, utputà per Motum suadetur. Quippe inani non existente, neque motus futurus est; cum corpus movendum loco destituatur, in quem se recipiat, quod omnia plena,

fictus; aduocari potest Gustatus quo utrum sit, fiat evidens.

Hoc verò insinuo, ut admoneam, postquàm omnia ritè expenderit, adhærendum esse iis rebus, quas coràm positas habemus; ac usi quidem Sensibus, sive communibus circa sensibilia communia, sive propriis circa propria; quippe cùm standum sit universè omni Evidentiæ, quæ in promptu est juxta unumquodque, sed istud præsertim Criterium; ac omninò tenere istud, quasi inconcussum principium oporteat; ne aut Criteria, quæ stabiliuntur per Evidentiam, evertantur; aut Error pari robore, quo Veritas constabatur, omnia susque, déque perturbet.

Nihil necesse est autem repetam, speciatimve admoneam, quid sit agendum circa allatum de turri procùl terete, rotunda visâ exemplum: oportere enim ex deductis constat, priusquàm aliquid pronuncietur, & exspectare, & accedere cominùs, & explorare, ad disceréque, talis-ne turris cominùs, qualis & eminus appareat.

Unum generatim dumtaxat inculco, videlicet, nisi servatâ, quo dictum est modo, veritate Sensuum, id, quod est Opinabile, distinguas in id, quod Exspectabile est, tempùsve (quasi nondum debite perspectum) deposcit, priusquam quale sit pronuncietur, & in id, quod præsens positumve coràm, exploratumque est; fore ut vanâ penitùs opinione te ipsum conturbes. Sin autem id omne, quod heic appellatur Exspectabile, cùm opinabilia Mente agitabuntur, firmiter habueris, ut tale, neque leviter præterieris, quasi constans, & admittendum id, quod, nullius Evidentiæ suffragium habens, falsum est, fore eo casu, ut te geras pro eo, qui ab omni ambiguo cavet, attendique sollicitè, quale omne iudicium sit, quod de re opinabili aut rectè, aut perperam fertur.

CAPVT

## CAPUT II.

*Canones de Prænotione, Anticipatione ve  
Criteriorum altero.*

**U**T jam de ipsa Prænotione, seu Anticipatione dicamus, videntur posse quoque de ipsa quatuor institui Canones.

## CANON I.

*Omnis, qua in Mente est Anticipatio, seu Prænotio, dependet à Sensibus, idque vel incurfione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione.*

**I**Ntelligo autem Notionem, seu quasi ideam ac formam, quæ anticipata dicatur Prænotio, gigni in Animo incurfione, seu mavis, incidentiâ, dum res directè, & per se incurrit, inciditve in Sensum, veluti Homo coràm Spectatus. Proportione verò, dum notio, aut forma antè habita amplificatur, aut extenuatur, sed partium tamen numero, situ, figuraquè servatis, cum congrua cujusque magnitudine, ut dum viso justæ magnitudinis Homine deformamus Animo speciem, amplificando quidem Gigantis, extenuando vero Pygmæi. Similitudine dum instar rei, quæ fuerit prius Sensu percepta, similem aliam imaginamur, ut dum Civitatem non visam visæ instar concipimus. Compositione denique, dum quas d'iarum, aut plurium rerum distinctas notiones habemus, in unam quasi compingimus, ut dum equi, & hominis notiones ita adunamus, ut quæ Centauri sit confurgat, sed nempe ratiocinio ad hoc nonnihil conferente

C

CANON

## C A N O N II.

*Anticipatio est ipsa rei notio, & quasi definitio, sine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, imò & nominare non licet.*

**Q**Vippe nomine Anticipationis, Prænotionisve, intelligo comprehensionem Animi, opinionemve quandam congruam, sive mavis intelligentiam Menti defixam, existentemque quasi Memoriam, monumentumve ejus rei, quæ extrorsum sæpius apparuerit (quamve Mens in se aliquo expositorum modorum deformaverit) cujusmodi est v. c. idea, seu forma, atque species illa, ad quam respicientes, dicimus apud nosinetipos, tale quid est Homo. Quippe simul atque audimus pronuntiari hanc vocem, Homo, effigies intelligitur, iuxta deformatam in Animo præviis Sensibus anticipationem.

Quamobrem, quæ res cuique voci primò, præcipueq; subjecta, Animo apprehenditur, est quidpiam perspicuum, atque evidens; neque enim, dum quid quærimus, aut de eo hæremus; quidpiamve opinamur, id faceremus, nisi illius Prænotionem jam haberemus. Veluti, quando quærimus id, quod procul apparet, equus-ne, an bos est? quippe aliquando vidisse, anticipationemque novisse equi, & bovis formam oportet. Sanè enim alioquin, ne nominaremus quidem aliquid, nisi priùs quandam illius effigiem Anticipatione notam teneremus.

Ex his autem fit, ut si requiratur quid quæpiam res sit; illam definiamus, sive describamus, quatenus se habet, quam in Animo habemus illius anticipationem. Neque id modò, cum quid, qualisve res singularis sit, rogamur, v. c. quid, aut qualis, sit Plato, sed etiam cum quid, qualisve sit universalis, ut Homo, non iste, aut ille, sed generatim consideratus. Nimirum id fit, prout Mens, visis pluribus singularibus, variisque discriminibus illorum quasi sepositis, anticipationem ejus, quod commune habent, effingit, ac in se defigit, quasi universalem notionem, ad quam respiciendo, dicimus, Hominem, verbi gratiâ, esse aliquid animatum, ac tali formâ præditum.

C A N O N

## C A N O N III.

*Est Anticipatio in omni Ratiocinatione principium, quasi nempe id, ad quod attendentes inferimus unum esse, idem, aut diversum, conjunctum, aut disjunctum ab alio.*

**E**Tenim, dum quid sive enunciando, sive ratiocinando opinamur, id à quapiam re priùs evidente dependet; utpotè ad quam attendentes, cogitationemve nostram referentes, inferimus id, de quo agitur, tale esse, aut non esse; hoc est, idem, aut aliud, cohærens, aut non cohærens cum illo. Sic enim, si probandum sit, hoc, quod videmus, Hominem esse; ad prænotionem de Homine habitam sic respicimus, ut nihil hærentes dicamus, Homò est quidpiam animatum, ac tali formâ præditum; hoc quod video, & animatum, & tali formâ præditum est, quare hoc, quod video, est Homo; vel, non est istud animatum, talive formâ præditum; quare istud Homo non est.

Non est verò necesse omnia exquisitis, & cujusmodi à Dialecticis jactantur, confirmare rationibus, scrupulosive ratiocinandi formis. Nam interest quidem inter argumentum, conclusionemque rationis, & inter mediocrem animadversionem, atque admonitionem: quòd alterâ occulta quædam, & quasi involuta aperiantur, alterâ prompta & aperta indicentur. Verùm ubi anticipationes quales oportet, extiterint, tum citra ullum artificium Dialecticamque machinationem, & perspicuè dignoscitur, & sponte naturæ inferitur, quid ex iis vel sequatur, vel non sequatur; seu quid illis congruum, incongruumve sit; adeò proinde, ut nihil aliud quam curandum sit, ut claræ & distinctæ de rebus Anticipationes habeantur.



## C A N O N IV.

*Quod inevidens est, ex rei evidentis Anticipatione demonstrari debet.*

**N**Empe hoc est, quod mox dicebam, debere perspicuas, evi-  
denteisve esse anticipationes rerum, ex quibus quidquam infe-  
rimus, & de quibus opinando sumptiones, seu propositiones quas-  
dam facimus, quæ sint Effata, sive Principia, quibus demonstrari  
illud, quod inferitur, sive concluditur, censeatur. Est enim De-  
monstratio, oratio, quæ per sumptiones concessas colligendo, ape-  
rit non manifestam veritatem. Quo modo, ut dari Inane, quod  
immanifestum est, demonstraretur suppositâ Inanis anticipatione,  
itæmque anticipatione rei evidentis, cujusmodi est Motus, sumptio-  
nes istæ præmittuntur, *Si Motus est, Inane est, atqui Motus est, tumque*  
*inferitur, ergo est & Inane.*

Hoc loco autem Motus accipitur quasi Argumentum, seu Me-  
dium, aut si mavis, Signum, quod propriè res esse sensibilis debeat.  
Sensus enim est, juxta quem necessarium est facere ultimo ad id,  
quod occultum est, ratiocinando conjecturam. Tametsi tale Sig-  
num, seu Medium non semper necessariam cum eo, quod inferitur,  
habet connexionem, sed est interdum contingens solum, seu pro-  
babile, & quod aliter se habere possit.

Hujusmodi autem sunt multa ex quibus ratiocinamur de rebus  
præsertim sublimibus, utpote, quæ fieri non uno, verùm pluribus  
modis possint, ut jam ante insinuatum est.

Potest quin, etiam hęc spectare, quam dicere ἰσονομίαν, *Equi-  
libritatem, æquabilémve tributionem* soleo; juxta quam inferitur, posito  
unò contrariorum in rerum natura, poni debere & alterum, ut  
cùm ita ratiocinor; *Si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium*  
*non minorem, & Si quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea quæ con-*  
*servent, infinita esse debere.*

Quod superest, adversus illos, qui Demonstrationem ullam dari  
negant, hoc uti ratiocinio licet, *Aut intelligitis, quid sit Demonstratio*  
*aut non intelligitis, Et si intelligitis quidem, habetisque ejus notionem; igitur*  
*Demon-*

*Demonstratio est. Si verò non intelligitis, quomodo id requiritis, quod ne Animo quidem assequimini.*

Cùm verò ipsi iidem sint, qui fidem Sensuum abrogent, ac nihil sciri profiteantur; an non, cùm se quoque fateantur nihil scire, id ipsum, an sciri quidpiam possit, nesciunt? Non igitur adversus illos, quòd capite retro insistant vestigia, esse videtur contendendum, sed si dicant tamen, & ego concedam id ab illis sciri, percontabor jure, cùm antè nihil verum in rebus ipsis viderint, undenam quid rei sit scire, quid vicissim nescire, sciant?

#### C A P U T IV.

##### *Canones de Affectione, Passionéve Criteriorum postremo.*

**D**enique & circa Affectionem, Passionémve, quam esse dixi Voluptatem, atque Molestiam, esse possunt Canones quatuor.

#### C A N O N I.

*Ea Voluptas, qua nullam habet annexam Molestiam, amplectenda est*

#### C A N O N II.

*Ea Molestia, qua nullam habet Voluptatem annexam fugienda.*

#### C A N O N III.

*Ea Voluptas, qua aut majorem Voluptatem impedit, aut graviolem Molestiam parit, fugienda.*

## C A N O N I V.

*Ea Molestia, quæ aut majorem avertit Molestiam, aut  
uberiorem Voluptatem creat, amplectenda.*

**H**Æc edisserenda in Ethicis fusiùs. Interim autem totum hoc de Voluptate sic præcipio, ut Voluptatem ipsam per se, quia Voluptas sit, optandam, expetendamque putem; eadèmq; ratione Dolorem, seu Molestiam, ob id ipsum quòd dolor sit, semper esse fugiendum. Vnde & censeo esse Sapientem hac compensatione usurum, ut Voluptatem fugiat, si ea majorem dolorem effectura sit; & Dolorem suscipiat, majorem efficientem Voluptatem. Ipse certè recessurus à Voluptate sum, Dolorem etiam appetiturus, si aut Voluptati imminet pœnitentia, aut dolor minor progriore sumetur.

## C A P V T V.

*Canones circa usum Vocum.*

**N**Vnc, ut quod posteriore loco attingendum susceperam, subijciam pauca de Vocum usu, & eo quidem maximè, qui in disserendo attenditur, videntur posse duo Canones circa illum sufficere; alter pro illo, qui loquitur; alter pro illo, qui ipsum audit. Ij autem sunt hujusmodi.

## C A N O N I.

*Dum loqueris, delige voces communis, & perspicuas, ne  
aut ignoretur quid velis, aut interpretando tempus  
frustrà seras.*

Dum

## C A N O N . II.

*Diſum audis, id enitere, ut vim ſubjectam vocibus teneas, ne te vel pra obſcuritate lateant, vel pra ambiguitate deludant.*

**S**Cilicet ante omnia res ſubjectas vocibus, ſeu quid voces ſignificent, tenere oportet, ut habeamus, quò reſpicientes, quæcumque ſive opinamur, ſive quærimus, ſive ambigimus, dijudicare tutò poſſimus, ne ſi omnia nobis injudicata prætereant, tum illi qui nobis demonſtrare aliquid volunt, in immenſum procedant, tum nos nihil aliud, quam verba, inane ſive voces habeamus. Neceſſe eſt enim reſpicere nos ad cujuſque vocis notionem, ſignificationemve primariam, ac nulla ad eam rem percipiendam demonſtratione indigere, ſi habituri quidem ſumus, quò illud, de quo quæſtio, dubitatio, aut opinio eſt, referamus.

Exinde autem eſt, cur omnis in quærendo, quæ viâ quâdam, & ratione habetur oratio, præſcribere primùm debeat, ut quibuſdam formulis ea res agatur, ut inter quos diſſeritur, conveniat, quid ſit id, de quo diſſeritur. Adeò ut, ſi cui non conveniat, ſed lubeat magis cavillari, ambiguoque ludere, diſſerendum cum eo non ſit, aut cogendus identidem ſit quid intelligat planum facere, nempe & ars ejus hoc modo pateſcet, & captiones ejus ſeipſas diſſolvent, & non tam quempiam illaqueabit, quàm ſe ipſe Sophiſtam ſidiculum prodet.

P A R S

P A R S

## P H I L O S O P H I Æ

S E C V N D A ,

Q U Æ E S T .

P H Y S I C A , S I V E D E N A T V R A .

**A** Egredi jam Physicam decet quam & Physiologiam soleo dicere, quod sit sermo quidam, & ratiocinatio circa rerum naturam, in qua contemplanda tota occupatur.

Dictum porro jam antè est, esse eum nobis illius scopum, ut ex perspectis rerum naturis, nihil in nobis perturbationis seu à rebus Sublimibus, seu à morte, seu ab ignoratis cupiditatum finibus, seu undelibet suboriri possit. Cum vero tam multa, ac tam varia sint, quæ hæc contemplatio ambitu suo complectitur, esse perutile videtur, si quibus forte implicitis profundiore aliquo studio liberalium Disciplinarum, aut præ occupatione alia, non vacet omnia sigillatim, exquisitèque cognoscere, saltem apparatus habere idoneum aliquod totius de natura scientiæ compendium, ut quandocumque Animum ad argumenta rerum præcipua advertere voluerint, possint ipsi sibi sibi opem ferre, pro eo certe modulo, quo ipsam Naturæ contemplationem attigerint.

Sane vero iis etiam, qui in rerum omnium, de quibus tractat Physiologia, speculatione sunt proveciores, perutile est compendiosâ quadam tractationis totius Ideâ ipsarum rerum per Capita summa digestarum memoriam tueri, scilicet crebro evenit, ut generali quadam rerum inspectione indigeamus, disquisitione speciali non item.

Quamobrem hæc via tenenda, ac deinceps id studij in excolenda Memoria adhibendum continuo est, ut & ipsa ad res attentio constans, facilisque evadat, & ex rerum formis, seu notionibus generaliter comprehensis Animòque defixis, ac aliunde juxta prima Principia

cipia, juxtaque voces, quibus explicantur, expensis, si quid fuerit specialiter disquirendum inveniri possit. Quippe ubi talis constantia, facilitasque parata est, & Animus est generali, eaque exquisita informatione præditus, efficitur, ut celeriter perspicere, si quid libeat, liceat. Dico interim, etiam juxta voces, quandoquidem fieri non potest, ut cohærens summa generalium Capitum crebrò memoria repetatur, nisi quidvis ita contineat, ut vocibus paucis explicari possit; idque etiam ubi aliquid exploratum speciatim fuerit.

Ex quo proinde efficitur, ut cum isthæc agendi ratio sit maxime utilis iis, qui sunt Physiologiæ nati, deditque, author sim illis, ejusmodi in Physiologia operæ (& maxime quidem, si genere vitæ tranquillo fruuntur) ut ipsimet sibi talem quampiam Epitomen, & quasi per Capita summa informationem conficiant. Sin ipsi non possint, aliunde saltem habeant, cujusmodi nos aliquoties, ut Studiosos adjutoremus; alacriter confecimus, sperantes, si quæ edisseruimus, Mente accuratè, quantum licet, teneantur, tamen quis non excurrat ad omnia, quæ disquiri possunt, Argumenta specialia, fore tamen, ut Physiologiæ copiam, præ reliquis Hominibus incomparabilem consequatur. Nam ex se ipso bene multa ex iis, quæ in opere universaliore habentur, comprehendet; & illa quoque ipsa Memoriam committens, juvabit se ipse, & continuo proficiet.

Quippe hæc ejusmodi sunt, ut & qui non mediocriter particularia jam discussissent, & qui se perfectè hujuscemodi cogitationibus dediderunt, compluris de tota Natura dissertationes instituerent, ac perficere valeant. Et quicumque ex ipsis fuerint in his penitus consummati, illi tacite secum cogitantes possint dicto citius, & tranquillè percurrere quicquid rerum est in Physiologia præcipuarum.

Sed ne in limine amplius hæream, cum tam multa, ut dixi, ac tam varia sint, quæ Physiologia continet, operæpretium videtur illa in Sectiones quasdam præcipuas partiri, quas liceat deinceps sigillatim prosequi, & quod speciatim ad unamquamque attinerit, ad eam referre.

Videntur autem hujusmodi Sectiones esse posse quatuor: Pri-

D

ma

ma *De Universo, seu natura Rerum*, quæ nempe & hunc Mundum, & cætera omnia, quæ sunt extra ipsum, complectitur. Secunda *De Mundo*, isto putà, in quo non sumus, & ex quo capere conjecturam de aliis innumeris licet. Tertia *De Rebus Humilibus*, hoc est, de Humo, sive Terra, cui ipsi hæremus, deque rebus, quæ in ea sunt. Quarta *De Rebus Sublimibus*, seu quæ supra Terram, sursumve ab ipsa visuntur, ac fiunt.

## S E C T I O P R I M A.

### *De Universo, seu natura Rerum.*

**I**Taque, ut à Tractatione de Universo exordiamur, constat sane id tale dici, quod universa contineat, hoc est, præter istum Mundum etiam alia; unde *Totum* quoque, & *Omne* vocatur, cum ipsi quoque & *Summam Rerum*, & *Naturam Rerum* dicere soleamus.

Videntur autem debere primùm generatim dicere ex quibus Universum constet; deinde ex quibus tam multa in Universo fiant; tum à quibus fiant, postea quales fiant, denique tum quomodo fiant, tum quomodo etiam intereant.

## C A P U T I.

### *Constare Universum ex Corpore, & Inani, seu Loco.*

**P**Rincipio ergo Universum ex Corpore, & Inani constat; neque enim tertia Natura concipi Mente præterea potest.

Intelligitur autem Corpus ex congerie veluti quadam magnitudinis, sive molis, itèmq; figuræ, resistantiæ (seu soliditatis, ac impenetrabilitatis) & gravitatis; tale præterea, ut ipsum solum tangi possit, & tangere.

Inane

Inane verò, seu Vacunum, quod opponitur Corpore, ac solùm, seu propriè, & per se incorporeum est; ex horum negatione intelligitur, maximèque ex eo quòd naturæ intactilis sit, experfque omnis soliditatis, & nihil neque pati possit, neque agere: sed motum duntaxat quam liberrimum transeuntibus per se corporibus præbere.

Scilicet hæc natura est, quæ destituta Corpore, appellatur Inane; occupata à Corpore, Locus; trajecta à Corpore, Regio: spectata, ut diffusa, Intervallum seu Spatium.

Et quod sint quidem in Universo Corpora, attestatur Sensus; ex quo aliunde ducere conjecturam necessum est, ad id, quod est immanifestum, ut superius jam attigi. Certè non aliud sunt hæc omnia, quæ aspectamus, quæ tangimus, quæ versamus, quæ ipsi sumus, quam corpora.

Esse verò etiam Inane, ex eo manifestum sit, quòd nisi in rerum natura esset, non haberent corpora neque ubi essent, neque quà motus suos obirent, cùm moveri ea quidem res evidens sit.

Sanè, si plena forent omnia, & materia rerum veluti stipata; non possent non esse omnia immobilia; quia nec moveri quicquam posset, nisi omnia protruderet, neque locus porrò, in quem quicquam protruderetur, esset. Quod enim aliqui respondent, posse Piscis idèd moveri, quòd relinquant locum post se, in quem pulsæ prorsùm, & cedentes locum undæ recipiantur; non advertunt primam, quæ prorsùm fit, impulsionem inchoari non posse; quia nondum locus ullus est, neque retrò, neque ad latus, in quem recipi aqua possit. Adeò proinde, ut sit necesse intercipi rebus, ac fluidis præsertim, spatiola inania, in quæ pulsæ particulæ ita recipiantur, ut compressione facta locus fiat, versus quem impellens corpus promoveatur, ac interim ponè locum deferat, in quem compressum fluidum sese explicet, ac veluti refluat.

Prætereo autem alia Argumenta, ut quòd fulmen, aut vox per domorum septa penetrare non valeat; neque item ignis penetrare in ferrum, aurum, metalla cætera, nisi in illis sint spatiola inania intermissa. Quòd rursùs, cùm sit gravitas propria corporum



non possit ipsum rerum pondus majus, minusve fieri, nisi prout minus, ampliusve Inanis intermistum habent,

Cum vero Inane incorporeum sit, ita penetratur à corporibus sive existentibus, sive præterventibus, ut invariatur maneat, dimensionèsque, quibus ipsis coæquetur, eisdem tueatur. Unde & assumpta Inanis recta, recta quidem est, sed non contorquetur nihilominus cum corpore, à quo occupatur; quoniam Inane neque ex toto, neque ex parte mobile est.

Quo fit, ut cum notio sit Loci capere locatum, coextendi ipsi, cum eo non moveri, neque ipsum deserere, ne aut corpus moveatur, & non mutet locum; aut locum mutet, nec tamen moveatur; idèd soli Inani competat, ut Locus sit; sive Loci naturam habeat; quando ipsum solum & dimensionibus suis incorporeis in longum, latum, ac profundum locato coextenditur, exquisitèque ipsi adæquatur; & ita est immotum, ut seu corpus accedat, seu abscedat, seu hæreat, idem ac invariatur constat.

Quod dixi porrò, non posse tertiam præterea naturam Mente concipi, ideo est, quòd, seu concipi dicas comprehensivè (quomodo ea, quæ per se, directèque in notitiam cadunt, percipiuntur) seu comparatè ad ea, quæ comprehensa fuerint (quomodo ea intelliguntur, quæ per proportionem solam innotescunt; ut circa Anticipationem dictum est) id quodcumque concipitur, aut aliquam molem, soliditatèmq; habeat, sicque Corpus sit; aut omni prorsus mole, ac soliditate careat, sicque sit Inane. Intellige hoc tamen, si modò concipiatur, ut quædam per se existens, subsistens, cohærens natura; non verò quasi quoddam illius Conjunctum, Eventumve, seu Accidens.

Nempe, cum Conjunctum sit proprietas, quæ tolli à re, cujus est, sine ejus pernicie non potest, ut Tactilitas à corpore, Intactilitas ab Inani; & concretius, Pondus à saxo, Color ab igne, Liquor ab aqua: Eventum autem seu accidens, cujus adventu, abituque natura manet incolumis, ut libertas, & servitus, paupertas, & divitiæ; bellum, & pax, &c. idcirco hæc omnia, non tertiam quandam per se naturam, quæ nimirum sit à corporea, incorporeaque diversa, constituunt; sed solummodo tanquam aliquid ad alterutram attinens, se habent.

P E T R I

## PETRI GASSENDI

*Objectionum Epicuri ad Animorum Immortalitatem Refutatio, quâ primò diluitur ejus assertio non aliam naturam incorpoream admittens quam Inane.*

CUM superfit jam, ut quas Objectiones Lucretius magno apparatu, ac prælonga ferie congeffit, diluamus; præmittendum est, perperam ab illo eam causam prætexi, quòd cum opinionè de Immortalitate eversa, evertatur simul Inferorum metus; & sublato hoc metu, vivere securè, sincerasque, ac sine pœnitentia voluptates percipere liceat. Heinc nempe est illud, inter cætera,

*Et metus ille foras præceps Acherontis agendus  
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,  
Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam  
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.*

Perperam, inquam; quoniam imprimis, tametsi fabulosa sint, quæ sunt de Inferorum pœnis à Poëtis prodita; & Cicero proinde <sup>I Tuscul.</sup> sugillet Philosophos istos, quos non pudet in eo gloriari, quòd Inferos rideant, ac liberatos se dicant gravissimis Dominis, terrore sempiterno, & diurno, ac nocturno metu, quasi ulla sit anus tam delira, quæ ista timeat; aut esse acutum, ut fabulis fides detrahatur, oporteat; nihilominus heinc non sequitur, nullas esse veras, minimèque fictas, quæ à scelestorum Animis exigantur, pœnas. Quoniam utcumque latere nos pœnarum circumstantiæ valeant, asserereque non possimus aut ubi, aut quæ, an qua ratione infligantur; suggerit tamen ratio esse revera aliquas, ut mox antè insinuatum est, eo modo, quo alia innumera sunt, de quorum existencia dubitare non liceat; tametsi illorum naturam, conditionemque ignoremus. Adeò proinde ut cum Plato persuasionem Inferorum è sua illa Republica eliminatam <sup>lib. 3.</sup> voluit, quod pœnarum formidine Animos faciant humileis; sapienter quidem illos Poëtarum Inferos ablegaverit; pœnas tamen, quæ improbos manent universè rejicere non modò non debuerit

(cùm potiùs ut dedecoris, sic supplicij metus animosiores faciat) sed neque etiam potuerit; cùm ingenua ratio, & velut conscientia ignorare rem non patiat, & quantumlibet expellatur, recurret nihilominus, ut exemplo esse possunt non modò Bion Borysthenites; sed etiam quotquot penè affectarunt persuasionem status post-futuri deponere. Deinde; cùm Inferorum pœnæ, qualescumque eæ sint, non-nisi malos, improbos, injustos, sceleratos attineant; quid necesse est illos eximi pœnarum hujusmodi metu; cùm hæc sit quasi justitiæ pars, ut hocce immani quasi vulture sub pectore alto habitante tundantur; ac nulla sit tam fera Erinny, nulla tam feralis Enyo, quæ adversus illos invocanda non sit, quandiu illa patrant, ob quæ pœnas metuunt? Quod si liberari hoc metu exoptant, pravitatem igitur exuant, & à flagitiis desinant; sic enim conscientiam sedabunt, & reparando quas fecerint, quantum licebit, injurias; non desinent modò male sibi metuere; verum etiam bene sperare incipient. Ex quo efficitur, ut non modò societatis humanæ gratiâ expediat illis metuere, sed ipsorummet etiam causâ, quoniam hac ratione æquitas inter homines perinde non violabitur, & ipsismet tranquillitas, voluptasque animi sincera patietur. Tertio proinde, cùm viris bonis, sibi que bene consciis tale nihil metuendum sit, frustra labor suscipitur, ut foras ab iis metus ille Acheruntis præceps agatur: ac interim, quatenus simul immortalitatis præscinditur spes, tantò sit major ipsis injuria, quanto adimuntur simul liquidiores, sincerioresque voluptates. Nam primùm quidem, si adversâ utantur fortunâ, consistentur morbis, crucientur doloribus, quantæ consolationi est providere non modò esse mortem iis allaturam exitum, sed suffecturam quoque maximorum bonorum jucundissimam fruitionem. Hoc profectò modo habere se possunt ut peregrinantes, dum facillè ferunt labores, molestiasque itinerum, spe perveniendi in patriam, in qua cum suis suaviter degant. Nam talem quidem iis proponere mortem, qua extinguantur penitus, sicque miseriarum sit finis, perinde est ac si jactato tempestatum sævitia proponatur naufragium, quo submersus, suffocatusque procellam deinceps lensurus non sit. Nisi verò non lon-

gè

gè præstat, ostendere ut isti portum, in quem se incolumem recipiat, ita illis fœlicem statum, in quem Animo sospite emergant. Nimirum si res suavis est, mortem reputare, ut malorum finem, longè suavius est accessionem præterea bonorum summorum sperare, pari ratione, qua Athletam non tam delectat, quòd à contentione, luctàque cessaturus sit, quàm quòd præmium consequuturus. Tum verò, si utantur rebus prosperis, quanta est necesse profundantur lætitia, cùm his caducis vitæ bonis immortalitatis divitijs, cùm evanidis hisce voluptatibus æternas delicias successuras præsentiant? At si nihil post mortem sperent, tum non potest non esse grave præsentia bona dimittere, cum hac ratione, ut miseris mors veluti fuga à carcere est, sic fœlicibus sit, veluti quædam è folio dejectio. Et celebre quidem argumentum Epicuri est, quod ipse Lucretius non tacet, & de quo speciatim dicendum inferiùs ac in Ethicis, *Mortem nihil ad nos pertinere; quoniam dum nos sumus, ipsa non est, & dum ipsa est nos non sumus.* Verumtamen, non ipsa quidem, donec vivimus, præsens est; nec per se-ipsam nos attingit, sed est tamen præsens illius præsentio, pertinetque ad nos disquisitio, provisioque illius status, in quo ipsam futuri sumus. Unde & fit, ut quàm suave est, donec vivimus, providere meliorem siquidem, licet dum mors est, nos corpore simul, animoque non sumus, possumus tamen esse animo, quo solo nosmet agnoscimus, dicique possumus esse id, quod sumus. Unde & fit, ut quàm suave est donec vivimus, providere meliorem vitam, ad quam mors quasi transitus sit: tam horrendum sit providere immensum oblivionis quasi barathrum, in quod per mortem demergamur. Fit etiam proinde, ut quemadmodum vix aliquem videas adèd miserum, qui non vitam producere, quàm amittere, utcumque infœlicem malit; sic repetere paucos liceat, qui non superesse à morte, miseri licet, prætulerint, quàm in ipsa morte penitus deleri. Fit rursus, ut omnes per jucundè audiunt esse mortem transitum, migrationem, commutationem; permolestè verò, esse desitionem, extinctionem, abolitionem. Fit demum, ut nemo amittens quos in vita habuerit caros, non eorum jacturam laturus ægettime sit, si se illis in omne ævum privatum

vatum iri existimârit; cùm laturus tamen æquissimè sit, si certò sibi persuaserit, fore, ut illos iterùm videat; iterùm cum iis amicitiam non intermorum ineat. Ne dicat verò ille hoc esse sibi insomnia fingere, ac spe inani lactari velle. Nam ut præteream longè abesse, ut ob rationes ante allatas isthæc figmenta inania sint, hoc jam solum intendimus adversus ipsum concludere mortalitatis metum esse, non immortalitatis spem, quæ humanam vitam ab imo turbet, quæ omnia mortis nigrore suffundat, quæ nullam esse voluptatem liquidam, puramque relinquat: atque idcirco hûc facere, quod Ciceronianus ille Cato habet, dum,

*In Cat. maj.* *Si in hoc erro, inquit, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo extorqueri volo. Sin mortuus, ut quidam minuti Philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui Philosophi derideant.* Nimirùm hæc ratiocinatio, quæ absolutè non valeret, hypotheticè tamen facta, & quasi ad hominem conclusa, neque re propterea concessa, Lucretij prætextum eludit. Quin eludit etiam, quod Seneca habet, dum tamen opinionem immortalitatis pro insomnio habeat, sic Epistolam tamen quandam inchoat: *Quomodo molestus est jucundum somnium videnti, qui excitat, aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen veri habentem, sic Epistola una mihi fecit injuriam. Revocavit enim me cogitationi apta traditum, & iturum, si licuisset ulterius. Iuvabas de eternitate animorum quærere, imò me herculè credere. Credebam enim faciliè opinionibus magnorum virorum, rem gravissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantæ: jam enim fastidio mihi, jam reliquias ætatis infracta contemnebam, in immensum illud tempus, & in possessionem omnium avi transurus, cum subito experrectus sum, Epistolâ tuâ acceptâ, & tam bellum somnium perdidit, quod repetam si te dimiserò, & redimam.* Quippe ex hypothesi quoque facta, non concessa, quod opinio hæc somnium sit, non ejusmodi tamen est, quod vitam turbet, nigrore suffundat, &c. cùm oblationis potiùs tantæ sit, ut ille, Epistolâ cõscriptâ, resumere ipsum constituerit. Prætereo quæ dicta ad Lucretium sunt, posse eadem dici ad Plinium, cujus illa est querela nõ absimilis, *Quæ malum, ista dementia est, iterari vitam morte? Quæ generis quies unquam, si in sublimi sensus anima manet, inter Inferos umbra?*

*In Cat. maj.*

*Epist. 102.*

*lib. 7. c. 55.*

*Perdit*

*Perdit profectò ista dulcedo, credulis asque præcipuum natura bonum mortem, ac duplicat obitus, si dolere etiam post-futuri aestimatione evenit. Etenim, si dulce vivere, cui potest esse vixisse? Nimirum, seu quis malus est, nulla ipsi quies neque in sublimi, neq; in Inferis deberur, sed tuncio perennis, doloꝝq; ex post-futuri aestimatione; seu bonus, non perdit profectò in illo credulitas naturæ bonum, cum illud potius amplificet; neq; duplicat obitus, cum vitam potius ingeminet; ac si vivere dulce est, non dulcissimum non sit vitam brevem cum interminabili commutasse. Verùm redeamus ad Lucretium, experiamurq; quàm parum virium illius argumenta habeant, quibus congerendis hic fuit prætextus. Videlicet cum iis everfis, everfa simul, quæ aliorum sunt, tanquam ipsis non absimilia, erunt. Ita præfatus igitur.*

*Nunc age nativos animantibus, & mortaleis*

*Esse Animos, Anima sive levis ut noscere possis, &c.*

Primum ecce ex eo deducit, quod Animam (quo nomine Animam etiam comprehendit) velit esse corpoream, constareque ex Atomis longè tenuioribus, mobilioribusque, non modò quàm aquam, verùm etiam quàm nebulam, aut fumum; quippe cum percellatur rebus nebula fumoque: tenuioribus (ut putà eorum simulacris, ex quorum per somnium appulsu res ejusmodi cogitamus) ac ideo necesse sit illam dissipari, quàm ista faciliùs; quod vidimus quoque superiùs assertum ab aliis,

*Principio quoniam æquum constare minutis*

*Corporibus docui, multo quoque minoribus esse*

*Principiis factam: quàm liquidus humor aquai sive*

*Aut nebula, aut fumus (nam longe mobilitate*

*Præstat, & à tenui causa magis ista movetur:*

*Quod genus in somno sopiti, ubi cernimus alca*

*Exhalare vapore altaria, ferreque fumum,*

*Nam procul hac dubio nobis simulacra geruntur)*

*Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis*

*Diffluere humorem & latices discedere cernis;*

*Es nebula, ac fumus quoniam discedit in auras;*

*Crede Animam quoque diffundi, multòque perire*

*Ocyus, & citius dissolvi corpora prima,*

E

Cum

*Cum semel ex hominis membris ablata recessit.*

*Quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus;*

*Cum cohibere nequit, conquassatum ex aliqua re,*

*Ac reare factum detracto sanguine venis;*

*Aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo,*

*Corpore qui nostro rarus magis an cohibessit?*

Enimverò argumētum supponit rem minimè veram, minimèque concedendam; corpoream nempe, contextamque ex Atomis Animam esse; cum oppositum monstratum jam sit, saltem quod spectat ad Rationalem præstantioremque; illam partem, quæ Animus propriè, ac Mens dicitur. Quamvis autem mens in corpore degens cogitet non modò nebulam, ac fumum, sed etiam indiscriminatim reliqua omnia corporea; nihilominus non tam ipsa est, quàm Phantasia, seu imaginatrix facultas, quæ corporeis eorum simulacris percellitur; ipsa autè, facultas superior, ac imaginandi vim eminenter continens, utitur absque sui passione ipsè imaginibus receptis in Phantasia ad cognoscendū corpora, ipsaque reverà cognoscit. Quod verò nō propterea eadē cum Phantasia facultas, eaque corporea habenda sit, ex eo jam ostēdimus, quod alia præterea cognoscat, quorū nullæ existant in Phantasia imagines, quæque neque cadunt, neque cadere in imaginationē possunt. Unde & cum mens, five anima Rationalis sit incorporea, non est quamobrem ille requirat, qui digressa à corpore, ut à conquassato diffractoque vase ita cohiberi ab aere valeat, ut non instar fumi, atque nebulæ dissipetur. Quippe ex natura ipsa incorporei partibus carentes, insolubilis, indissipabilisque est, perperamque ideò cum fumo, atque nebula comparatur. Et cum repetendum non sit Philosophos quoque nobilissimos agnovisse substantias ἀσωμάτους, ἢ ἀμερέεις incorporeas, & partium experteis; tum subjici heic potest, quod ex Platone desumptum habet Cicero, dum ad perpetuam illam motionem, qua perpetuum animum probat, adjungit etiam simplicitatem, incompositionemque, ob quam non possit dividi, neque proinde ipsa sui exsolutione interire. Fusè id prima Tusculana; verum in Catone majore contractiùs, uti postquam illud præmissit; Sic mihi persuasi, sic sentio : cum tanta celeritas Animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque providentiæ, tot artes, tanta scientia,

tot inventa; non posse eam naturam, qua res tantas contineat, esse mortalem: tum sequitur, Cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus; quia nunquam se ipse sit relicturus: & cum simplex animi natura esset, neque habere in se quidquam admissum dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire.

Secundum ex eo, quod Mens, Animusve gignatur, adolescat, vigescat, senescat, deficiatque cum corpore:

Præterea gigni pariter cum corpore, & unâ  
 Crescere sentimus, pariterque senescere mentem:  
 Nam velut infirmo pueri, tenero que vagantur  
 Corpore; sic Animi sequitur sententiæ tenuis.  
 Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,  
 Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.  
 Post, ubi jam validis quassatum sit viribus ævi  
 Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,  
 Claudicat ingenium, delirat lingua que mensque,  
 Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.  
 Ergo dissolvi quoque convenit omnem Animai  
 Naturam, ceu fumus in altas aeris auras;  
 Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus  
 Crescere, & ut docuit, simul ævo fessa fatiscit.

Cum sint verò in hoc argumento distinguendæ partes duæ; una, quod anima nascatur; altera, quod crescat, senescatque cum corpore (Lactantius certè qui aliquot Lucretij argumenta solvit, habet pro primo partem priorem illis verbis, *Quoniam cum corpore,* inquit, *nascitur; cum corpore intereat necesse est*) idcirco videtur seorsim de utraque esse dicendum. Et ad priorem quidem quod attinet, ea est ipsomet argumentum, quod à Cicerone Panætio tribuitur. *Vult enim,* inquit, *quod nemo negat, quicquid natum sit interire; nasci autem Animos, quod declarat eorum similitudo, qua procreantur, quæ etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat.* Non est porro, cur responsioni à Lucretio factæ hæreamus; supponit enim, quod etiam habet expressius aliquantò post, *interire prorsus animam non posse, quoniam ex Dei spiritu, qui æternus est, originem ceperit;* ac idcirco ait, *Quamvis corpus, & Anima inter se conjuncta, & sociata*

Lib. 7 c. 12



*nascantur, utrumque tamen in naturam suam redire, & quod ex terra fuerit, in terram solvi; quod ex caelesti spiritu, id constare, ac vigere semper, quoniam divinus spiritus sempiternus sit; unde & ipsum Lucretium taxat, quòd quid assereret oblitus, & subrepente imprudenti vera ratione hos versus (sed alio nimirum loco, posuerit);*

lib. 2.

*Cedit enim retrò, de terra quod fuit antè,*

*In terram; sed quod missum est ex aetheris oris,*

*Id rursus Celi fulgentia templa receperant.*

cap. 2.

Non est, inquam, cur responsioni, sententiæve isti hæreamus, quòd damnata existeret in plerisque Hæreticis, tanquam non modò desumpta ex Pythagora, Platone, aliisque superius memoratis Philosophis; sed etiam ex prava interpretatione loci illius Geneleos, *Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vita.* Quare & respondendum potiùs tritum illud Axioma, *Quicquid natum sit, interire,* non ita admitti à Philosophis, quin inter illos præcipuus Plato ab hac lege ea eximat, quæ Opifex esse perpetua velit. Sic nempe Deum tum Dæmonas, tum Sidera à se condita affantem inducit, *Quæ facta à me sunt, indissolubilia me volente sunt. Quippe solvi quidem quicquid vinctum est, potest, verum mali est velle id solvere quod præclarè est coaptatum, ac bene se habet. Quamobrem, eo quidem, quòd geniti estis, immortales minime estis, neque indissolubiles penitus; sed enim verò nunquam dissolvemini, neque mortis fatam consequemini; id nempe adepti mea voluntate, quæ vinculum majus, potentiusque est iis, quibus estis, cum gigneremini colligati.* Respondendum quoque ex antedictis est, hujusmodi Effarum esse quidem verum, atque admittendum in rebus corporeis, & compositis, at falsum, respiciendumque esse in incorporeis, simplicibusque. Ac ne insistam comparationi rerum corporearum simplicium cum compositis, cum notum sit res simplicis verti in controversiam, & quod attinet saltem ad materiam, ea incorrupta perseveret, quam productam nihilominus initio fuisse nihil repugnet, haud abs re Effatum negatur, ad incorporeas quod attinet. Etenim licet prima fronte evidens non sit, produci-ne quidpiam incorporeum possit, si aliunde tamen probetur, admittaturve quid incorporeum, evidens est illud; sive impròductum, sive productum sit, non posse ob expositam antè rationem interire. Di-

eo autem *prima fronte*, quoniam alioquin possumus ratiocinando eò provehi, ut cùm aliunde fuerit probatum esse præter Deum, quidpiam incorporeum, etiam productum comprobetur. Ut enim ab ipsamet re, qua de agitur, non abeamus, cùm esse Animam incorpoream superiùs ostenderitimus, vel ex eo ratiocinari esse illam improductam licet: quòd si improducta, æternàque foret, duorum modorum altero esset: aut enim, ut per se cohærens, & ab omni alio sejuncta substantia, aut ut pars alteri adherens, & ab eo deducta, cùm in corpus inducitur. Non esse autem quandam per se, & ab æterno cohærentem substantiam ex eo arguitur, quod nulla penitùs sit nobis status illius æterni memoria, quod rerum universitas careret alioquin initio, sicque neque Authorem, neque Curatorem haberet, secùs ac suo loco demonstratum est, quod, cùm proinde homines ab æterno tempore forent, fuisset oporteret illos infinitos, ac proinde aut Animas ante omne excogitabile tempus fuisse numero infinitas, aut easdem μετεμψυχωσει, seu transmigratione quadam inserviisse ex ordine multis, imo infinitis hominibus, cum tamen & esse repugnet infinitum numerum (ne in illo admittantur tot binarij, denarij, millenarij, &c. quot unitates, ac idcirco dari quidpiam infinito infinitius, quod absurdum est) & fuisse jam Animas nostras in aliis, qui nos præcesserunt, hominibus, nullum monumentum, vestigiumve est, nisi in illis Pythagoræ, Empedoclis, consimilibusque fabellis. Non esse quoque particulam ex incorporeo alio desumptam, ex eo arguitur, quod incorporeum, sicut mole, ita etiam particulis, in quas dividi valeat, caret: cùm &, si aliquæ ex ipso deripi possent particulæ, jam corporum instar exsolubile corruptionique obnoxium foret, quo magis est mirum, Platonem, cùm Deum, seu Mentem Divinam incorpoream statuerit, habuisse tamen Animam, ut particulam inde delibatam, aut reputasse Animam esse in exsolubilem, quæ exsolubilis naturæ pars foret. Nam quod fortè quis dixerit de gentem in corpore Animam manere semper à suo toto, tanquam omnia (ac ipsum etiam corpus) permeante indivulsam, id ex eo redarguitur, quod unà cum corpore motum subiens, nunc ad has, nunc ad alias sui totius parteis accedat,

dat, neque id possit, quin à prioribus discedat, atque divellatur; eo modo, quo pars aëris, dum vento percussa aërea spacia prætervadit. Itaque, cum neutro istorum modorum esse anima improducta possit, producta sit, necesse est; quisquis tandem sit productionis modus. Quanquam & licet ratiocinari productionem hujusmodi non esse ex materia; cum anima immaterialis sit, ac esse proinde ex nihilo, & à causa quidem, cujus potentia ad hoc præstandum, immensa sit, totiusque naturæ viribus superior; qualis profectò Deus naturæve author esse solus potest: ut citato loco fusius diximus. Ex hoc autem demum efficitur, ut anima possit ex natura sua, hoc est quatenus incorporea, esse expers interitus, & ortum nihilominus unà cum corpore habere. Ad posteriorem partem quod spectat; videri potest responsio (quæ usurpari etiam adversus aliqua sequentia argumenta possit) ab Aristotele ipso præoccupata. Appositus sanè est locus; utcumque aut contradictionem in Aristotele demonstret, aut interpretationes eorum pati valeat, qui statuunt fuisse animam ab ipso habitam mortalem. Tritus ille est, & sic habet, *Innasci autem intellectus videtur, &*

1. de an. 4. *substantia quædam esse, nec corrumpi. Nam si corrumperetur quidem id maximè fieret ab hebetatione illa, quæ in senectute contingit; vunc autem res perinde sit, ac in ipsismet sensuum instrumentis. Si enim senex oculum juvenilem reciperet, non secus ac ipse juvenis videret. Unde & senectus non ex eo est, quod quidquam passa Anima sit, sed quod simile aliquid, ac in ebrietate, morbisque eveniat; ipsaque intelligendi, & contemplandi functio, propter aliquid aliud interius corruptum marcescit; cum ipsum interim cujus est, passionis expers maneat. Ob quæ sanè verba nequicquam non est, quòd dicimus mutationem omnem, quæ videtur in anima, parteve ejus ratiocinante, donec corpus adolescit, senescitque, contingere, non contingere reverà in ipsa, sed in aliquo alio interiore ab ipsa distincto, ut pote Phantasia, ejusque organo, quo bene, maleve affecto non ipse aliquid paritur, sed illius dumtaxat functiones vigeant, aut marcescant. Nimirum cum idèd sit in corpore, ut rerum noticiam, intercedente Phantasia, in quam rerum imagines per sensus transmittuntur, hauriat; & ut de illis ratiocinetur, occasionem accipiat ex ipsis imaginibus, quas in Phantasia residenteis diximus suo loco appellari Phan-*

Phantasmata; ideò anima sub initium ætatis nihil, parumve ratiocinatur, quòd nulla, paucave Phantasmata sint, ex quibus ratiocinij texendi occasionem habeat. Progressu verò temporis ideò & uberius ratiocinatur, & perfectius, quòd jam ut plura, ita clariora, ordinatioraque Phantasmata adsint. Decrepita autem deniq; ætate ideò nihil, parumve, aut detortè ratiocinatur, quòd Phantasmata aut omnino, aut magna ex parte deleantur, & quæ superfunt, tum obscurè, tum perturbatè repræsententur. Da porrò seni ut juvenilem, quod Aristoteles ait, oculum, ita juvenilem, jisdemq; imaginibus instruatam Phantasiam; & anima tum declarabit non seipsam fenuisse, sed sibi idem contigisse, quod per ebrietatem, ac morbum. Nempè, ut cessante ebrietate, aut morbi vehementia non apparet amplius delirans, sed ob cerebrum restitutum, persanatamque Phantasiam, sicut priùs ratiocinans; ita cerebro, Phantasiaq; juveniliter iterùm affectis apparebit anima non amplius repuerascere, sed, ut, priùs, ratiocinari; atq; adeò ostendet quicquid contigit mutationis, non in se, sed in ipsa Phantasia, ejusque organo contigisse. Simile est enim, ac si scriba idoneo priùs calamo usus elegantia characteres dilineaverit; nec possit tamen amplius ubi calamus est præ usu labefactatus delineare; aut si quis fortè equo vectus Olympia sæpe vicerit, nec possit tamen, ubi equus est senio confectus amplius vincere. Restitue quippe eodem statu illi calamum, isti equum; ille perinde eleganter scribet, iste perinde coronari magna Olympia merebitur. Ut paucis dicam, quicquid est mutationis, aut vitij ex parte instrumèti est, nò verò ex parte præcipui agentis.

• Tertium; ex eo, quod Animus non suis modò labore morbis, sed attingatur etiam à morbis corporis.

*Hùc accedit, uti videamus, corpus ut ipsum*

*Suscipere immanis morbos, durumque dolorem;*

*Sic Animum curas acreis, luctumque, metumque.*

*Quare participem leti quoque convenit esse.*

*Quin-etiam morbis in corporis avius errat*

*Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur;*

*Interdumque gravi letargo fertur in altum,*

*Æternumque soporem oculis, nutuque cadenti:*

*Unde neque exaudit voces, neque noscere voltus.*

*Illo-*

*Illorum potis est, ad vitam qui revocantes  
Circumstant, lacrymis rorantes ora, genusque.  
Quare Animum quoque dissolvi fateare necesse est,  
Quandoquidem penetrant in eum contagi morbi:  
Nam dolor, ac morbus leti fabricator uterque est,  
Multorum exitio perdocti quod sumus antè.*

*I Inscr.* Est verò & hoc alterum argumentum Panætij; nam de illo pergens loqui Cicero, *Alteram autem affert rationem, inquit; Nihil esse, quod doleat, quin id agrum esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interituum: dolere autem Animos, ergo etiam interire.* Verumtamen, quod spectat quidem ad delirium, atque lethargum, responsio patet ex mox deductis: Mens nimirum potest tam per delirium malè, quàm per lethargum nullo modo functiones suas exserere; non ullo sui vitio, sed Phantasiæ, aut organi, quod aut perturbetur, aut planè obducatur. Quod attinet verò ad passiones, quæ sunt, aut habentur, quasi quidam proprii morbi Animi; videtur primùm posse responsio ex Aristotele desumi; quatenus citato loco subjicit, *Amorem, odium; & alia passiones esse non Intellectus, sed corporis ipsum habentis; esse enim forte Intellectum aliquid divinius, & passionis expertus.* Scilicet quasi propria functio sit Intellectus intelligere, & ratiocinari ( utcumque ille etiam cogitationem inter passiones numeret ) passiones verò ad Appetitum, qui facultas sit corporea, pertineant. Tametsi enim passio cognitione posterior sit, & ab ipsa dependeat, ut idèd recipi in subjecto, cujus est cognitio, debere videatur; nihilominus, quia donec Anima in corpore est, corporeis imaginibus, quæ in Phantasiâ sunt, utitur; ac ipsa interim Phantasiâ res imaginando menti collaborat, & ad cognitionem Phantasiæ motus appetitus corporei seu sensitivi sequitur: idcirco fieri inde potest, ut tota commotio, seu passio ex parte appetitus, corporisq; sit, ipsaq; Mens maneat passione immunis: eo modo, quo heros, famuloque eâdem incedentibus viâ tota sarcinarum gestatio penes famulum est, herus autem incedit liber. Deinde verò, quia in Anima quoque superioreve ejus parte Rationalis quidam appetitus est admittendus ( is nempe, quem vulgò à nomine actionis, Voluntatem nominant ) ut quo experiamur nos ferri

*I de m. 4.*

ferri ad ea, quæ honesta, & divina sunt, & qui superesse post mortem in Anima debeat, cum seu in statu felicitatis, voluptatem, seu in statu miseriæ, dolorem, quæ ad aliquem appetitum referuntur, sensurus sit; ea de causa dicendum est, admitti quidem posse, juxta ea, quæ suo loco deduximus, quosdam motus in Anima, qui ob aliquam analogiam cum appetitus sentientis motionibus, passiones dicantur; sed quæ passiones tamen eo sensu non sint, ut cum quadam dilatatione, compressione, continuitatis solutione, & similibus, quæ possunt quidpiam detrimenti afferre substantiæ, contingat. Neque id sanè videri mirum in re, quæ incorporea sit, debet; cum etiam inter res corporeas, videamus, v. c. aurum, amianthum, & similia, substantiam habere inconsumptam, indissipabilemque ab igne, qui nihil aliud non destruit; & Aristoteles ipse substantiam corporum cœlestium ejusmodi faciat, ut eadem quidem Solis luce, qua inferiora, alteretur; & exinde tamen neque incalcescat, neque incendatur; neque exsolvatur, neque pereat, eo modo, quo hæc inferiora,

Quartum, ex eo, quòd in ebrietate & turbetur Mens, & Animæ vis collabascat,

*Denique, cur hominem, cum vini vis penetravit  
Aëri, & in venas discessit diditus ardor,  
Consequitur gravitas membrorum? præpediuntur  
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet Mens?  
Nant oculi? clamor, singultus, jurgia, gliscunt?  
Et jam cætera de genere hoc quacumque sequuntur,  
Cur ea sint, nisi quod vehemens violentia vini  
Conturbare Animum consuevit corpore in ipso?  
At quacumq;, queunt conturbari, inque pediri,  
Significant, paulò si durior insinuerit  
Causa, fore ut pereant, avo privata futuro.*

Verum id solum manet ex jam dictis. Neque enim est ipsa Mens, quæ madet, sed cerebrum, atque phantasia, cujus proinde nebulosis, confusisque factis speciebus, non potest Mens ea claritate, distinctioneque, quæ priùs, uti. Quod superest autem, imbecillitas illa quæ in membris creatur, non jam ad Mentem, sed ad partem inferiorem Animæ, cujus motrix virtus est, spectat. Quanquam

& addi potest, vacillationem hujusmodi non ad Animam esse referendam, sed ad partem corporis, quæ labefactatæ non valeant amplius ab Anima, ut antea teneri, ac regi. Ut enim gleba terræ compacta potest longè projici manu, trita in pulverem non potest; neque tamen ulla propterea imbecillitas manum occupat: ita quæ membra bene temperata ad motus bene compositos obtemperant Animæ, ubi ea nihilominus subingrediente vino, malignove ejus vapore solvuntur, incapacia evadunt ejusdem-met regiminis; neque idcirco Anima evadit in se imbecillior.

Quantum, ex eo, quòd in morbo quoque Epileptico desipientia, ac Animæ vehemens jactatio, distractioque fiat,

*Quin etiam subita vi morbi, sæpe coactus  
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,  
Concidit, & spumas agit, ingemit. & tremis artus,  
Desipit, extemat nervos, torquetur, anhelat,  
Inconstanter & in jactando membra fatigat.  
Nimirum quia vis morbi distracta per artus  
Turbat agens Animam; spumantes æquore salso  
Ventorum ut validis fervescunt viribus undæ.  
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore  
Adficiuntur, & omnino quod semina vocis  
Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur.  
Desipientia fit, quia vis Animi, atque Animæ  
Conturbatur, & ut docui, divisa seorsum  
Disjectatur, eodem illo distracta veneno.  
Inde, ubi jam morbi se flexit causa, reditque  
In latebras ater corrupti corporis humor,  
Tum quasi talipedans, primum consurgit, & omneis  
Paullatim redit in sensus, Animamque receptat.  
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso  
Factetur, miserisque modis distracta labores;  
Cur eandem credis sine corpore in aëre aperto  
Cum validis ventis atatem degere posse?*

Verùm hæc eadem, quæ mox est responsio facta, congruit. Cùm nempe ille ater humor, seu vapor comparari cum vino possit; ac sic aliunde tantò violentior, quantò malignitate sua magis inficit, deturbarque

turbatque organa, quibus indebitè affectis non potest non exferere incompositos illos motus; quemadmodum, quantumlibet aliquin peritus fuerit citharistes, non poterit tamen non dissonantibus cantilenas exprimere, si perturbatè intenderis, ac distenderis chordas citharæ, quæ harmonicè antè pulsabatur.

Sextum, ex eo, quòd Mens perinde, ac corpus, medicina ita sanetur, ut necesse sit quidpiam ipsi accedere, decedere, aut parteis saltem transmutari,

*Et quoniam mentem sanari, corpus ut agrum  
Cernimus, & flecti medicina posse videmus;  
Id quoque præ sagit mortalem vivere vitam.  
Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum est  
Aut aliquid prorsum de summa detrabere illum,  
Commutare Animum quicumque adorsitur, & insit,  
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.  
At neque transferri sibi parteis, nec tribui vult,  
Immortale quod est quicquam, neque defluere hilum,  
Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,  
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.*

Idem colligi ex Aristotele posset, cum in Physiognomicis postquam docuit Animam & corpus *συμπαθεῖν ἀλλήλοις* coæffici mutuo, seu pati à se invicem, ac ut forma corporis ab Animæ habitu alteratur, ita Animæ habitum alterari à corporis forma, id, inquit, ex eo maxime manifestum sit, quòd cum insania esse in Anima videatur, Medici purgantes corpus pharmacis, & certo victus regimine circa ipsum usi, Animam liberant ab insania. Verùm patet quoque fere ex jam dictis, imò ex ipsis etiam verbis Aristotelis, quid responderi heic valeat. Nam quòd interdum quidem Elleboro, aliisque id genus corporeis remediis curari possit, quæ insania, seu insanitas Mentis dicitur; constat nihilominus curationem hanc pertinere totam ad corpus, hoc est ad ipsum cerebrum, seu quæcumque alia sit Phantasiæ sedes, quam solam purgari, restituique necesse sit, ut Mens deinceps valeat functiones suas ritè obire. Ex quo efficitur, ut quemadmodum, si quis ob inæqualem calceorum altitudinem claudicat, claudicatio quidem hominis dicitur; sed tota tamen illius causa in solos calceos



referenda sit, solique calcei reducendi ad æqualitatem sint, ut ille nihil in se passus, rectè ambulet; sic dicatur quidem insanitas Mentis, desipientiæve Animi; at revera insanix, desipientiæve tota causa conjicienda sit in phantasiam, aut cerebrum, quod solum sanare par sit ut Mens, nihil idcirco passa, munere fungi debite valeat. Quo loco occurrit illud Xenophontis, in citata illa antè oratione quam Cyrus moriens habuit, quamque Cicero est interpretatus, *Mibi quidem, inquit, nunquam persuaderi potuit, Animus, dum in corporibus essent mortalibus vivere; cum exissent ex iis, enori; nec verò tum Animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni admistione corporis liberatus, parus, & integer esse cœpisset, tum esse sapientem.* Nempe, quasi sola corporis admistio efficiat, ut esse, qui tamen non sit, desipiens videatur. Quod autem aliunde, etiam in ipsa mente quidam veluti morbi admittantur, eo nimirum sensu, qui dictus jam est; ac ipsis curandis adhibeatur illa, quæ vera Animi Medicina Philosophia agnoscitur; idèò dicendum, sicut Mens suis illis affectibus sine ullo substantiæ detrimento subjacet; sic eam sanari sine ullo ejusdem detrimento posse. Siquidem, cum illius morbi nihil aliud sint, quàm prout quidam habitus; & habitus nihil aliud sint, quàm quidam habendi se modi; idèò efficitur, ut ij tolli per solam habituum virtutis inductionem valeant, eo modo, quo curvitas virgæ tollitur sola deflexione. Et quamvis omnis similitudo quadam ex parte incongrua sit; hanc tamen usurpo, quia & curvitas virgæ repræsentare quadamtenus habitus vitiosi pravitatem potest; & rectitudo ejusdem eam, quæ in habitu virtutis agnoscitur, & dicitur, ob analogiam rectitudo. Possem vero etiam ad infringendum consequutionem Lucretij comparare Mentem cum auro, quod perseverare incorruptum non desinit, tametsi ex statufusionis ad soliditatem suam redeat; possem & cum aliis; verùm id nihil necesse est.

Septimum, ex eo, quod homo membratim moriatur, sensimque expiret; quasi Anima existente per parteis dissipabili, absque eo, quod dici possit colligi Animam introrsum,

*Denique saepe hominem paullatim cernimus ire,*

*Es membratim visalem deperdere sensum;*

*In pedibus primùm digitos livescere, & unguem,  
Inde pedes, & crura mori, post inde per artus  
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.*

*Scinditur at qui Animæ quoniam natura, nec uno*

*Tempore sincera existit mortalis habenda' st :*

*Quod si forte putas ipsam se posse per artus*

*Introsusum trahere, & partes conducere in unum,*

*Atque idèd cunctis sensum deducere membris :*

*At locus ille tamen, quo copia tanta animæ*

*Cogitur, in sensu debet majore videri.*

*Qui quoniam nusquam st, nimirum, ut diximus ante*

*Dilaniata foras dispergitur, interit ergo.*

*Quin etiam, si jam libeat concedere falsum*

*Et dare, posse Animam glomerari in corpore eorum,*

*Lumina qui relinquunt moribundi particulatim,*

*Mortalem tamen esse Animam fateare necesse' st :*

*Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,*

*An contractis in se partibus obruescat,*

*Quando hominem totum magis, ac magis undique sensus*

*Deficit, & vita minùs, & minùs undique restat.*

Verùm facilis est responsio ; ac potissimùm si placeat allata inter Animam, Animumq; distinctio. Quippe Animo, cujus est intelligere, & ratiocinari, in certa interiore corporis parte constituto, & Animâ cujus est sentire, ac vegetare membra, per univèrsum corpus diffusâ, nihil vetabit Animam, corporea cùm fuerit, membratim, sensimq; ab extremis usq; artubus deficere, quousq; ad regionem, in qua Animus sit ipsi cohærens, defectus perveniat. At verò tueri præclarè licebit non idcirco tunc Animum quoq; deficere; sed cùm nō nisi Anima intercedente corpori insit, idèd resolutio suo illo quasi vinculo, excedere à corpore, & incorporeus cùm sit, incolumen, salvumq; abire. Quare & negando de Animo ipso concedi tamen Lucretio circa Animam poterit, quòd rescindi, veluti possit, quòd non sit penitus sincera, quòd mortalis habenda sit; neq; erit necesse ut ille adèd operosè responsionem præoccupet, quæ faciendâ ipsi non sit de Anima se recipiente, & quasi glomerante interiùs; dicitur enim potius desinere Animam sensim, desinente sensim calore, quo.

quo membra propter spiritus cum arterioso sanguine ad ipsa affluentibus foventur. Dico autem si maximè hujuscemodi distinctio probetur. Nam communis quoque opinio laboriosius quidem, sed se expedit tamen, cum fatendo Animam, incorpoream licet, toto corpore fusam esse, non extensione quantitatis, seu molis, sed ea quæ fieri intelligitur appellata replicatione, sive ejusdem, ut loquuntur, entitatis positione in singulis partibus, ita ut tota in toto sit, & tota in qualibet parte: Respondet, Animam, dum artus frigescent, desinere quidem ibi esse, sed non rescindi nihilominus, neque imminui, aut perire; quòd tota semper in residua corporis parte superstes sit; quousque interiorem, ac præcipuam sedem, ut putà cerebrum, aut cor, animare desinens, corpori tandem vale dicat, incolumisque ab illo abeat. Unde & pari modo dicit non esse necesse, ut Lucretius sibi illam introcessionem fingat, quando ob illam replicationem Anima in partibus illis non sic desinit, ut idcirco vel pereat, vel in seipsam subingrediatur, sed ut perdat solum applicationem ad taleis parteis, tota alioquin in cæteris manens, quæ non est in omnibus simul, quàm in unaquaque speciatim integrior, aut major. Ac ne hujusmodi replicatio, sive constitutio totius in toto, & totius in qualibet parte, videri gratis conficta valeat, tueri sese poterit eo, quod vulgò omnes admittunt, exemplo intentionalis speciei, seu imaginis ita fusæ per totum spatium, ut sit tota etiam in parte spatij qualibet, cum ubicumque aut oculum aut speculum statueris, imago illeic reperiatur.

Octavum, ex eo, quod Mens sit perinde pars corporis, certæque regioni perinde affixa, atque auris, oculus, aliæ, quæ dum à toto discernuntur, sensus omnis sunt incapaces,

*Et quoniam Mens est hominis pars una, locòque*

*Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,*

*Atque alij sensus, qui vitam cumque gubernant.*

*Et veluti manus, atque oculus, nare sive seorsum*

*Secreta à nobis nequeant sentire, neque esse;*

*Sic Animus per se non quit sine corpore, & ipso*

*Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,*

*Sive aliud quidvis potis es conjunctius eij*

*Fingere; quando quidem connexus corpori adhæret.*

Verum, ut taceam non modo Mentem, sed ipsam quoque Animam im-

impropriè dici corporis partem, ut aures, aut oculi sunt, quatenus hæ partes ad integritatem, Anima ad essentia spectat, & Anima inest illis omnibus, ipsi vero illarum nulla: ex quo efficitur, ut ne ipsa quidem circa incapacitatem sentiendi, à pari statui cum illis debeat, cum ea sit ipsummet sentiendi principium, illæ, nisi per ipsam sentire non valeant. Ut taceam id, inquam, pernegandum est Mentem esse partem, velut aures, aut oculos, cum secus, ac omnes ejusmodi partes incorporea sit, & secus ac illæ, sit sibi, habeatve in se, & ex se vitalis suæ actionis principium. Neque enim ab alio intelligendi, aut ratiocinandi vim, quemadmodum auris audiendi, aut oculus videndi mutuatur, verùm à seipsa id habet, ac idcirco mirum non est, si sejuncta à corpore auris non audiat, neque sejunctus oculus videat, secreta autem à corpore Mens intelligat, ac ratiocinetur.

Nonum, ex eo, quod Animus, Animaque, & corpus ea necessitudine conjuncta teneantur, ut sicut corpus Animo, Animaque destitutum nullam vitalem functionem elicere potest, ita neque possit Animus, aut Anima, ubi excessit in aërem; nisi quis ipsum aërem evadere in Animal dicat,

*Denique corporis, atque Animi vivat a potestas.*

*Inter se conjuncta valent, vitæque fruuntur.*

*Nec sine corpore enim vitaleis edere motus.*

*Sola potest Animi per se natura; nec autem.*

*Cassum Animâ corpus durare, & sensibus uti*

*Scilicet avolsus radicitus ut nequit ullam.*

*Displicere ipse oculus rem seorsum corpore toto:*

*Sic Anima, atque Animus per se nil posse videntur.*

*Nimirum, quia per venas, & viscera mistim,*

*Per nervos, atque ossa tenentur corpore ab omni.*

*Nec magnis intervallis primordia possunt.*

*Libera dissultare; ided conclusa moventur*

*Sensiferos motus, quos extra corpus in auras*

*Aëris haud possunt post mortem ejecta moveri.*

*Corpus enim, atque animans erit aër, si cobibere.*

*Se se Anima, atque in eos poterit concludere motus.*

*Quos antè in nervis, & in ipso corpore agebat.*

*Quare etiam, atque etiam resoluta corporis omni*

*Tegmine:*

Tegmine & ejectis extra vitalibus auris,

Dissolvi sensus Animi fateare necesse est,

Atque Animam; quoniam conjuncta est causa duobus.

ep. Laevi.

Spektare huc posse videtur locus ille ex Epicuri Epistola ad Herodotum; Καὶ μὲν ἡ λογικὴ τῶν ὅλων ἀρροίσματα, ἡ ψυχὴ διασπείρεται, ἡ ἄπειρα ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις, ἀδὲ κινεῖται, ὡς τε ἕδρ' αἰσθησὶν κίετι. Οὐ γὰρ οἷον τε νοσῶν αὐτὰ αἰσθ' ἀνόμενον μὴ ἐν τῷ τῶ συστήματι τῆς κινήσει τῶν αὐτῶν χρωμένων, ὅταν τὰ στεγάζοντα, ἡ περιέχοντα μὴ πιαύται ἢ, ἐν οἷς νῦν ἔσται ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις, Sed & ex soluto toto corpore Anima ipsa dissipatur, neque habet amplius easdem facultates, neque movetur amplius, neque obtinet aded amplius sensum. Non enim potest intelligi eandem rem etiamnum sentire, qua motibus iisdem non utitur amplius, cum non inest amplius in eodem composito, sive cum illa amplius non sunt, quibus fovetur, contineturque, & in quibus nunc existens Anima hujusmodi obit motus. Quin posse huc etiam spektare videtur, quod edidit Aristoteles, Esse quidem Animam separabilem, si aliquam functionem habeat, quam sine corpore exerceat; v. c. Intellectionem, qua ipsius maxime propria, si ea modo quapiam imaginatio non sit, aut sine imaginatione non fiat: rem verò secus se habere, ac intellectionem sine imaginatione non esse ex eo argui, quod necesse sit eum, qui speculatur, intelligitve aliquid, speculari simul aliquod phantasma, sive, quod est idem, unà imaginari. Verum utcumque Animi, Animæque conjunctio cum corpore intima sit; & maxima pars actionum vitalium ad totum compositum spektet; non sequitur tamen, si corpus exserere nullus sine Animo, Animæque non valeat; non posse Animum, Animamque exserere ullam sine corpore; quod Animus, & Anima sint corpori vitæ principium, non contrà. Profectò, ut dum militem videmus gladio, aliisque armis pugnantem, non dicimus tamen illum armis destitutum non posse plagam ullam inferre, cum manus adhuc suppetant, quibus infligere ictus possit; sic cum Animus, Animaque membris undique, ut panoplia quadam induatur, organifque; aded corporeis functiones varias obeat: dicendum tamen non est, ubi istum omnem quasi militarem apparatus exuerit, nullam ipsi neque sentiendi, neque intelligendi superesse functionem. Neque verò erit propterea necesse, ut cum in auras excesserit

seu

seu aërea, seu alia regio, in qua fuerit, animans dicatur (quando neque in aëre, neque in alio corpore aut dispositiones erunt ad vitalem informationem, aut organa, quibus ad vitæ actiones obeundas concurrat:) neque suberit, quorsum Epicurus idem corpus fovens, continensque exigat, quando & corpus fuerit dumtaxat quasi militare quoddam indumentum, quod non ita fovet, continetque Animum, quin ipso exutus, nisi easdem, saltem quasdam alias per se exserere actiones valeat. Heinc ad Aristotelem quod spectat, dico primum, licet concedatur Animam, donec degit in corpore, nullam, nisi ipso intercedente, operationem exercere; non idè tamen magis sequi illam à corpore inseparabilem, ac nullam sine eo functionem exserere posse, quàm non posse militem panoplia exutum constare quidpiamve per se agere. Tametsi enim discrimen quoddam propter informationem sit; quod ad operationem tamen, qua de agitur attinet, tam sunt arma organa mortua sine milite, quàm corporis membra sine Anima; & ut membra ab Anima, ita arma à milite usurpata quasi animantur. Dico secundò, falsum esse nullam esse Intellectionem, quæ imaginatio non sit, aut sine imaginatione non fiat. Ostensum est enim, licet Intellectus occasionem sumat ex iis, quæ sunt in Phantasia imaginibus, ratiocinandi de ipsis rebus; eò tamen ipsum provehi, ut ea intelligat, quorum imaginatio in homine sit nulla. Sicque illum, qui speculatur, seu intelligit v. c. magnitudinem illam Solis, qua se habet in se, non speculari simul ali-quod Phantasma, seu quod est idem, imaginari, habereve sibi objectam imaginem magnitudinis illius immensæ.

Decimum, ex eo, quod Animâ subductâ, corpus collabascens computrescat, ac fœteat; subducta, inquam, fumi instar, per corporis flexus, ac poros, atque idcirco sic minutim divisa, ut in ipso sui egressu prorsus comparata ad dispersionem fuerit,

*Denique, cum corpus nequeat perferre animam*

*Discidium, quin id tæto tabescat odore,*

*Quid dubitas, quin ex imo, penisusque coorta*

*Emanarit. uti fumus, diffusa Anima vis?*

*Atque idè tant à mutatum putre ruina*

*Concideris corpus penisus, quia mota loco sunt*

G

Fundamenta

*Fundamenta foras Animæ, manantque per artus,  
Perque viarum omneis flexus, in corpore qui sunt,  
Atque foramina? Multi modis ut noscere possis  
Dispertitam Animæ naturam exisse per artus;  
Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,  
Quàm prolapsa, foras enaret in aëris auras.*

Verùm heic valeat eadem, quæ ad septimum est facta responsio. Nam admissa quidem illa intet Animum, Animamque distinctione, Animus, cùm sit incorporeus, sic avolabit à corpore, ut per ipsum incolumis, indivisusque transeat, tanquam locum non occupans, & se perinde per locum plenum, ac per inanem effrens : Anima autem, quasi corporea, poterit, ceu fumus concisa, dispergi. Nisi admittatur distinctio, dici poterit Animam toto fusam corpore, ita ab ipso avolare, ut pari ratione, incorporea cùm sit, exeat ab ipso incolumis, ob loci inoccupationem, ac tam facilem transitum per corporis parteis, quàm per ejus poros. Quod autem ex ejus discessu corpus putrescat, ac fœteat, causa est defectus agitationis illius vitalis, qua materies putredinis partim subsidere, fermentarique non sinebatur, partim ita discutiebatur, ut extenuata abscederet.

Undecimum, ex eo quòd, in vulgò vocato Animi deliquio Animi, Animæque vis sic conlabefiat, ut paullò graviore causa incidente, plane dissolvenda arguatur,

*Quin-etiam, sineis dum vitæ vertitur intra,  
Sæpe aliqua tamen è causa labefacta videtur  
Ire Anima, & toto solvi de corpore membra,  
Et quasi supremo languescere tempore voltus.  
Quod genus esse Animo malè factum cùm perhibetur,  
Aut Animam liquisse, ubi jam trepidatur, & omnes  
Extremum cupiunt vires reprendre vinculum.  
Conquassatur enim tum Mens, Animæque potestas  
Omnis, & hæc ipso cum corpore conlabefiunt :  
Ut gravior paullò possit dissolvere causa.  
Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus  
Imbecilla foras in aperto, tegmine dempto;  
Non modò non ævum possit durare per omne,*

*Sed*

*Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus.*

Verùm, eadem rursus in promptu responsio. Cum enim illa *Animi, Animæque defectio*. *λειποθυμία, λειποψυχία*, non aliunde contingat, quàm ex præclusionione meatuum, per quos transmittunt vitales, animalesque spiritus, quibus, ut ministris ad vitam, sensumque, & motum Anima utitur; idcirco, si citra illam distinctionem, Anima toto corpore fusa incorporea sit, totus defectus non in ipsam, quæ perstet semper incolumis, sed in organa, quæ inepta usurpando fiant, conjiciendus erit; ac si paullo gravior causa incidat, Anima quidem planè excedet; verùm non propter dissolutionem, imbecillitatemve suam, sed ob defectum dispositionum, quibus in corpore tenebatur. Sin Animus solus incorporeus sit, tum, utcumque Anima cum spiritibus, organisque conlabefiat, ipse tamen sospes manebit, ac ob id solum non intelliget, quòd od labefactatam cum cerebro Phantasiam, ansam amplius accipere ex residentibus in illa imaginibus nequeat; &, si causa occurrat aliquantò gravior, à corpore etiam abibit, ob id solum, quod Anima, cujus interventu corpori cohæret, ad ipsam ejus sedem deficiat. Prætereo autem quandam esse *λειποψυχίας* speciem, Ecstasim nempe illam Divinorum virorum, in qua Animus ad intelligendum Divina sic attollitur, ut si extra corpus versaretur. Et cum somnus quoque quædam procidentia, defectioque Animæ sit, prætereo etiam quod Cyrus in citata illa apud Xenophontem oratione ait, dum *Dormientium animi*, inquit, *maximè declarant divinitatem suam; multa enim, cum remissi, ac liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se planè corporis vinculis relaxaverint.*

Duodecimum, ex eo, quod morientium nemo experiatur Animam ex corpore toto, ac Animum ipsum speciatim ex regione pectoris, per jugulum, & os exire incolumem, & non in ipso potius pectore deficere; ut quemlibet sensum in organo suo,

*Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur  
Ire foras Animam incolumem de corpore toto,  
Nec priùs ad jugulum, & superas succedere fauces;  
Verùm deficere in certa regione locatam,  
Ut sensus alios in parti quemque sua scit  
Dissolvi.*

G 2

Verùm



Verum, cum nemo sit morientium, qui momento illo extremo, quo Animum esse in pectore desinit, dicere adstantibus possit, agnoscere se quid Animo fiat, aut quonam, & quomodo evadat; objicit profectò Lucretius ejusmodi experimentum de quo neque ipsi, neque alij constare possit. Quod memorat verò ascensum, exitumque per jugulum, & fauceis, quasi Animus quacumque lubuerit, penetrare exeundo per corpus non valeat, vulgarem dumtaxat opinionem notat, quatenus vulgus non satis capiens quæ incorporei natura sit, & quemadmodum nullum corpus ejus trajectioni obistere valeat, conjicit Animum debere per eundem patentem meatum, quo halitus è pectore expiratur, foras prodire.

Decimum-tertium, ex eo,

— — quod si immortalis nostra foret Mens

Non jam se moriens dissolvi conquereretur,

Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,

Gauderet, prolonga senex aut cornua cervus.

Verum hac de re dictum jam, cum esse Appetitum Immortalitatis naturalem ostendimus; utcumque hæc vita præsentem lenocinio amorem sui potiolem creet; eo modo, quo appetitus sanitatis naturalis esse non desinit, utcumque præsens quæpiam voluptas sanitati opposita affectu potiolem pelliciat. Ac, ut præteream usu-venire, ut plerique statui, deteriori licet, assueti commutationem avertentur, aliaque id genus similia, atterere præstat, quod respondet Lactantius, quodque responsioni ad argumentum antecedens factæ quadamtenus congruit. Nam Equidem, inquit, nunquam vidi, qui se quereretur in morte dissolvi, sed ille fortasse Epicurum aliquem viderat, etiam dum moritur, philosophantem, ac de sui dissolutione in extremo spiritu differentem. Quomodo sciri potest, utrum dissolvi se sentiat, aut corpore liberari; cum in exitu lingua mutescat? N. m. dum sentit, & loqui potest, nondum dissolutus est; ubi dissolutus est, jam nec sentire, nec loqui potest; ita queri de dissolutione, aut nondum potest, aut jam non potest. At enim, non prius, quam dissolvatur, intelligit se dissolutum iri. Quid quod videmus plerosque morientium non dissolvi conquerentem, ut ait, sed exire se, & proficisci, & ambulare restantem, idque aut gestu significant, aut,

fi

*fi adhuc possunt, & voce pronunciant. Unde apparet, non dissolutionem fieri, sed separationem, qua declarat Animum permanere. Hæc ille. Juvat porro etiam id subungere, quod apud Ciceronem Cato, dum & raticne, & sui exemplo isti argumento veluti occurrit, Quid, quod sapientissimus quisque aquisimo Animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur Animus, qui plus cernat, & longius, videre se ad meliora proficisci, ille autem cujus obtusior sit acies non videre? Equidem afferor studio patres vestros, quas colam, & dilexi, videndi; neque verò eos solum convenire aveo, sed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipse conscripsi. Quò quidem me proficiscentem, haud scio quis facile retraxerit, & tanquam Pelsam recoxerit. Quòd si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac atate repuerescam, & in cumis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso spatia à cake ad carceres revocari.*

Decimum-quartum, ex eo, quod, ut nunquam ignis in flumine, aut gelu in igne creatur, sed in propria materia, extra quam non cohæreat; ita Animus non gignatur in capite, aut pedibus, sed in solo pectore, extra quod degere non possit,

*Denique, cur Animi nunquam mens consiliumque  
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve, sed unis  
Sedibus. & certis regionibus omnis inheret;  
Si non certa loca ad nascendum reddita quoique  
Sunt, & ubi quicquid possit durare creatum?  
Vsq̄ adeo sequitur res rem, nec flamma creari in  
Fluminibus solita est, neque in igni gignier alger.*

Verum, quàm nulla sit consequutio, intelligi ex aliis similitudinibus licet. Videlicet aves in nido gignuntur, in quo licet degant, quousque adoleverint; deinceps tamen extra eum versantur; sic & nuces in arbore, & grana in spica nascuntur; unde postquam maturaverint, excidunt, & in horreis asservantur. Ex quo deducere in oppositum licet, posse Animam, Animumve & creari in corpore, specialive ipsius parte; & inde tamen avolare, ac in beatarum Mentium domicilium admitti.

Decimum-quintum, ex eo, quod oporteret Animam secretam à corpore præditam adhuc sensibus esse, ut posset videre, audire,

**Et c. cum illi tamen organa non sint; ac tam sine illis sentire non possit, quam organa ipsa sine Anima,**

*Præterea, si immortalis natura Animæ sit,*

*Et sentire potest secreta à corpore nostro,*

*Quinque, ut opinor, eam faciendum sit sensibus auctam,*

*Nec ratione alia nosmet proponere nobis*

*Possumus infernas Animas Acherunte vagare.*

*Pictores itaque, & scriptarum secula priora*

*Sic Animas introduxerunt sensibus auctas.*

*At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa*

*Esse potest Anima, neque seorsum lingua, neque aures*

*Absque Anima per se possunt sentire, nec esse.*

Spectare hûc potest quod vidimus ante obiter objectum à Plinio, Quomodo visus, auditus, aut quid agit, &c. Verum qui sensus Animæ, Animæve secreto attribuitur, is non est visus, auditusve, aut alius sensus propriè dictus, qualis sensationem exprimere per oculos, aureis, organaque alia intelligitur: sed est vis ipsa intelligendi, quæ & generaliore ratione appellatur sensus, quatenus ejus functio, cognitio, perceptioque est; & vel ex eo quoque sensus dici potest, quod sua eminentia speciatim dictos contineat, hoc est per seipsum tam colores cognoscat, quam visus; tam sonos, quam auditus percipiat. Nempe hoc facultatum superiorum est privilegium, ut præter altiores, nobilioresque functiones, etiam inferiorum, sed excellentiore ratione, eliciant, quod jam antè dictum cum sit; idcirco non est, cur heic repetatur.

Decimum-sextum, ex eo, quod cum sit Anima per totum corpus fusa, scindi mediâ necesse sit, si corpus medium raptim scindatur; uti & ex parte, si exempli causa, salcifero curru præcidatur membrum, cum & Animam unâ sectam arguat ressectæ partis motio, quæ etiam clariùs in partibus sectæ serpentis observatur: & si quis totas Animas singulis tribuat partibus, is Animam unam in multas esse divisam statuat; ut quocumque proinde modo Anima reddatur mortalis,

*Et quoniam toto sentimus corpore inesse*

*Visalem sensum, & totum esse Animale videmus:*

*Si subito medium coleri præcederit ictu*

*Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque;*

*Disperita procul dubio quoque vis animai*

*Et discessa simul cum corpore disjicietur.*

*At quod scinditur, & partis discedit in ullas,*

*Scilicet æternam sibi naturam abnuis esse.*

*Falciferos memorant currus abscindere membra*

*Sæpe ita de subito, permista cæde calenteis,*

*Ut tremere in terra videatur ab artubus id, quod*

*Decidit abscissum: cum Mens, tamen, atque Animi vis*

*Mobilitate mali non quit sentire dolorem:*

*Et simul in pugna studio quod dedita Mens est,*

*Corpore cum reliquo pugnam, cædeisque petiisset:*

*Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe*

*Inter equos abstraxe rotas, falceisque rapaceis,*

*Nec cecidisse alius dextram, cum scandit, & instat.*

*Inde alius conatur adempto surgere crure,*

*Cum digitos agitas propter moribundus humi pes:*

*Et caput abscissum calido, viventeque trunco,*

*Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis,*

*Donec reliquias Animai reddidit omneis.*

*Quin-etiam tibi si lingua vibrante minantis*

*Serpentis caudam procero corpore, utrimque*

*Sit libitum in multas partes discindere ferro;*

*Omnia jam seorsum cernes amisa recenti*

*Volnere tortari, & terram conspergere tabo,*

*Ipsam seque retrò partem petere ore priorem,*

*Volnere ardenti ut morfu premat iccta dolore.*

*Omnibus esse igitur totas dicemus in illis*

*Particulis Animas? ac ea ratione sequetur*

*Unam animantem Animas habuisse in corpore multas.*

*Ergo divisa est ea, quæ fuit una simul cum*

*Corpore. Quapropter mortale utrumque putandum est,*

*In multas quoniam partes discinditur æquè.*

Verum heic iteratò patet, quæ est ad septimum argumentum facta responsio, ob illud quod in eo habetur, *Scinditur asqui Anima quoniam natura* Nam, seu admissa distinctione, de qua jam sæpe sapius.

sæpius, nihil prohibebit mediam discindi, ac rescindi Animam, ut puta tanquam corpoream; at interim tamen Animus incorporeus omnis divisionis erit incapax; quatenus, licet donemus ipsum in toto quodam esse spatio, per quod medium ferri acies transeat, penetrabit se cum transeunte ferro, ac in eodem spatio immotus consistet; adeò proinde, ut si ejus sedes sit regio cordis, aut pectoris, excessurus quidem eâ dissectâ sit, attamen non facta sui dissectione, sed desitione Animæ, quæ perdurare, nisi corde incolumi minimè possit. Seu Animâ potius, quæ per totum corpus, defensâ incorporea; idem quoque erit de penetrati-  
one ipsius cum ferro dicendum; atque adeò, cum corpus discin-  
detur medium, sive ad pectoris regionem, avolabit ea quidem; verum defectu dispositionum, quæ ad ipsius in corpore præsentiam necessariæ sunt, non autem ullâ divisione, aut dissipatione sui. Et cum aliquod membrum rescindetur, residebit semper Anima in trunco, donec idoneum temperamentum cordis, cerebri que supererit (unde capite obtruncato excedit simul Anima, quia pariter deest, quæ debet esse indefinens reciproca illa spirituum vitalium animaliumque communicatio) in membro autem illo resecto esse cessabit Anima, non ulla agglomeratione, deperditione ve partium, sed desitione simplici existendi in pluribus sive partibus, sive locis. Illa verò motio, sive agitatio in quibusdam membris resectis superstes, non ab Anima superstite erit, sed à spiritibus intra nervos musculis inspersos supersticibus; ut qui ab ingenita motione desinere non valeant, nisi dum corporis, membrive partibus prolabantibus ita cohibentur, ac agitari desinunt, ut torpor, frigusque inde consequatur. De motione caudæ resectæ serpentis, Animaliumque consimilium nihil necesse est addere, cum & ipsorum Anima sit haud-dubiè corporea; & quæ partes caudam constituunt, eâ contextura, compactioneque sint, ut non facile collabascant, neque spiritus, qui in longum proinde tempus (scilicet non ita aliunde facile exhalabiles, ut suo loco deduximus) tueri motitationem possint.

Decimum-septimum, ex eo, quòd si Anima æterna existens insinuaretur in corpus, recordaremur ante actæ vitæ, rerumque in ipsa gestarum, quòd nihilominus non sit,

*Præterea,*

*Præterea, si immortalis natura Animæ  
 Constat, & in corpus nascentibus insinuat;   
 Cur super anteaquam atatem meminisse nequimus ?  
 Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus ?  
 Nam si tantopere est Animi mutata potestas  
 Omnis, ut actarum exciderit retinentia rerum ;  
 Non, ut opinor, ea ab leto jam longiter errat.  
 Quapropter fateare necesse est : quæ fuit antiè  
 Interiisse ; & quæ nunc est, nunc esse creatam.*

Verùm nihil necesse est ad hoc argumentum dicamus, quod attingat solum vocatas Aristoteli, ut jam notatum est aliquoties, *Pythagoricas fabulas*, Horatio, *somnia Pythagorea*. Laetantius quoque idèd tam ipsum, quàm consequentia, quæ eodem spestant, præterit, quod sint *pro falso contra falsum*. Hoc solum noto contra idem falsum, videri quidem cautiùs egisse Platonem, quàm Pythagoram, cùm non fuit perinde ac ille commentus meminisse Æthalidas, Euphorbos, Hermotimos, &c. (scilicet cùm nemo omninò omnium hominum paria recordetur) sed hujusce memoriæ loco Reminiscentiam innexit rerum ab Anima priusquàm in corpus immergeretur, cognitarum, deque ipsa voluit ex eo maxime constare, quod notiones universales, ut æqualitatis, pulcritudinis, &c. occurrant nobis in mentem ex visis singularibus, in quibus est æqualitas, pulcritudo, &c. quodque quilibet rerum rudis bene interroganti respondens declaret, *se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere*, ut verbo Ciceronis utar, qui etiam in Platonis gratiam, *Nec verò, pergit, fieri ullo modo potest, ut à pueris tot rerum, atque tantarum, insitis, & quasi consignatas in Animæ notiones, quas Ένοιας vocant, haberemus, nisi Animus, antequam in corpus intrasset, rerum cognitione viguisset*. Cautius quidem, inquam egisse videtur; sed ejus tamen fabula parum prorsus differt à Pythagorea; ut intelligi vel ex iis potest quæ circa Intellectum disputavimus. Et Reminiscencia sanè ejusmodi naturæ est, ut animadvertere liceat nos ea novisse, quorum reminiscimur, ac fuisse eo tempore, quo nobis notitia insedit; ne quidpiam dicam de circumstantiis locorum, personarum, actionum, quæ nobis una in mentem redeunt: in Platonica autem hac Reminiscencia

niscencia nihil tale observatur; neque enim licet recognoscere fuisse aliquod ante nativatem tempus, quo ista, quæ jam discimus cognoverimus, aut ea ex quibus quandam facimus quasi gradationem. Nam quod experimur in nobis generalis esse notiones, non experimur sanè, nisi postquam ex visis singularibus, ipsas nobis tacitò quodam naturæ ductu effingimus; ac iis deinceps utimur, cum circa visa alia singularia ratiocinamur. Et quòd rudes, ac pueri bene rogantibus respondeant, id fit ob notiones, non quas antè ortum habuerint, sed quas ab ortu adepti fuerint, quasque ab interrogante insinuat, sic, ob insitam ratiocinandi vim pertexant, ut appositas conclusiones inde eliciant. Unde & ex iis, quæ in pueris, cæterisque observantur, colligere aliud nihil licet, quàm esse in nobis ingentam quandam intelligendi, atque ratiocinandi vim, qua res prius incognitas, incomperatasque cognoscere, excogitareque possimus; utcumque ab ipso initio possit cum rasa tabula juxta Aristotelem comparari.

Decimum-octavum, ex eo, quòd, si Anima inferretur in corpus perfectum, id sic deberet fieri, ut in ipso degeret, quasi avis in cavea, non ut videretur cum eo crescere, atque ita contexti cum omnibus partibus, etiam solidis, quales dentes sunt, ut inde exire non potis incolumis, proderet se ortui, atque interitui obnoxium,

*Præterea, si jam perfecto tempore nobis  
Inferri solita est Animi vivata potestas  
Tum, quam gignimur, & vita quam limen inimus?  
Haud ita conveniebat, uti cum corpore, & una  
Cum membris videatur in ipso sanguine cresse,  
Sed velut in cavea per se sibi vivere solùm.  
Quare etiam, atque etiam nec originis esse putandum est  
Expertis Animas, nec leti lege solutas.  
Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum est  
Corporibus nostris extrinsecus insinuat; ;  
Quod fieri totum contra manifesta docet res.  
( Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,  
Ossaque, uti dentes quoque sensu participantur,*

*Morbus*

*Morbus ut indicat, & gelidai stringer aquai,  
Et lapis oppressus subito de frugibus asper )  
Nec tam contexta cum sint, exire videntur  
Incolumes posse, & salvas exsolvere sese  
Omnibus è nervis, atque ossibus, articulisque.*

Verùm quatenus istud argumentum Pythagoreos quidem attingit, nihil rursùm est, quod in ea moremur : quatenus verò nobis quoque eo sensu potest objici, quo profiteamur Animam creando infundi in corpus ; ideirò solutum jam manet ex iis, quæ dicta ad secundum sunt de Anima viso cum corpore adolescere, vigescere, senescereque. Adde verò Animam infundi in corpus, ut in eo sit, tanquam forma verè informans, existensque composito vitalium actionum principium ; quod non fieret, nisi intimè per ipsum corpus illaberetur, sed maneret planè sejuncta, ut volucris manet à circumdante cavea, aut, ut ajunt, qui faciunt ipsam formam dumtaxat assistentem, perinde se haberet, existendo in corpore, ac nauta in navi, auriga in curru, &c. Quod autem non idèdè ita contextatur cum corporeis partibus, ut incolumis exire non possit, causa repetita jam est ex conditione incorporei, cujus ea natura est, ut sine sui divisione & in corpus penetret, & cum ipso secundum totum, partisque ejus omneis in eodem loco cohaereat, & subduci ex eo proinde citra sui jacturam possit.

Decimum-nonum, ex eo, quòd, si Anima insinuata extrinsecus permanere per membra, partisque corporis dicatur, perinde dispertietur, exsolveturque, ut cibus, dum per artus diditur ; atque adèdè expers interitus non erit,

*Quod si forte putas extrinsecus insinuatam  
Permanere Animam nobis per membra solere ;  
Tantiò quaque magis cum corpore fusa peribis.  
Quod permanat enim dissolvitur ; interit ergo :  
Dispertitur enim per caulas corporis omneis,  
Ut cibus, in membra, atque artus cum diditur omneis,  
Disperis, atque aliam naturam sufficit ex se :  
Sic Anima, atque Animus, quamvis integra recens in  
Corpus eunt, tamen in manando dissolvuntur  
Dum quasi per caulas, omneis diduntur in artus*



*Particula, quibus hæc Animi natura creatur,  
 Qua nunc in nostro dominatur corpore, nata  
 Ex illa, qua tum peritat partita per art:u.  
 Quapropter neque natali privata videtur  
 Esse die natura Anima, neque funeris expers.*

Verùm, quia idem ex parte fuit, quod mox præcessit, argumen-  
 tum, idè eadem est adhibenda responsio; fieri nimirùm per-  
 manationem Animæ incorporeæ per substantiam corpoream, abs-  
 que ulla dispartitione, dissolutioneque ipsius, ob loci inoccu-  
 pationem, coexistentiamque in eodem. Sanè verò, si potest  
 candor ita permanere per lactis substantiam, ut non propterea  
 disseccetur, sed indiscreti tenoris manens cum ipsa tota cohæreat;  
 quanto Anima id poterit magis cum substantia corporis; quan-  
 do ille res coexistentes distantiorum sunt, quàm heic generum;  
 substantia nempe, & accidens, quæ magis distant inter se, quàm in-  
 corporea, corporeæque substantia.

Vigesimum, ex eo, quod seu Anima discedens è corpore quas-  
 dam sui reliquias in eo deserat, dissolubilem arguant delibatæ  
 particulæ, seu non deserat, reddi causa nequeat, quamobrem tot  
 vermes gignantur in cadavere; cum dicere quidem totidem Ani-  
 mas èd consuere extrinsecus, unde una excesserit, per absurdum  
 sit, ac magis adhuc dicere unamquamque aut deligere semina, ex  
 quibus fabricetur sibi corpus proprium, volitando interim, eaque  
 agendo, aut patrando, quæ sine corpore esse nequeunt; aut sub-  
 ire in corpus jam elaboratum, quicum connecti intimè, consenti-  
 reque non valeat,

*Semina præterea linquntur, nec-ne animai  
 Corpore in examino? Quod si linquntur, & insunt,  
 Partibus amissis quoniam libata recessit.  
 Sin ita sinceris membris ablata refugis,  
 Ut nullas partes in corpore linqeris ex se;  
 Unde cadavera, renuenti jam viscere vermeis  
 Exspirant? Atque unde Animarum copia tanta,  
 Exos, & exsanguis tumidos perfluctuat artus?  
 Quod si fortè Animas extrinsecus in sinuari  
 Vermibus, & priyas in corpora posse venire*

*Credis*

*Credis, nec reputas, cur millia multa Animarum  
 Conveniant, unde una recesserit; hoc tamen est, ut  
 Quarendum videatur, & indiscrimen agendum,  
 Vtrum tandem Anima venentur semina queque  
 Vermiculorum, ipsaque sibi fabricentur, ubi sint:  
 An jam corporibus perfectis insinuentur  
 At neque cur faciant ipsa, quareve laborent  
 Dicere suppeditat; neque enim sine corpore cum sunt,  
 Sollicita volitant morbis, a'g'u'que, fameque:  
 Corpus enim magis his vitiis affine laborat,  
 Et mala multa Animus contagi fungitur ejus.  
 Sed tamen his esto, quam vis facere utile corpus  
 Quam subeant; at qua' possint, via nulla videtur.  
 Haud igitur faciunt Anima sibi corpora, & artus.  
 Nec tamen est, ut jam perfectis insinuentur  
 Corporibus, neque enim poterunt subtiliter esse  
 Convexa, neque consensu contagia fient.*

Verum, neque Animus, Animaque habita incorporea, atque idcirco illibata, intemerataque excedens, reliquias sui deserit ul-  
 las, neque gigni vermes in humano cadavere magis arguit in eo  
 reliquias Animæ, quæ præcesserit, quam arguat gigni in caseo,  
 in planta, in terra, & ubicumque vermes scaturiunt. Sufficit ni-  
 mirum adesse ea corpuscula, propter quæ Democritus quoque  
 apud Plutarchum sensit esse quandam Animæ speciem non in  
 ipsis modò cadaveribus, sed in omnibus etiam rebus, nempe qua-  
 tenus nihil rerum est, quod sit penitus calorificorum sensifero-  
 rumque principiorum expers. Quare & nihil est necesse Lucretio  
 impugnare fabellam de animabus vermium insinuatæ extrin-  
 secus; quasi illæ existere alia ratione nequeant, ubi reliquiæ Ani-  
 mæ, quæ præexistiterit, non fuerint admixtæ: cum etiam citra  
 totam præexistentis Animæ substantiam, reperiri possint in cada-  
 vere, uti & reperiuntur in cæteris rebus, illa calorifica, sensiferàque  
 principia, ex quibus creari tales Animæ, quatenus suo loco, juxta  
 Epicurum, declaratum est, possint.

Vigesimum-primum, ex eo, quòd si Animæ toties hætenus  
 commutassent Animalium corpora, deberet sensim esse immu-  
 tata

tata Animalium indoles, sicque jam leo esset non ferox, cervus non timidus, vulpes non dolosa, jam canis cervum fugeret, accipiter columbam, &c. cum & si quis dicat Animas humanas immigrare solum in humana corpora, dicere non possit, cur igitur Anima fiat è sapiente stulta, cur nullus puer prudens sit, aliaque id genus,

*Denique cur aeris violentia triste leonum*

*Seminium sequitur, dolum vulpibus, & fuga cervis*

*A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?*

*Et iam cetera de genere hoc, cur omnia m embriis*

*Ex ineunte aro ingenerascunt, inque genuntur;*

*Si non certa suo quia semine, seminioque*

*Vis Anima pariter crescit cum corpore toto;*

*Quod si immortalis fores, & mutare soletet*

*Corpore; permittis animantes moribus essent;*

*Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe*

*Cornigeri incursum cervi; tremeret que per auras*

*Aeris accipiter fugiens veniente columba;*

*Disiperent homines, saperent fera sacra ferarum.*

*Illud enim falsa fertur ratione, quod ajunt*

*Immortalem Animam mutato corpore flecti:*

*Quod mutatur enim, dissolvitur, interit ergo.*

*Trajiuntur enim partes, atque ordine migrant.*

*Quare dissolvi quoque debent posse per artus,*

*Denique ut intereant una cum corpore cuncta.*

*Sin Animas hominum dicent in corpora semper*

*Ire humana, tamen queram cur è sapienti*

*Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus:*

*Nec tam doctus equa pullus, quam fortis equi vis:*

*Si non certa suo quia semine, seminioque*

*Vis Animi pariter crescit cum corpore toto?*

*Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem*

*Non fugient. Quod si jam sit, fateare necesse est*

*Mortalem esse Animam, quoniam mutata per artus*

*Tantopere amittit vitam, sensumque priorem.*

Verùm

Verum quod supponit quidem argumentum, transmigrationem seu in humana, seu in belluina corpora fieri, id solos Pythagoricos, Platonicosque attinet. Quod verò interseritur de immutatione Animæ deque Animi cum corpore incremento, id iam toties est inculcatum, ut repetere quicquam pigeat.

Vigesimum-secundum, ex eo, quod nisi Animus natus cum corpore sit, non possit cum ipso ætatis florem attingere; neque causa sublit, cur in senectute exire ab eo quasi metu ruinarum possit,

*Quove modo poterit pariter cum corpore quoque*

*Confirmata, cupitum ætatis tangere florem*

*Vis Animi; nisi erit consors in origine prima?*

*Quidve foras sibi volt membris exire senectis?*

*An metuit conclusa manere in corpore patri?*

*Et domus ætatis spatio ne fessa vetusto*

*Obruat? At non sunt jam immortalis ulla pericla.*

Verum neque hoc est reipsa aliud quàm quod inculcatum mox excepimus; unde & solum addo, non exire Animam ex senescente corpore, quòd ruinas metuat quibus obrui possit; sed quòd non sit amplius idoneum hospitium, defectu earum dispositio-num, ob quas inerat corpori, & ob quas pereunteis ita superstes avolat, ut solet hirundo suffracto, subductòque nido.

Vigesimum-tertium, ex eo, quod ridiculum sit Animarum quasi examen circumstare ad coitus, partusque Animalium, & de insinuatione in corpus inter se mutuò contendere; nisi fortè conventum sit, ut primò advenientis sit conditio potior,

*Denique connubia ad Venereis, partusque ferarum*

*Esse Animas præsidè, deridiculum esse videtur;*

*Et spectare immortales mortalia membra,*

*Innumero numero, certareque prapropèrante*

*Inter se, qua prima, potissimaque insinuetur;*

*Si non fortè ita sunt Animarum fœdera pacta,*

*Vt qua prima volans advenit, insinuetur*

*Prima, neque inter se contendant viribus hilum.*

Verum hac de re viderint, si qui sunt, qui aliquid esse Pythagoricas illas nugas putent.

Vigesimum-

**Vigefimum-quartum, ex eo, quod, ut certa nascendi, crescendo, existendique regio definita est rebus cæteris; ita sit quoque Animo ipsi; ac proinde non possit magis extra corpus degere quàm, exempli gratia, piscis extra aquam,**

*Denique in æthere non arbor, non æquore in alto  
Nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,  
Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse;  
Certum, ac dispositum' est ubi quicquid crescat, & insit.  
Sic Animi natura nequit sine corpore oriri  
Sola, neque à nervis, & sanguine longiter esse.  
Hoc si posset enim, multò priùs ipsa Animi vis  
In capite, aut humeris, aut imis partibus esse  
Posset, & innasci quavis in parte soletet;  
Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.  
Quod quoniam in nostro quoque constat corpore certum,  
Dispositumque videtur ubi esse, & crescere possit  
Seorsum Anima, atque Animus; tantò magis inficiendum  
Totum posse extra corpus durare, genique.*

**Verùm, quia istud argumentum idem est cum decimoquarto; idè non alia heic, quàm illeic adhibenda responsio est.**

**Vigefimum-quintum, ex eo, quòd dementia sit, putare res adèd diverfas, ac sunt immortale, & mortale conjungi,**

*Quippe etenim mortale, æterno jungere, & undè  
Consentire putare, & fungi mutua posse,  
Desperè' est. Quid enim diversius esse putandum' est,  
Aut magis inter se disjunctum, discrepansque,  
Quàm, mortale quod est, immortalì, atque perenni  
Functum, in concilio sævas tolerare procellas?*

**Verùm, nisi potuit Lucretius qui fieri id valeat intelligere (tamen si aliunde satis intellexit Inane æternum, atque incorporeum commistum concretionibus dissolubilibus, corporeisque) abunde est, quod alij magni viri valuerint. Nam, ut jam Platonem, Aristotolem, cæterosque reticeam, ac ne generatim aliquid attingam de Mente, quæ infusa per Mundi artus totam molem agitat, seseque magno corpori miscet, appono solum verba**

verba Hermetis, quæ ad rem præsentem speciatim attineant. Is quippe naturam hominis describens, & ut doceret quemadmodum homo esset à Deo factus, hæc quæ apud Lactantium existant, intulit, *Καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τὸ τε ἀθάνατος, καὶ τὸ θνητὸς μίαν ἐποίησεν φύσιν ἀνθρώπου τὸ αὐτὸν, πῆ μὲν ἀθάνατον πῆ τὸ θνητὸν ποιήσας, καὶ τῶν φέρων ἐν μέσῳ θέσας, καὶ ἀθάνατος φύσεως καὶ τὸ θνητὸς, καὶ μεταβλητὸς κατεσχίστο, ἵνα ὄρων ἅπαντα, καὶ τωμάσῃ, Ac idem ex utraque natura, immortalis putat, ac mortali unam hominis naturam texebat, ipsum quadamtenus immortalem, quadamtenus mortalem faciens; ac eundem accipiens, in medio quasi interstitio<sup>1</sup> heinc divina, immortalisque; illeinc mortalis obnoxiaque mutationi natura constituit, ut in omnia intuens, omnia miraretur.* Et sic ille quidem; ex quo est effectum, ut homo fuerit habitus quasi Universi horizon, in quo ima summis, Cælestibus terrena junguntur. Ac sanè perquam appositè, & ut Universi perfectionem decet; quoniam, cùm sint naturæ quædam purè incorporeæ, atque immortales, quod vel magni illi Viri agnoverunt, quædam purè corporeæ, mortalesque, ut notum est; nihil magis congruit, ne extrema sine sine medio, quàm ut quædam mixtæ, ac ita compositæ sint, ut incorporeæ, immortalesque ex una parte, & corporeæ, mortalesque ex alia. Quod ille autem dementiam putat, velle res aded inter se discrepanteis jungere; ecquæ-nam magis inter se, quàm calidum & frigidum, album & nigrum discrepant; & ecce hæc tamen ita conjunguntur, ut tertia quædam natura fiat, ex prioribus nempe tepidum, ex posterioribus leucophæum. Tanto autem minus repugnare videtur incorporeum cum corporeo, immortale cum mortali jungi, quantò hæc sunt solùm inter se velut disparata, ac tueri possunt integam naturam; cùm calor & frigus, albor & nigror contraria sint, nec se tueri perinde possint. Oppones fortè, quoties duo quædam ita junguntur inter se, ut unione quadam cohæreant; debere illa se tangere, se mutud apprehendere, sese invicem continere; quod verò incorporeum est, neque tangi posse, neque tangere; neque proinde apprehendi, aut apprehendere, contineri, aut continere. Enim verò ad hanc speciatim difficultatem respon-

sum est cùm de Intellectu agentes declaravimus, qui sic congiungi cum corpore res incorporea valeat, ut sit illi plusquam assistens, ac haberi possit, ut forma informans. Quare & nihil necesse est circa ipsam heic addere.

Vigefimum-seximum, ex eo, quòd nihil sit æternum, nisi aut ob soliditatem, ut Atomus; aut quia plagæ est expers, ut Inane; aut quia caret loco, in quem excedat, ut Universum: Animus verò tale nihil sit, & si quis dicat Animum vel esse adversus contraria munitum; vel quæ contraria veniunt, ad ipsum usque non pertinere; vel, si pertingunt, antidotum tamen, salutemque afferre; id refellant morbi ipsius, ut metus, cura, &c.

*Præterea quacumque manent æterna necesse est,  
Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus  
Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat artas  
Dissociare intus partis ut materiai  
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus antè,  
Aut idèd durare ætatem posse per omnem;  
Plagarum quia sunt experta, sicut Inane est,  
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur bilum:  
Aut idèd, quia nulla loci sit copia circum,  
Sicut summarum summa est æterna, neque extrà  
Quis locus est, quòd diffugias; neque corpora sunt, qua  
Possint incidere, & validè dissolvere plagà.  
At neque, uti docui, solido cum corpore mentis  
Natura est; quoniam admistum est in rebus inane;  
Nec tamen est, ut inane; neque autem corpora desunt  
Ex infinito qua possint fortè coorta  
Proruerè hanc mentis violento turbine molem,  
Aut aliam quam vis cladem importare pericli;  
Nec porro natura loci, spatiumque profundi  
Desicit, exspergi quòd possit vis animai,  
Aut alia quam vis possit vi pulsa perire.  
Haud igitur leti præclusa est janua menti.  
Quòd si fortè idèd magis immortalis habenda est,  
Quòd letalibus ab rebus munita tenetur;  
Aut quia non veniunt omninò ablata salutis;*

Aut

*Aut quia, qua veniunt, aliqua ratione recedunt,  
Pulsa prius, quam quid noceant, sentire queamus;  
Scilicet à vera longè ratione remotum est;  
Præter enim quam quòd morbis tum corporis agris,  
Advenit id, quod eam de rebus sape futuris  
Macerat, inque metu malè habet, curisque fugiat,  
Præteritisque admissa annis peccata remordent.  
Adde furorem Animi proprium, atque obliviam rerum;  
Adde quod in nigras lethargi mergitur umbras.*

Verùm, dici posset imprimis contineri Mentem, sive Animum subsecundo membro, videlicet quatenus est ex genere incorporeorum, quæ sunt plagæ expertia. Nam quod ille quidem assumit Animum non esse Inane, admittendum quidem, sed simul negandum solum Inane esse incorporeum, cum præterea sint *χωριστὸν ἢ ἄνυ* separata substantia in quibus esse possit Mens; neque unquam sive Lucretius, sive Epicurus, qui prior *ματαιάζειν* ineptire eos dixit, qui Animam esse incorpoream assererent, id probaverint adversus Platonem, Aristotelem, ceteros, nisi manifesta petitione quæ sit. Quod enim accipiunt fore, ut Anima, si incorporea existeret, neque agere quidquam, neque pati posset, id ipsum est, quod quæritur; tale enim cum sit Inane, solum Inane esse incorporeum supponunt, quod ipsis tamen pernegatur; uti & pernegatur id, quod incorporeum præterea sit, nihil posse perinde agere, aut pati. Deinde dici quoque potest, res æternas insufficienter, contradicenterque non modo Epicuro, sed Lucretio quoque ipsi enumerari; quòd uterque Deos ut beatos, ita æternos faciat; & Dij tamen Atomum non sint (& ne esse quidem ex Atomis concreti possint, alioquin enim forent dissolubiles, atque idcirco non æterni) non sint item Inane; non sint denique Universum; ac restet proinde, ut præter hæc tria sit quartum genus æternorum, ad quod Dij pertineant. Quod etiam suo loco & ex Lucretio deduximus, & ad Epicurum quod spectat, ex Plutarcho probavimus, apud quem esse dixi *τέσσαρες φύσεις ἢ ἕξι ἀφθάρτους* quatuor genera naturarum incorruptibilium. Ex quo proinde efficitur, ut cum possit Mens, sive Animus ex quarto esse genere, argumentum evadat nullum.



nullum. Quod subjicitur autem de Animi morbis; id ipsum est, quod jam objectum, & de quo jam dictum à tertio usque argumento est.

Vigesimalium septimum, ac postremum esse posset ex eo deductum, quod ut ante ortum, nihil sensimus, ita nihil sumus sensuri post mortem; sicque, ut Animus non præcessit, ita nec sit superfuturus. Videlicet postquam hanc consequutionem ex generali conclusione superiorum omnium præmisit,

*Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,*

*Quandoquidem natura Animi mortalis habetur.*

Tum hæc quasi consequutionis confirmatio subjungitur,

*Et velut antea cto nil tempore sensimus ægri,*

*Ad conflegendum venientibus undique pœnis,*

*Omnia cum belli trepido concussa tumultu*

*Horrida contremuere sub altis ætheris auris;*

*In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum*

*Omnibus humanis esset terræque marique,*

*Sic ubi non erimus, cum corporis, atque animai*

*Discidium fuerit, quibus è sumus uniter apti,*

*Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,*

*Accidere omnino poterit, sensimque movere,*

*Non si terra mari miscbebitur, & mare calo.*

Ac postea in eandem sententiam,

*Respice item, quàm nil ad nos antea cta vetustas*

*Temporis æterni fuerit, quàm nascimur antè.*

*Hoc igitur speculum nobis natura futuri*

*Temporis exponit post mortem denique nostram.*

*Num quid ibi horribile apparet? num triste videtur*

*Quicquam? Nonne omni somno securius exstat?*

Quin etiam licet supponatur Animam secretam aliquid sentire, nihil hoc ad nos spectare ait, qui non sola Anima, sed quidpiam compositum ex corpore, & Anima sumus.

*Et, si jam nostro sentit, de corpore postquam*

*Distracta est, Animi natura, Animaque potestas,*

*Nil tamen hoc ad nos, qui cætu, conjugioque*

*Corporis, atque Anima consistimus utimur apti.*

Imò & supponendo nos eosdem, qui jam existimus, redituros; ob varios videlicet motus, concursusque Atomorum, quas ad idem corpus rursus constituendum iterum cogi nihil repugnet; docet tamen fore, ut nihil seu nos, qui jam sumus, seu qui tunc erimus attingat; quemadmodum viventes jam nihil sumus solliciti aut de iis, qui olim sumus futuri. Id nimirum, quia nobis dissolutis, ea fit existendi interruptio, post quam nulla memoria viget status ejus, quo fuerimus; ut neque jam ulla præsentio illius quo futuri sumus.

*Nec si materiam nostram conlegerit ætas  
Post obitum, rursusque redegerit, ut sita nunc est,  
Atque iterum nobis fuerint data lumina vita;  
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,  
Interrupta semel quam fit repetentia nostra.  
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, antè  
Qui fuimus; nec jam de illis nos afficit angor,  
Quos de materia nostra nova proferet ætas.  
Nam quam respicias immensi temporis omne  
Præteritum spatium, tum motus materiam  
Multi modi quam sint; facile hoc adcredere possis  
Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt ordine posita;  
Nec memori tamen id quimus reprehendere mente.  
Inter enim jectus est vitæ pausa, vagæque  
Deerrârunt passim motus ab sensibus omnes.*

Verùm, quod spectat primum ad illam è conclusione consequu-  
tionem; ea quidem ipsa est decantata Epicuri sententia, ὅτι ἐ  
θάνατος οὐδέτις ὄντων ἡμῶν, quòd Mors nihil ad nos attingat; quia dum  
nos sumus, tunc Mors non adest; & dum Mors adest, tunc nos non  
sumus, &c. attamen ad hoc responsum jam est, ostensumque,  
quatenus mors ad nos reverà attingat, cùm Lucretianum illum  
prætextum, *Et metus ille foras*, &c. infectaremur: ac erit  
etiam in Ethicis hac de re dicendi aliquoties locus. Quod  
ad ipsum deinde argumentum consequutionisve confirma-  
tionem spectat; ac ipsam quidem eandem cum illo Senecæ,  
ac Plinij ratiocinio, inter commemorandum opiniones rela-

to, ostensum est non multò ratiocinium huiusmodi, posse aliquid ortum habens non desinere, esseque perpetuum; talem nempe esse rem immaterialem; quod & deinceps resumpsimus circa argumentum secundum. Ex hoc nimirum sequitur, ut Animus, talis cum sit, ejusmodi sit nostri pars, quæ licet ante exitum nostrum non senserit, sentire tamen aliquid post nostrum interitum possit; neque propterea opus sit; ut Terra mari, mare Cælo misceatur. Captiosum interim est, quod ille arguatur non esse Animam nos ipsos, qui Animatum corpus, non seorsim sola Anima simus. Quasi verò ipsi, qui sumus, non saltem ex parte simus Anima, aut quasi Anima separatim sentiens sit aliud à nobis, & non potius id, quod ex parte sumus? Tantò certè magis, cum separata Anima sentit, dici possumus ipsimet esse, qui sentimus; quandò etiam nobis uniter apertis ex corpore & Anima, non corpus, verum Anima ipsum est sentiendi principium, corpusque est ipsi dumtaxat sentiendi instrumentum. Quodnam autem sit illud sensus genus, quo Anima à corpore sejuncta, hisque instrumentis, destituta sentiat, alia quæstio est; sufficitque, cum sensus universè dictus, sit facultas quæpiam cognoscens, objecta que sua percipiens; & Mens, ut facultas superior, sensumque vulgò dictum eminenter continens, eadem, quæ sensus cognoscat, ac percipiat; posse Mentem, seu Animam separatam à corpore, non visione quidem, quæ per oculus, non auditione, quæ per aurem, non functione alia, quæ per corporeum organum fiat, res sentire, ac percipere; sed sentire tamen, ac percipere functione propria, ac eminente, & qualem necesse est Deo, Intelligentiisque tribuere, quibus rerum etiam sensibilibum, perceptio tam præclara tribuitur; cum sint tamen ut corporis, sic corporeorum sensuum expertes. Heinc, quod demùm objicitur, ea suppositione facta, quòd redituri iidem simus, captiosè quoque objicitur; quasi scilicet concedamus dissolutum nos prorsum iri, ac eam fore interruptionem, qua, ut idem corpus perseveraturum non est, ita neque sit eadem Anima perseveratura; at nos ruemur Animam remansuram indissolutam, ac proinde ejusmodi, in qua vigere valeat, nisi futuri status præsensio, at præteriti saltem recordatio

cordatio; aded ut cum redierimus, eventurum sit, ut is quo jam sumus, nos status attineat. Nec verò mirum videri debet, quod nos jam nullus angor afficiat, status quò olim fuerimus; quando antè nunquam fuimus, quàm geniti nuper, editique in lucem sumus; ut ex iis sequitur quæ sunt & de Mundi origine, & de origine Animorum dicta. Dices, cum rerum imagines, seu species non insint Menti, seu Intellectui, Rationalive Animæ, quæ sola est superstes, sed Phantasiæ, seu Animæ senti-enti, quæ dissolvitur; qui potest præteriti status, eorumve, quæ in vita contigerint, vigere memoria? Sed responsio constat ex iis, quæ superius de Intellectu, Menteve fuerunt disputata. Cum ostenderimus enim Mentem, Rationalemve Animam ejusmodi esse naturæ, ut, nisi ab ipso Mundi Authore, qui ipsam ex nihilo educat, habere originem valeat; ostendimus quoque deinceps, Deum quidem à se & in se habere ideas, speciesve rerum omnium; at tum Intelligentias habere solùm concretas ex quo usque producti sunt: tum Rationalem Animam, dum degit quidem in corpore, habere solùm acquisitas sensuumve ministerio hausas; verùm quo momento à corpore excedit, Intelligentiisque efficitur par, indi ipsi à Deo, authore eodem Naturæ; species rerum omnium ejusmodi, quas nosse ejus interest, sive ignoratæ ab ea fuerint, in corpore dum degeret; sive eæ sint, quarum cognitarum meminisse illi sit opus.

Atque hæc tenus quidem in gratiam Immortalitatis disputatum esto. Non sanè, quod jubar Sacræ Fidei hocce ratiocinij quasi lumine egeat, ut efficiatur illustrius; sed ut, qui mentis oculos, ne eo percellantur occludunt, & mortalitatis patronos grande quidpiam sapere putant, agnoscere possint se à Fide exidenteis, excidere simul à vera ratione; & Sole, ac face insigni dimissis, ratiuncularum præstigias, quasi igneis fatuos, quibus in loca ævia, ac præcipitia deducantur, sequi. Profectò utcumque rationes Immortalitati adstruendæ allatæ, Mathematicâ evidentiam, ut sumus initio testati, non sint; eæ tamen sunt, quæ nonneminem bene affectum permoveant; quæ congestis aliis Immortalitati impugnandæ præponderent; quæ denique super-

veniente

veniente auctoritate Fidei, pondus, atque robur inelu stabile obtineant. Non repeto quanto se bono, qui sibi ipsis vim faciunt, ut Immortalitatem dissuadeant, privent; addo solum obijci illis appositè posse, quod habet Manilius,

Lib. 4.

*Quid juvat in semet sua per convivia ferri,  
Et fraudare bonis, qua nec Deus invidet ipse;  
Quosque dedit natura oculos deponere Mentis?*

*Ut sentiendum de Forma sit, qua Deum apprehendimus;  
ubi secundò diluitur precedens Epicuri assertio per*

P E T R U M G A S S E N D U M.

**E**T circa ipsam quidem Anticipationem, quæ nihil aliud est, quàm Idea, seu Forma, ac Species Mente præconcepta; cùm Epicurus juxta ipsam Deum describens dixerit Platonis, Aristotelis, cæterorumque imitatione, esse Deum *Animal*, idque *immortale*, ac *beatum*, ἕως ἀφθάρτου, ἢ μακρόβιον, operæ esse pretium videtur subijcere quidpiam imprimis de Forma, qua Deus apprehenditur, tanquam *Animal*, seu potius *Res vivens*; ac subinde de illis perfectionibus, seu quasi proprietatibus, *Immortalitate*, ac *Beatitudine*, quibus definitur. Nimirum tametsi vel ex dictis constet, tanquam indubium, quod Deus sit; minimè tamen constat quid sit, seu qua sit forma, sive natura. Sic, cùm progrediens animal, aut florentem plantam videmus, nulli quidem dubitamus, quin sit interiùs aliquod vegetationis principium, quod appelletur *Anima*; at quid, aut cujus naturæ sit principium hujuscemodi, ne assequimur quidem conjectura: Et cùm personatum hominem videmus, haud hæremus quidem, quin aliquis vultus sub persona, seu larva lateat; & cùm cæcus ex umbra, aut frigidulo loco apricatum in Solem prodit, certus quidem est esse aliquid, à quo incalescat; at divinare tamen non potest, qua facie illud præditum sit. Hujusmodi sunt innumera alia pari ratione observanda:

da : ut mirum non fiat, posse existentia Dei certitudinem cum ignorantia naturæ, formæve illius constare. Heinc non quarimus, quâ formâ sit Deus; sed qua formâ apprehendatur, quoties de ipso loquimur. Nam quâ quidem sit idcirco & Plato, & alij Sapientes quæri non debere censuerunt, quod nefas esse putaverint sperare, ut tanta Majestas in mensuram, aut modulum humanæ mentis cadere possit. Ex eoque fit, ut videas passim commendari Simonidem, De quo cum Tyrannus Hiero quæsisset, quidnam, aut qualis esset Deus, unum sibi diem postulavit: Cum idem ex eo postredie quæreret, biduum petiit: & cum sepius duplicarat numerum dierum, admiransque Hiero, cur ita faceret: Quia, quantum, inquit, diutius considero, tantò mihi res videtur obscurior. Diceres ipsum eò respexisse, quod Scriptura ait, *Posuisse Deum tebras latibulum suum, & habitare lucem quidem, sed inaccessibleem tamen.* Nempe Deus quidem est totus in luce, sive potius ipse lux est; sed ejusmodi tamen lux, ad quam Aristoteles agnovit sic caligare homines, ut oculos nocturæ ad meridianum Solem. Et quàm certè esset invalidus splendor, si tantula acies, quantula est humani ingenioli ferri illam posset? Quam esset Deus parum sublimis, si homuncionis obtutus illius magnitudinem, præstantiamque assequeretur? An non quicquid summum humana mens capit, id limitatum, corporeum, confusum, imperfectum est? Quonam verò modo Deus esset Deus, nisi ipsi præcelleret in superabilibus intervallis; Nihil observari menti experimur, quod non obveletur specie aliquæ rerum sensibus objectarum. Quàm verò longè abest Deus, ut vel in sensum cadere, vel sensibili specie repræsentari unquam possit? Meritò sanè Doctores Sacri tutius putant de Deo negare, quàm affirmare aliud; cum Deus nihil sit eorum, quæ cogitare homini licet; & sit aliquid interim, quod cogitare prorsus non licet. Omnium nomine D. Augustinus. *Terram, inquit, cogitas? Non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus. Omnia, qua sunt in mari, qua volant per aerem? non est hoc Deus. Quicquid lucet in calo, stella, Sol, & Luna? non est hoc Deus. Angelos cogitas? Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes? non est hoc Deus. Et quid est? Hoc solum dicere potui, quod non sit. Quæris quid sit? oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

Cic. 1. de  
Na. Deor.

in Ps. 85.

K

Enim

Enimverò, cùm sciri non possit, quid sit, & sciatur potiùs quid non sit; quí sit tamen, ut quoties de Deo cogitamus, aut loquimur, obverfetur menti species aliqua, in quam attendens, eliciat conformem ipsi cogitationem? Sed nempe hæc est imbecillitas nostra, ut cùm agnoscamus non posse nos Deum intelligere qualis est, non possimus tamen de eo cogitare, nisi affingendo ipsi speciem, qualis reverà non competit; & cùm profiteamur non esse Deum talem, qualis à nobis concipitur, pergamus tamen concipere talem; ac tamen si voluerimus, intelligere alium, alióve modo, non possimus. Una cautio est, ut quia illa species, sub qua Deum concipimus, mera negatio esse non potest, sed est aliquid positivum, quod mens cogitando de Deo asserit, nunquam id ita asseramus, ut non agnoscamus Deum esse alium; hoc est, quia illud esse debet id, quod apprehendete perfectissimum possimus; esse adhuc reipsa Deum incomparabiliter, & incomprehensibiliter perfectiorem; Hac ratione, cùm nihil possimus cogitare ita perfectum, ut non adnexum plurimum imperfectionis habeat; tum perfectionem Deo attribuemus, imperfectione omni detracta; tum attribuentes testabimur, quicquid perfectionis id est, infinitè infra divinam perfectionem consistere. Sic cùm Deo loqui non liceat, quin ejus nomen efferatur, descriptiòque aliqua fiat; non desinemus tamen habere reverà ineffabilem, atque indefinibilem; quatenus mente tenebimus nullum esse nomen, quod ex perspecta intima ipsius natura impositum sit aut imponi valeat; nullam descriptionem, aut definitionem, quâ, quid sit, declarari possit. Quamvis autem Philosophi istud assequuti undequaque non sint, proximè tamen ij accesserunt, qui aut admonuerunt, quod jam diximus non esse formam Dei quærendam, quemadmodum Plato; aut Deum dixere

lib. I. cap. 5

*ἀνόνομον* absque nomine, quemadmodum Trismegistus apud Lactantium. Ceteri, utcumque remotiùs, propiusve collineaverint, omnes tamen conati sunt evehere mentem supra captum vulgi, Poëtarumque fabulas; quas aliqui etiam ita interpretati sunt, ut Poëtas quoque respexisse ad quidpiam sublimius penè demonstrarint.

Ac primùm quidem nihil est humanius, quàm, ut Deum cogitantes, humanam formam imaginemur. Id autem esse ex eo videtur, quod communissima de Deo notio intelligentem exhibeat, & eò nos nostra imbecillitas ferat, ut si concipiamus intelligere aliquid,

intelli-

intelligentiam ejus concipiamus ex comparatione ad nostram : ad eò ut, qualeis nos esse, dum intelligimus, observamus, tale quoque esse debere, si quid præter nos intellexerit, opinemur. Et ratiocinando quidem eò evehimur, ut censeamus esse intelligens aliquid, quod hominis membra, aut faciem humanam externam non habeat; sed illud tamen concipimus vel tanquam mentem, vel tanquam habens mentem, quæ humanæ similis sit, quæ humano modo intelligat, quæ idonea sit degere in corpore, cujusmodi humanum est : ac vim habeat, qua nos audire, videre, & alloqui possit per analogum aliquid auribus, oculis, aliisque partibus humanis. Hinc certè est, cur omnes gentes aut humanam formam Deum pingant, aut si aliquam aliam representent, intelligent tamen sub ea contineri mentem humanam similem, & quæ, si ea forma cum humana commutaretur, commodius in ea degeret, possetque audire, videre, affari commodius: Sic dum Ægyptius Crocodilum, aut Apim adorat, ipsum profectò non affatur, nisi quatenus intra ejus caput imaginatur quamdam mentem, quæ instar humanæ audiat, cognoscat, deliberet, decernat, flectatur. Sic dum Persæ Solem, aut Ignem; sic dum alij alia; etiam Cælum, Aëra, Lucem. Nimirum ex quo homo habet cum se aliqua, tanquam intelligente, commercium, mentem in illa apprehendit ejusdem naturæ, sive conditionis cum sua. Cæterum nemo penè fuit Philosophorum omnium, qui non adnixus fuerit aliquid de Deo dignius cogitare, quàm ut formam ipsi humanam tribueret, aut admitteret in eo aliquid imperfectionum humanarum. Profectò, ne Epicurus quidem, non est conatus aliquid; quoniam tametsi ex Plutarcho, Empirico, Laërtio, Eusebio, Stobæo, & aliis, fecerit Deos αἱ θεοὶ ἀνθρωπομορφοὺς, ἢ ἀνθρωποειδεῖς, humanam formam, ac species, abdicavit tamè ab illis omnem concretionem, & quicquid opinatus est repugnare immortalitati, ac felicitati divinæ. Contextus profectò antè recitatus manifestus est, in quo licet adhuc Deum *Animal* dixit, errore tamen communi fecit, quo & vulgus, inquit Empiricus, & Poeta, & præstantissimorum Philosophorum caterva attestatur Deum esse *Animal*. Dubium certè est, an Anaxagoras quoque habuerit Mentem illam suam, quasi quoddam *Animal*, ut apud Ciceronem est: De Platone verò, & Aristotele non est dubium, quin dixerint Deum esse *Animal* sempiternum, ac optimum, & Porphyrius ex recepta Philosophorum opinione, *Animal* Rationale dixit

I. de adv.  
Phys.

I. de nat.  
Deor  
in Tim.  
12. Met.



q. Topic.  
§/eg. c.

stinxit in immortale, & mortale; ac immortale dixit Deum, mortale verò hominem. Quod interim verò Epicurus omnem à Deo concretionem, qualis esse potest corruptionis causa seponendam voluerit, ex eo sit perspicuum, quod dixit, *Deorum esse non corpus; sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sanguinem*, ut ex Cicerone paulò post dicitur.

1. de nat.  
Dior.

Ex cæteris Philosophis, & qui Deum præsertim habuerint ut formam Mundi aliquam (cæteros enim prætereo, ac nominatim Democritum, qui à suis illis imaginibus, seu simulacris non recessit) Ex cæteris, inquam, videtur pessimè omnium sensisse Strato Physicus, dum omnem Divinam vim in natura sitam opinatus, sic illam censuit habere causas gignendi, augendi, minuendi, ut careat omni non modò figura, verum etiam *sensu*, ut Cicero habet; & animo, ut D. Augustinus. Quomodo enim esse sine sensu, & animo, si ve intelligentiâ valeat, quod tantâ solertiâ, ac sapientiâ tot admirabilia exsequitur opera, & ad quod preces, vota, sacrificia, cæteri que actus religionis diriguntur? Idem penè dicendum de Empedocle, dum quatuor naturas Elementorum divinas fecit, & non explicuit, per Litem-ne, & Amicitiam intelligeret sapientem aliquam naturam. Idem quoque de Anaximene, & Diogene Apolloniæ, dum Aërem Deum dixerunt; nisi quòd addentes infinitum, agnovère saltem perfectionis divinæ esse, ut illimitatam naturam obtineat: & usurpantes Aërem, qui nobis invisibilis, impalpabilisque est, agnovisse videntur crassitudinem, molemq; corpoream esse, quid alienum ab eadem natura: Idem rursùs de Parmenide, dum Deum dixit quidpiam simile coronæ; unde & Stephanen appellavit, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum; nisi quòd luce perfectionem, situ majestatem, continentiam vim directricem totius Mundi innuisse videtur. Ex aliis, non parùm peccârunt, qui Mundum, qui Cælum, qui Solem, qui Lunam, qui Stellas, qui Elementa, qui Homines, qui Corporea alia habuère in Diis, quemadmodum Stoici, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, alii: itemque Alcæxon Crotoniæ, qui saltem Sideribus divinitatem tribuit; & Thales etiam, qui saltem Aquæ. Etenim quantumcumque illi agnoverint esse præterea Mentem quandam omnia permeantem corpora, quæ sit potissimum divina; perperam tamen existimarunt esse  
in

1. de na.  
Dior. 6. civ.

in Deo partem corpoream, seu Mundum, parteisque ipsius, esse corpus, ac membra Dei; quasi aut Deus corpore egeat, ut vulgares Animæ, aut corpus quodlibet non sit effectus potius, quam pars Dei. Addo, quod Vellejus objicit speciatim adversus Pythagoram, quòdque urgeri universè adversus Mundanæ Animæ assertores potest, dum eam esse Deum senserunt, ex quo animi nostri carperentur. Nam; *Non vidit, inquit, distractione humanorum animorum discerpi, & dilacerari Deum; & cum miseri animi essent, contingeret tamen Dei partem esse miseram, quòd fieri non potest,*

Præclariùs opinati sunt, qui pro Deo habuere Mentem ἀμύρην non commistam materiæ, sed illi præsentem, ipsamque formantem, non item informantem. Talis autem fuit Anaxagoras, qui primus non modò retulit ad Mentem descriptionem rerum, sed Mentem quoque infinitam dixit, neque partem rerum descriptarum fecit. Quæ eadem laus tribueretur Xenophani, nisi Mentem professus, omne præterea, quod esset infinitum, dixisset Deum. Denique illi videntur omnium dignissimè de Deo sensisse, qui Deum incorporeum manifestè dixerunt. Tales fuere potissimum Plato, & Aristoteles. Ille quidem, quia licet interdum Deum dixerit Mundum; itemque Cælum, Astra, Terram, Animos, & eos Homines, quos majorum institutis accepimus (aliunde tamen agnovit Mentem, & apertè dixit Deum σώματος, corporis expertem. Hic verò; quia licet & ipse Mundum aliquando Deum dixerit, similiterque Ardorem cæli; aliàs tamen & omnem Menti divinitatem tribuit, & Motorem primum agnovit, qui infinita pollens vi, omnis idcirco magnitudinis, corporeæve molis sit expertus. Dico porrò istos de Deo dignissimè omnium sensisse, quoniam & Sacra Fides docet esse Deum incorporeum; & Ratio aliunde satis innuit non posse naturam omnium præstantissimam conditionis esse corporeæ, ob limitationem, compositionem, divisionem, alterationem, passionem, & similia, quibus est omne corpus obnoxium. Neque obstat, quod Epicurus aut quilibet alius capere non possit, quomodo valeat præter Inane esse aliquid incorporeum; nam ecce magni fuerunt Viri, qui id optimè capere potuerunt: Hocque ipsum valere potest adversus eos, qui arbitrantur naturæ lucem fugere, ut ulla substantia incorporea sit; cùm habeamus Philosophos solo Naturæ lumine

mine ductos, quod id nequaquam fugerit. Attexere autem M. Tullium juvat, cujus hæc fuisse verba in Consolatione Lactantius testatur: *Nec vero, inquit, Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quadam, & libera, segregata ab omni concrescione mortali, omnia sentiens, omnia movens.*

lib. 7. c. 5.

Atqui, inquiunt isti; quantumvis nitamur, quantumvis contendamus Mentem, ut substantiam aliquam, ac Divinam potissimum, incorpoream intelligamus, experimur semper nobis obversari speciem, sive imaginem aliquam corporeitatis. Nam quia gradatio ad concipiendum aliquid incorporeum est extenuatio rerum crassiorum, idèd habemus quidem aquam v.g. incorpoream respectu terræ; aërem respectu aquæ, & cum aër sit adhuc revera corporeus, assequi conamur quidpiam magis tenue, & rursus magis atque magis, ut sit semper aliquid, quod potiore jure habeatur incorporeum. Verùm non ea est perspicacitas nostra, ut quod postremum concipimus, nihil omnino habeat corporeitatis. Quippe, quod remanet ulterius (nimirum præter speciem limpidissimi, & si velis, lucidissimi, seu aëris, seu ætheris) id videtur Nihil, Inanéve esse. Enimvero, dum ita faciunt, non advertunt fallaciam, qua imaginationem, seu, ut ita loquar, intuitivam intelligentiam cum ratione, seu consequutiva intelligentia confundant. Quia enim mens nostra quandiu est illigata corpori, haurit per sensus rerum notiones seu quas habet imagines, ex quo Effatum vulgare est, *Nihil esse in intellectu, quod non fuerit prius in sensu*, exinde fit, ut quicquid mens veluti intuetur, & quasi directæ, ac intenta acie respicit, id intueatur, ac respiciat per imaginem ex sensibus haustam, unde & dixi hanc intuitionem, seu intuitivam intelligentiam idem esse cum imaginatione, sive cognitione, quæ ad imaginem terminetur, seu qua objectū non sine quadam imagine percipitur. At præter hanc intelligentiã est in nobis alia, qua, non intuitione, sed consequutione percipimus aliquid, unde & non tã percipimus quid sit (quando quidè non intuemur) quam veluti suspicamur quòd sit, & ex argumenti necessitate judicamus, quòd esse debeat. Hanc proinde intelligentiam idem esse dixi cum ratione, seu mavis ratiocinatione, qua quod non intuemur, existere colligimus, intelligimúsque subesse. Ut rudi exemplo rem dicam: cum hominem larvatum videmus, intuemur larvam, & cum vultum sub ea latentem non intueamur, neque dicere possi-

mus

mus qualis sit, ex eo tamen quòd motus varij à larvato editi demonstrant ipsum hominem, necessariò colligimus vultum aliquem late-  
re sub larva. Plura in hanc rem asserenda erunt, cum de humanæ  
Mentis substantia, & immortalitate disputabitur, imprimis verò  
exemplum illud de Magnitudine Solis, quàm capere tantam, quan-  
tam Mathematici demonstrant, non imaginatione capere fas est,  
sed ratiocinatione dumtaxat.

Ad rem, ut veniam, isti qui putant non esse substantiam ullam  
incorpoream, quatenus nihil nisi sub specie, aut imagine corporea  
concipiunt, in eo falluntur, quod non agnoscant esse speciem in-  
telligentiæ, quæ imaginatio non sit, eam nempe, qua ex conse-  
quutione, intelligimus esse aliquid, præter id, quod in imaginatio-  
nem cadit. Heinc enim fit, ut quemadmodum præter pedalem  
v. g. Solis magnitudinem, quam quoties de Sole philosophamur,  
concipimus, intelligimus esse aliam, quam mens nostra assequi,  
quantumvis intenta non possit: ita præter speciem corpoream, sub  
qua Deum concipimus, quoties de illo cogitamus, intelligi omni-  
no possit esse aliquid, sive aliquam substantiam incorpoream, quam  
mens nostra, nilu quantumvis magno comprehendere, seu quasi  
intuendo intelligere nunquam valeat. Adeo proinde, ut spectata  
notione, quam de Substantia vulgo habemus, illi eximiè loquuti  
sint qui Deum esse non substantiam, sed super-substantiam, non  
substantialem, sed super-substantialem dixerunt. At quàmam, ine-  
quies, consequutione intelligi id poterit? Nempe illa, quam insinua-  
vi, ex eo, quod Divinæ perfectioni repugnet, ut sit aliquid limitatum,  
compositum, &c. cujusmodi est omne corpus, quodque sit aliunde  
temeritas in homine nimia, Deum humano captui sic subicere, ut  
esse aliud quid non valeat, quam quod assequi humana mens pos-  
sit. Et objicit quidem Vellejus Platonem, Aristotelémque, cum  
Deum faciunt incorporeum, privare illum sensu, prudentiâ, vo-  
luptate, adde, & si velis, actione; quod mens nostra non ca-  
piat, quomodo id, quod corpus non est, videre, sapere, lætari, moliri  
quidquam valeat. Verum id ita objiciunt, qui exposito modo non  
distinguant; neque advertunt substantiam, qualem imaginari non  
licet, præditam esse posse eâ cognitione, quæ sit omnisensu perfec-  
tior; eâ prudentiâ, quam nihil lateat; eâ voluptate, qua purior non  
sit; eâ operatione, quâ non sit validior. Et quid poterat aliud  
scu

seu Vellejus, seu Epicurus respondere, si objectum fuisset privati ab ipso Deum sensu, prudentiâ, voluptate, dum in eo assererat non corpus esse, sed quasi corpus; quoniam in isto quasi corpore posset quidem esse quasi sensus, sed non tamen sensus; quasi prudentia, sed non prudentia; quasi voluptas, sed non voluptas? Quid poterat, inquam, aliud dicere, quàm esse speciem quandam sensus, prudentiæ, atque voluptatis, qualem non concipimus, sive præter eam, quam imaginamur in homine, aut animali, quod corpus est crassum, & morti, miseræque obnoxium?

idena. De.

Ut porrò habeatur expressiùs quæ fuerit circa Dei formam Epicuri sententia, quidque præclare adversus illam Ciceronianus Cotta objiciat (præclare, inquam, quod ad rem spectat; nam quod attinet ad consequutionem, alia quæstio est) en imprimis Velleij verba: *Ac de forma quidem, inquit, partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam à natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam, nisi humanam Deorum. Qua enim ulla alia occurrit unquam, aut vigilantibus cuiquam, aut dormientibus? Sed ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. Nam cum præstantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eandem esse pulcherrimam; qua compositio membrorum, qua conformatio lineamentorum, qua figura, qua species humanâ potest esse pulchrior. Et statim: Quod si omnium animantium formam vincit hominis figura; Deus autem animans est; eâ figurâ profecto est, qua pulcherrima sit omnium. Quoniamque Deos beatissimos esse constat; beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, ne ratio usquam inesse, nisi in hominis figura; hominis specie Deos esse consistendum est. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Ita Vellejus. Iam verò Cotta ab eo exorsus, quod postremo loco propositum est & quod nos jam attigeramus, sic aggreditur: Hoc persepe facitis, ut cum aliquid non verisimile dicatis, & effugere reprehensionem velitis, asseratis aliquid, quod ne fieri quidem possit: ut satius fuerit id ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere: Et postea: Mirabile videtur, quod non videat Haruspex cum Haruspicem viderit; hoc mirabilis, quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus: hoc intelligerem quale esset, si id in cereis fingeretur, aut siccilibus figuris. In Deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis intelligere non possum. Ne tu quidem,*

*Vellej.*

Vellei, sed non vis fateri. Et rursus: Nunc istud, quasi corpus, quasi sanguinem quid intelligis? Ego enim scire te ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. Cum quidem semel dicta sunt; quid est, quod Vellejus intelligere possit, Cotta non possit? Itaque corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo; quasi corpus, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Nec tu me celas, ut Pythagoras alienos, Ac statim: Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa. Corpus illud non est, sed simile corpori; nec ille fufus, & candore mistus rubor sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo: Sic in Epicureo Deo non res, sed similitudines rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum, cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta, atque formas?

Hæc Cotta præclariè, nisi quòd ejus argumentatio non est præterea extendenda ad quamcumque rem, non imaginatio, sed intelligentia ex consequutione, attingit. Quippe, ut nosmet explicemus, similia sæpe dicimus; & cum verba non suppetant; sufficit, modò aliud esse, quàm quod nostræ imaginationi subjicitur, intelligamus. Ita sæpe dicimus esse in Deo, non *Passiones*; sed *quasi-passiones*, vel una voce, *Pro-passiones*; neque est, cur Cotta quispiam cavilletur, *Passio quid sit, intelligo: Quasi-passio, vel Pro-passio quid sit, nullo prorsus modo intelligo.* Scilicet hac voce solum utimur, ut significemus intelligere nos esse quidem in Deo aliquid passionibus nostris respondens, ob effectus quosdam iis simileis, quos per *passiones* experimus; sed illud tamen commune nihil præter ipsum nomen *passionis* habere, esseque potius in Deo perfectionem, qualem mens nostra non capiat. Cum Aristoteles porro doceat *hominis esse probe instituti eatenus explanationem in unoquoque genere exquisitam requirere, quatenus rei patitur natura; & nihil differre utrum Mathematicum probabilibus dumtaxat argumentis utentem feras; an demonstrationes ab Oratore postules: quanto est consentaneum magis, ut dum loquimur de rebus divinis, non ea verba exigantur, quæ ipsas, quales sunt, declarent; quippe quales non novimus; sed quæ id subjiciant, quod imaginamur, & præter quod, esse quidpiam aliud omni imaginatione sublimus intelligimus? Egregiè Plato, *Aurborem*, inquit, & *quasi parentem hujusce Universi, invenire difficile; & cum inveneris, impossibile, ut cuiquam declares.* Et postea (quod alia occasione jam retulimus) Si, inquit, cum multi multa de Deorum natura, & Universi ortu*

I. Ethic. I.

in Tim.

dixerint, id nos modò explicare instituentes, hoc (quod habemus animo) censequimur, ut tota dilucidè, & planè oratio exornata sibi constet, & ex omni parte secum ipsa consentiat, ne sanè mirum videatur, contentique esse debeat, si probabilia dicentur. Æquum est enim meminisse & me, qui disseram, & vos, qui meorum sermonum iudices estis, humanè esse naturà; ut si probabilia quidè dicentur, nihil sit ultra investigandū.

10. de gen.  
ad lit. ult.

adv. Herm.  
35. adv. O.  
vig. 7. & 2.  
con. Marc.  
16.

2. de Nat.  
div.

Ex quibus dico etiam Epicurum tolerari potuisse, nisi retinisset in Deo & formam humanam, & alia, quæ ferri non possunt: dixisset verò solùm esse Dei non corpus, sed quasi corpus; hoc est, quatenus mente concipi per intelligentiam intuitivam potest. Quin etiam pari censu videri cum Tertulliano ipso potuisset, qui cum ipsam substantiam corpus cujusque esse censeret; & Deum quidem spiritum, sed corpus tamen esse autumaret; stimuit, ut verbis dicam D. Augustini, ne Deus nihil esset, si corpus non esset, Corpus quidem Deum esse censuit, sed corpus tamen esse dixit sui generis, quò indicaret, non tale esse, qualia hæc omnia, quæ sensibus parent; verùm quodpiam aliud subtilissimum, purissimum, lucidissimum &c. Nam & dexteram, inquit, & oculos & pedes Dei legimus; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis, & humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit, &c. Potuisset, inquam videri Epicurus pari sensu esse, quatenus dicens Dei esse non corpus, sed quasi corpus, intellexisset corpus sui generis, hoc est, non qualia sunt densa crassaque, sed cujusmodi potest solâ mente percipi; quippe & propterea Deos λόγων θεωρητῆς, mente contemplabilis dixit, ut suprâ quoque retulimus; & eam descripsit speciem divinam, Quæ, vel Cotta non diffitente, nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil eminentis; sitque pura, tenuis, & pellucida; ut proinde Balbus arripuerit anam jocandi, quod Epicurus fuisse Monogrammos Deos commentus. Quo loco notum est Monogrammos dici instar hominum macie extenuatissimorum, & Metaphorâ à picturis ductâ, quæ priusquam coloribus quasi corporentur, lineis quibusdam adumbrantur conficiantibus eam picturæ speciem, quam prisca Latini dixerunt sublestam, ut & sublestum, languidumque, quod est dilutissimum vinum. Uno verbo; ut si quis persuasurus plebeio esse aërem substantiam corpoream, quod tamen corpus non sit palpabile, aspectabileque, ut lapis, aut mons; sit nihilominus quasi corpus, seu quidpiam

piam tenue, fluidum, ac suo modo habens longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ita Epicurus potuisset concipere Divinam naturam, ut substantiam quamdam, non quæ esset corpus visibile, aut in sensum cadens; sed quæ esset quasi corpus, hoc est simplicissima quidem, ac tenuissima, sed habens simul adjuncta quædam similia corporibus. Quippe & nos quoque, ut est ante dictum, cum illam Dei majestatem, divinamque ejus, & infinitam substantiam, imaginari, si ve quasi intuitivè intelligere volumus, non alio modo concipimus, quàm exhibente sese nobis, seu obversante nostræ menti aère quodam purissimo, lucidissimo, incircumscriptéque diffuso.

Pergit consequenter Cotta impugnare eas ratione Velleius verbis recitatis proposuit. Annotat enim eas esse tres: *Primam*, quòd ita sit informatum, anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogiter, forma occurrat humana. *Secundam*, ut quoniam rebus omnibus excellat Natura divina, formâ quoque esse pulcherrimâ debeat, nec esse humanâ ullam pulcriorem. *Tertiam*, quòd nulla in alia figura domicilium mentis esse possit; ac tum adversus primam sic instat: *Arripere mihi videmini quasi vestro jure rem nullo modo probabilem. Quis tam cæcus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam Sapientum, quòd facilius animos imperitorum ad Deorum cultum à vitæ pravitate converterent: aut superstitione, ut essent simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem Poëtæ, Pictores, opifices. Erat autem non facile agentibus aliis, & molientibus Deos in aliarum formarum imitatione servare. Et infra, Quid si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de Deo cogitantibus speciem, nisi hominis, occurrere; tamen ne ista tam absurda defendes? Nobis fortasse, si occurrit, ut dicis, Iovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum. Apollinem, reliquos Deos, eâ facie novimus, quæ Pictores, fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, et ætate, atque vestitu. At non Egyptij, nec Syri, nec ferè cuncta Barbaries. Firmiores enim videas apud eos opiniones esse de bestiis quibusdam, quàm apud nos de sanctissimis templis, & simulacris Deorum. Etenim fana multa exspoliata, & simulacra Deorum de locis sanctissimis ablata videmus à nostris; at verò, ne fando quidem auditum est, Crocodilum, aut Iban, aut Felem violatum ab Egyptio. Quid igitur*

I. de Nã.  
Dcor.



tur censes? Apim, illum sanctum *Aegyptiorum* bovem, nonne Deum videri *Aegyptiis*? Tam hercle, quam tibi illam nostram *Sospitam*, quam tu nunquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis *Argiva*, nec *Romana Iuno*. Ergo alia species *Iunonis Argivis*, alia *Romanis*, alia *Lanuinis*. Et quidem alia nobis *Capitolini*, alia *Afris Ammonis Iovis*. Pergit porro, Non pudet igitur *Physicum*, id est, speculatorem, venatorémque naturæ, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Isto enim modo discere licebit *Iovem* semper barbatus, *Apollinem* semper imberbem, *cæstios oculos Minervæ*, *cæruleos esse Neptuni*. Et quidem *Athenis* laudamus *Vulcanum* eum, quem fecit *Alcmenes*, in quo stante, atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de *Vulcano* sic accepimus. Age, & his vocabulis Deos esse facimus, quibus à nobis nominantur. At primùm, quot hominum linguæ, tot nomina Deorum. Non enim, ut tu *Vellejus*, quocumque veneris, sic idem in *Italia Vulcanus*, idem in *Africa*, idem in *Hispania*. Deinde, nominum non magnus numerus, ne in *Pontificiis* quidem nostris; Deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? Istud quidem ita vobis dicere necesse est. Quid enim attinet, cum una facies sit, plura esse nomina? Quàm bellum erat, *Vellei*, confiteri potius nescire, quod nescias, quam hæc effutientem nauseare, & ipsum tibi displicere? An tu mei similem putas esse, aut tui Deum? Et postea: Nec verè intelligo, cur maluerit *Epicurus* Deos hominum simileis dicere, quàm homines Deorum. Quæres, quid intersit? Si enim hoc illi simile sit, esse illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram pervenisse ad Deos; *Dij* enim semper fuerunt, & nati nunquam sunt, siquidem æterni sunt futuri: at homines nati. Antè igitur humana forma, quam homines, eà quæ erant formæ *Dij* immortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dicenda est. Verùm hoc quidem, ut voletis; illud quæro; Quæ fuerit tanta fortuna? Nihil enim in rerum natura ratione factum esse vultis, sed tamen quis iste tantus casus? Unde tam felix concursus *Atomorum*, ut repente homines Deorum formæ nascerentur? Semina Deorum decidisse de cælo in terras putamus, & sic homines patrum simileis existitisse? Vellem diceretis: Deorum cognationem agnoscerem non invitus. Nihil tale dicitis; sed casu esse factum, ut Deorum simileis essemus. Et nunc argumenta quærenda sunt, quibus hoc refellatur?

Hæc

Hæc vero quoque præclare Cotta; nisi quod rursus ejus instantia extendi non debet, imprimis ad hoc, ut negetur universè esse aliquam hominis similitudinem cum Deo. Siquidem, cum Literæ Sacræ testentur, *Deum fecisse hominem ad imaginem; & similitudinem suam*; quæpiam haud-dubiè est inter Deum, ac homines similitudo. Ac non est ea quidem corporis respectu, nisi fortè analogia, quæ, exempli causâ, ut erecta hominis facies ad imperandum comparata est; ita Deus ter-maximus est Dominus universorum; aut ex Metaphora, qua ut homo oculis, manibus, membrisve aliis peragit varia; ita Deus ea peragit, ob quæ eadem membra Metaphoricis ipsi attribuantur. Metaphoricis, inquam, & non verè, ex quo damnati meritò Anthropomorphitæ, & monachi illi Ægyptij, qui accessere ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, interfecturi, nisi Originis libros diris devovens, corporeum, & humana forma Deum profiteretur, quod memoratur à Socrate in Ecclesiastica historia. Verum agnosci aliqua potest similitudo respectu mentis, quatenus est & substantia quædam incorporea, & suapte natura intelligens, proprietas quidem competit cum primis naturæ Divinæ. Tametsi enim quæ in homine est intelligentia, minima, debilissima, ac imperfectissima sit, aliquantula tamen semper est, idemque nominis cum Divina habet, uti habet guttula aquæ eandem qualitatem, denominationemque humoris cum toto Oceano, & flammula lucernulæ eandem lucis cum ipso Sole. Hoc certè ipso commendari mens potest, quod sua intelligentia assequatur Deum & esse, & intelligentem esse, ac per ipsam obtineat aliquod cum Deo commercium. Heic non attingo profundiora Religionis sacræ mysteria, ut adorandæ Trinitatis, seu divinarum trium Personarum, quas Sacri Doctores ad totidem mentis facultates referunt, ut adorandæ Incarnationis, ob quam non modo Deus dicitur in similitudinem hominum factus, sed etiam Deus dicitur homo, homo Deus &c. Commemoro solum id, quod propiùs ad naturale lumen accedit, ut est universè quædam hominis similitudo, quam & Philosophi agnoverunt, ut Platonici, Stoicique, & Poëtæ etiam celebrarunt; heinc enim est illud:

Gen. i.

Trip. lib. 10  
cap. 7.

I. Moan.

*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Non debet rursus quod ait Cotta extendi ad hoc, ut Anticipatio Dei

universè

universè evertatur. Nam licèt anticipatio non sit de intima ipsa natura Divina, quoniam ignoratur quid sit; est tamen saltem anticipatio de ejus existentia, quoniam cognoscitur, quòd sit. Et quamvis anticipatio de humana forma, non arguat Deum eâ formâ esse; arguit nihilominùs esse; quemadmodum anticipatio de vultu sub larva latente, non demonstrat quidem qualis vultus sit, sed demonstrat autem quòd aliquis sit. Unde est quidem imperfectio in ipsa anticipatione, quòd ad naturam attinet, non verò quòd ad existentiam, quoniam ad intelligendum qualis sit naturâ, imbecilles sumus, nostraque imbecillitas eò nos adigit, ut humano modo, & humanum quid concipiamus: ad intelligendum verò existentiam, sumus magis idonei, quatenus effectum nosse sufficit, ut existere causam certi simus. Quòd Cotta verò objicit de consilio Sapientium, de varietate picturarum, & similibus, id ipsum probat præhabitam, ac deinceps solùm exultam, adauctam, variatam anticipationem; cùm aliqua semper universim fuerit. Et quòd interferitur de Ægyptijs, tum ad anticipationem generalem est satis; tum ne destruit quidem anticipationem de forma humana, quatenus, ut jam dictum est, intellexere illi mentem, etiam in obscenis animalibus, quæ humanæ similis foret, cuique, si separata conciperetur, oporteret humanitatis lineamenta tribuere.

Adversus Secundam rationem hæc habet: *Non vides, quàm blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura? An putas ullam esse terram, marique beluam, quæ non sui generis beluâ maximè delectetur? Quòd nisi ita esset, cur non gestiret taurus equæ contrectatione, aut equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum ullam anteferre censeres figuram suæ? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura præscripsit, ut nihil pulcrius, quàm hominem putaret, eam esse causam, cur Deos hominum simileis putaremus? Quid censeres, si ratio esset in beluis, non suo quasque generi plurimum tributuras foret? At me hercle ego (dicam enim ut sentio) quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere pulcriorem esse me, quàm ille fuit Taurus, qui vexit Europam. Non enim hoc loco de ingenijs, aut de orationibus nostris, sed de specie, figurâque æritur. Quòd si fingere nobis, & iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton fingitur, natantibus irvebens beluis, adiunctis humano porpori, nolis esse? Difficilis in loco versor. Est enim vis tanta naturæ, ut*  
*homo*

*homo nemo velit, nisi homini similis esse. Et quidem formicæ. Sed tamen  
cujus hominis? Quotus enim quisque formosus est? At benis cum essem, è  
gregibus Epheborum, vix singuli reperiebantur. Video quid arripseris; sed  
tamen ita se res habet. Deinde nobis, qui concedentibus Philosophis anti-  
quis, adolescentibus delectamur, etiam vitia sæpè jucunda sunt. Nævus  
in articulo pueri delectat Alcæum; at est corporis macula nævus; illi ta-  
men hoc lumen videbatur. Q. Catulus hujus collegæ, & familiaris no-  
stri pater, dilexit municipem tuum Rosciam, in quem etiam illud est ejus:*

*Constiteram exorientem auroram fortè salutans,*

*Cùm subitò à læva Roscius exoritur.*

*Pace mihi liceat, Cælestes, dicere vestra,*

*Mortalis visus est pulcrior esse Deo.*

*Hui pulcrior Deo! at erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid re-  
fert, si hoc ipsum falsum, & venustum illi videbatur. Redeo ad Deos.  
Ecquos, si non tam strabones, & pætulos esse arbitramur? Ecquos næ-  
vum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis?  
An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num etiam est una om-  
nium facies? Nam si plures, aliam esse alià pulcriorem necesse est. Igitur  
aliquis non paterrimus Deus. Si una omnium facies est, florere in calo  
Academiæ necesse est. Si enim nihil inter Deum, & Deum differt, nul-  
læ est apud Deos cognitio, nulla perceptio.*

*Hæc præclare iterùm Cotta, nihil quod illius objectio, dum φιλαν-  
θίας meritò damnat, non ita extendenda est, ut quæ in homine perfe-  
ctio supra reliquas animanteis est, aut dejiciatur, aut ambigua fiat. Si-  
quidem, cùm nostri amorem, quantum licebit exuerimus, apparebit  
semper superesse aliquid, unde non prorsus immeritò supra cætera  
evahamur. Quippe nullum nobis animal occurret, quod perinde rati-  
ocinetur, quod, non dico, loquatur, sed saltem scribat, transmittat-  
que poteris notitiam rerum præteritarum; quod ita observet natu-  
ram, consignetque, & monumentis committat observata cælestia;  
quod tot opera elaboret sic affabrè facta, & (ne caput præteream)  
quod habeat notitiam Dei, cultumque ipsi exhibeat. Quæ sanè, si ita  
se habeant; si inquam, antecellat homo animantibus cæteris, propter  
hæc doteis, & plerasque alias; cur non præcellat etiam ratione stru-  
cturæ, formæque, qua præditus est? Cùm sit enim recipientis ad rece-  
ptum proportio, sicut Effat si vulgare est, sanè ut anima humana cæteris  
præluceat, sic corpus illà extipiens præfulgere cæteris debet cõforma-  
tione,*

tionem, & venustate. Ut cætera verò reticeam, quid censendum putas de erecta illa soli homini concessa figura, de qua est paulo ante dictum? Cùm cætera enim animalia Terram prona spectent, Natura, seu potius ille Opifex rerum.

*Os homini sublime dedit, Calumque tuens,*

*Iussit.* —

Sicque proinde conformavit, ut mentis altæ capacior

— *dominari in cætera posses.*

Hæc eò pertinent, ut intelligas, si forma humana pulcherrima sit omnium; videri, quod est ante dictum, non posse Deum sub alia, quàm humana concipi forma, quatenus natura Divina ea est, quâ nihil potest esse formosius. Hæc certe causa esse videtur, cur ab omni antiquitate dictus Deus fuerit *Patens hominum*; cur homines dicti fuerint *Genus Deorum*. Et si vero unumquodque animal delectetur maximè iis, quæ sui sunt generis, ut argumento maximo sit, quod existimet genus suum esse omnium pulcherrimum, non propterea dicendum est omnia æque pulchra, nisi & dicamus omnia æqualia esse in omnibus. Quod si semel admiseris pulchritudinum discrimina varia, tum alia alijs pulchriora, & aliquid pulcherrimum. Hoc autem quale esse possit præter hominem, qua assequere conjecturâ? At difficultas superest, in quo consistat hæc pulchritudo; & urget Cotta id maxime propter nævos, qui lumina quædam plerisque videntur: verùm, ut variis varia placent, & unusquisque pro suo affectu quidpiam decorum judicat, ita universe dici potest eam formam videri pulcherram, cui ad integritatem, & conformationem nihil deest. Quod in aliquo enim nævus, aut perversitas membrorum delectet, id ex assuetudine fit: sed da assuetudinem eandem cum perfectione conformatione, erit haud dubiè delectatio major, Prætereo & mores quidpiam facere, sed rem prosequi non est hujus loci.

Quod ad Tertiam spectat, quamplurima habet. Ut decerpamus verò duntaxat, & verbis tamen ejus dicamus: *Adjungis, inquit, nec rationem esse nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Numquam vidi, inquis, animam rationis, consilique participem in ulla alia, nisi humana figura. Quid? Solis numquid nam, aut Luna, aut quinque Errantium Siderum simile vidisti? Ne sint igitur ne Sol, ne Luna, ne stella; quoniam nihil esse potest nisi quod attingimus, aut vi dimus. Quid, mundum, præter hunc, unquam ne vidisti.*

ne vidisti? *Negabis.* Cur igitur non sexcenta millia esse Mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere? Quid Deum ipsum, num-nam vidisti? Cur igitur credis esse? *Ratio docuit.* Ergo hoc te ratio non docebit, cum praestantissima natura queratur, eaque beata, & aeterna, ut immortalitate vincimur ab ea, sic animi praestantia vinci; atque ut animi, ita corporis? Cur igitur cum ceteris rebus inferiores sumus, forma pares sumus? Ad similitudinem enim Dei proprius accedebat humana virtus, quam figura. Ipsa verò, quam nihil ad rem pertinet similitudo? Quid canis, nonne similis lupo? atque, ut *Ennius,*

*Simia quam similis, turpissima bestia, nobis?*

At mores in utroq; dispares Quid inter ipsos homines? Nonne & dissimilimus formis dispares mores, & moribus consimilibus figura dissimilis? Quae sunt tanta animi angustia, ut si Seriphi natus esses, nec unquam egressus ex Insula, in qua lepusculos, vulpeculasque saepe vidisses, non crederes Leones, & Pansheras esse, cum tibi, quales essent, diceretur? Si verò de Elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares. An quicquam tam puerile dici potest, quam si ea genera beluarum, quae in rubro mari, India ve gignantur, negamus esse, quia nunquam vidimus? Tollamus ergo omnia, quae aut historia nobis, aut nova ratio affert. Ita fit, ut si Mediterraneum mare esse non credis. Attendo quo serpat genus argumenti. Tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse; sumes alius, nisi in terrestri; nisi in eo, qui natus sit; nisi in eo, qui adoleverit; nisi in eo, qui animo constet, & corpore caduco & infirmo; postremò nisi in mortali. Non sentitis quam multa vobis suscipienda sint, si impetraveritis, ut concedamus eandem esse hominum, & Deorum figuram? Omnis cultus, & curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, qua adhibetur homini; ingressus, cursus, accubatio, inclinatio, sessio, comprehensio; ad extremum etiam sermo, & oratio. Nam quod & mares Deos, & feminas dicitis, quid sequatur, videtis. Nisi fortè ne hoc quidem attendis, non modò in homine, sed etiam in arbore quicquid super vacaneum sit, aut usum non habeat, obstare. Quam molestum est uno digito plus habere? Quid ita? quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant. Tuus autem Deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, femoribus, cruribus. Omnesne tibi delirare visi sunt, qui sine manibus, & pedibus constare Deum posse decreverunt? Ne hoc quidem vos movet, consideranteis, qua sit utilitas, quaque opportunitas in homine membrorum, ut judicetis membris humanis De-

*os non egere. Quid enim pedibus opus est, sine ingressu? Quid manibus, si nihil comprehendatur? Quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Habebis igitur linguam Deus, & non loquetur? dentes, palatum, fauces, nullum ad usum? Quaque procreationis causâ corpori natura affixis, ea frustra habebis Deus? Nec externa magis, quam interiora, cor, pulmones, jecur, caetera, quæ, detracta utilitate, quid habent venustatis.*

Hæc denique præclarè Cotta; nisi quòd ejus argumentatio non videtur evertere, quod est de ratiocinatione in humana forma prædictum; neque extendi debet ad tollendum usum membrorum, quæ nostris similia cum sint, parem cum ipsis usum non habent. Videlicet hoc adversatur iis, quæ profitemur de gloriosis corporibus post Resurrectionem in Cælo futuris. Homines quippe in illo statu habebunt quidem eadem membra, at neque edent, neque bibent, neque nubent, &c. ut Servator loquutus est. At, inquires, non & in ipsis dici poterunt membra inutilia? Respondeo, nequaquam; sed ut illa erunt incomparabiliter perfectiora nostris; ita & usus habitura sunt incomparabiliter perfectiores. Sicuti enim Rusticus alium usum manuum capere non potest, quàm ut palpent, corripiant, repellant, arent, fodiant, &c. neque sibi potest in mentem inducere tot mirabileis illos usus, quos manus habet in citharædis, pictoribus, aurificibus, opificibusque cæteris; ita & nos, cum non alios usus membrorum nostrorum agnoverimus, quàm quos observamus in ista mortali, & quasi rusticana vita; non capimus, quos eadem membra in vita illa immortalis, ac cœlesti habere possint. Quamobrem, ut erit Rusticus ineptus, si iis usibus, quos perfectos habet, seclusis, inutilem judicet manum, quasi habere alios non valeat; sic nos inepti, si judicemus corporum gloriosorum membra idcirco forè inutilia, quòd perspectis nobis usibus caritura sint, quasi habere alios longè præstantiores non possint.

## . C A P U T II.

*Esse Univerſum infinitum, immobile, immu-  
tabile.*

**J**Am Univerſum ex Inani, & Corpore conſtans, Infinitum eſt. Idem, quod finitum eſt, extremum habet: quod verò extremum habet, id ex alio quopiam cernitur, ſeu ex intervallo extra aſſumpto cerni poteſt: At Univerſum ex alio quopiam extrinſecus non cernitur: quippe cùm nihil ſit intervalli, ſeu ſpatij, quod intra ſeipſum non contineat; alioquin enim Univerſum, niſi Univerſum ſpatium contineret, non foret: quare neque habet extremum. Quod porrò non habet extremum, id neque finem habet: quod vero finem non habet, id non finitum ſanè, ſed infinitum eſt.

Confirmatur autem, quia ſi extremum ſingas, & ſupponas quempiam in eo conſtitui, qui valida vi telum extroſum vibret, aut telum procedet, aut non, ſed cogetur conſiſtere. Et ſi procedat quidem, eſt ergo extra locus, quo circa & illeic non fuit extremum, ſin minus, ergo eſt aliquid exteriùs, quod motum inhibeat: ſicque illeic ruruſus extremum non fuit.

Porrò iſthæc infinitudo Univerſo competit & multitudine Corporum & magnitudine Inaniſ; idq; infinitatibus ſeſe invicem, alterniſq; ſeu ex ordine protendentibus. Nam ſi Inane quidem infinitum, & Corpora finita forent, tum corpora, quæ in perpetuo ſunt motu (ut dicendum non multò poſt) nuſquam conſiſterent, ſed per infinitum Inane diſperſa ferrentur; tanquam nihil habentia à quo liſterentur, compescerenturque variis reuſionibus. Sin verò Inane finitum, Corpora infinita forent; tum non pateret locus, in quo exiſtere infinita corpora poſſent.

Heinc proinde ipſi Univerſo, infinitove ſpatio non ita attribuendum eſt eſſe ſupra, ac infra, ut ſi quidpiam eſſet in Univerſo ſupremum, quidpiam inſimum; illud quidem, concipiendo ſpatium, quod eſt ſupra caput, non in infinitum protendi; hoc



verò, cogitando illud, quod sub pedibus, non in infinitum produci; perinde, ac si tam illud, quod suprâ, quàm illud, quod infrâ, ad aliquid unum, idemque determinaretur; uti fit ad nos, aut ad medium huiusce Mundi, alterâ partium ejus extremarum cogitata suprema, altera infima: in infinito scilicet, quod æquè ut extremis, ita medio caret, Mente assequi id non licet.

Quamobrem præstabilius est, assumere unam aliquam motionem, quæ fursùm procedere in infinitum intelligatur, & pari ratione aliam, quæ deorsum, tamen proinde illud mobile, quod à nobis, versus loca vertici nostro imminetia feretur, millies occurrat ad eorum pedes, qui suprâ sint, quique id advenire infernè opinentur (aliis scilicet cogitatis Mundis) aut quod à nobis versus regionem pedibus subjectam, ad verticem eorum, qui infrâ, quique idcirco adventare supernè crediturî sint: nihilo enim minùs tota utraque opposita motio intelligitur procedere in infinitum.

Hiscæ est consentaneum, ut Universum tale semper fuerit, quale & jam est; & quale jam est, tale semper futurum sit. Quippe & nihil est in quod, quasi naturam Universi habere desinat, mutetur; & præter complectens omnia Universum, nihil est, quod in ipsum irrumpens sit illi mutationis causa.

Jure ergo habetur Universum, ut immobile, prout extra illud nullus locus est, in quem emoveatur; sic & immutabile, quatenus neque decrementum, neque incrementum accipit, & ortu, interitûque caret; ac æternum proinde est, sive durationis principium, finemque non habet.

Ac moventur quidem mutanturque intra ipsum multa; verùm, qualescumque motus, mutationesve accipiantur, nullius planè momenti sunt, si ad ipsam Universi immensitatem comparentur; & non idcirco totum ipsum Universum aut moveretur aliò, aut mutatur in aliud; & non propterea non semper idem quale semper fuerit, esse perseverat; quoniam pares semper motiones, mutationesque in eo fuerunt: adeò proinde ut dicere liceat, nihil in Universo novum fieri, præter id quod in temporis infinitate est jam factum.

PETRI

## P E T R I G A S S E N D I

## ANIMADVERSI O I.

*An non Mundus hic Unicus sit pro Universo habendus?*

CUM dicendum jam de re ipsa sit, constat quæstionem esse eandem, aut cohærere certè cum ea, qua disquiritur, unus-ne, an plures sint Mundi? Quippe, tamen si Universum quadamtenus dici infinitum possit; videlicet prout Stoicorum sensu reputari potest complecti & Mundum, & cum Mundo inane spatium, quod quoquo versum sit infinitum: idque cum hujusmodi sensus non alius sit ab ea sententia, quam plerique Doctorem D. Augustinum imitantium probant, dum esse ultra Mundum infinita spatia, quæ appellant Imaginaria, & in quibus Deus creare alios Mundos possit, tuentur: nihilominus, quia Universum propriè, maximèque intelligitur sensibilem rerum complexio, cujusmodi est Mundus, sive unus, sive multiplex sit; idèd tota quæstio eò recidit, Universum-ne ex hoc unico, an ex pluribus Mundiis constet. Itaque priusquam de illis dicamus, qui opinione Fidei Sacræ consentanea, nobisque tenenda defendere Mundum esse unicum, age cognoscamus fabulas aliorum.

Ex ipsis quidam dixerunt Mundos esse numero quidem plures, sed non propterea tamen infinitos; alij infinitos esse autumarunt. Inter priores non accenseo illos, qui voluere solum esse Mundos succedentes plures, ac in tota Æternitate unum post alium innumeros: quæ fuit speciatim Heracliti, & Stoicorum sententia, ut deducetur inferius; & quam placuisse Origeni tum verba ejus indicant, tum Beati Hieronymus, Basilii, Methodii, & alij scribunt. De illis solis loquor, qui simul, temporè eodem existere plures censuerunt. Videtur autem fuisse Plutarchus assertor, fautorve istius sententiæ, dum Mundorum pluralitatem non perinde repugnare, ac infinitatem Dei providentiæ, atque unitari contendit, quòd unus summus Jupiter sufficere

2. de princ.  
Epist. 6.  
hom. 4. He-  
xam. lib. de  
resurr.  
De Orac.  
def. 1. plac.  
5.

M,

omnibus

omnibus valeat (id autem propter Stoicos dicit) ac non solvit modò locis variis quas rationes Plato, Aristotelesque pro unitate Mundi habent; verum etiam tradit Platonem, infinitate Mundorum rejecta, tum de multitudine Mundorum definita subdubitasse, tum visum fuisse quinque Mundos distinctos constituere. Prætereo autem opinionem, quam ipse sive Peregrino, sive Platoni tribuit de Mundis centum octoginta tribus, trianguli formâ dispositis; atque ita quidem, ut in quovis latere forent sexaginta, & unus præterea in quolibet angulo; essent verò omnes contingentes sese  $\text{ἑξήκοντα}$  *secundum elementum*, hoc est, ut puto, quasi circumvestiens materiæ cujusque residuum, sicque interciperent aream, quasi communem omnium focum, quæ Veritatis campus diceretur, & in quo reposita essent rerum omnium exemplaria, formæ, rationes, &c. Ex quibus penè intelligitur, non fuisse illum, nisi symbolicè loquutum. Ac si nihil aliud quidem dixisset, quàm esse Mundos centum octoginta treis, videri posset respexisse ad dies Anni, quorum numerus est proximè duplus, quique creantur describente Sole orbis parallelos centum octoginta treis, semel ascendendo ex Capricorno in Cancrum, seu à die minimo in maximum, semel descendendo ex Cancro in Capricornum, seu à die maximo in minimum; videri etiam posset triquetrà illâ formâ respexisse ad treis Anni tempestates, ut putà Hiemem, Ver, ac Æstatem (neque enim plureis Prisci agnoscebant) verùm quia cætera non possunt interpretationi huic coherere; idcirco quid ille censuerit, quod videri possit verisimile, ut obscurum, ita dimittendum.

Inter Posteriores quidam primùm fuere, qui Mundos quidem infinitos multitudine fecerint, sed illos tamen habuerint communicanteis invicem, & quasi alios aliis implexos per Universi immensitatem. Ita videntur intelligendi, præter memoratum jam antè Seleucum, Heraclides, Pythagorei, illique Orphei Sectatores, qui, referente Plutarcho, censuerunt unamquamque Stellam in infinito æthere esse Mundum, qui etiam terram, aërem, ætheraque contineat. Ita accepere quoque nuper aliqui ex iis, qui, Seleuci apud Plutarchum imitatione, ut Teluri, Lunæ, & quinque Stellis Errantibus motum, sic Soli, & Stellis

2. plac 13.  
ut Iord.  
Brun. in  
quæst. Plat.

Stellis Inerrantibus quietem conciliant. Nempe censuerunt ipsi quoque esse Vniversum ita infinitum, ut ubicumqueingas te in ipso pedem figere, & circumquaque, seu quoquoersum, tanquam ex centro respicere, talem aliquam Mundi formam, qualis nobis heinc quoquoersum aspicientibus apparet, sis observaturus. Vt enim nobis in Terra degentibus, Sol, Luna, Planetæ, Stellæ, Fixæ, Cometæ, & alia, quavis inæquabilissimis à Terra distent interval-  
lis; omnia tamen esse videntur in eadem concavi ejusdem corporis superficie; pari ratione, inquirunt, si fores in Luna, tum Sol, Terra, Planetæ, Fixæ, & universæ cætera apparerent tibi in eadem quasi superficie circumquaque disposita: Ac pari modo, si in Sole, si in Jove, itemque in Canicula, in Arcturo, aut quovis alio Sidere. Et quia juxta hanc sententiam, circa Solem, ut circa centrum moventur Mercurius, Venus, Tellus cum Luna, Mars, Jupiter cum suis Asseclis, & Saturnus demùm cum suis; idcirco volunt regionem hanc à Sole usque ad Saturnum, esse Mundum quasi specialem, qui Solaris vocari valeat; posseque ipsum è regione aded distante conspici, purà ex aliqua Fixarum, quas supra communem sententiam longè distantissimas habent, uti & Sol appariturus solum sit, quasi Stella quædam exilis, & Planetæ circumducti aded propinqui ipsi Soli, ut perinde cum illo, ac intra ejus radiationem coituri sint in Systema quoddam perexiguum, ac respectu nostri, & citra Telescopium coeunt cum ipso Planeta Jovis quatuor illæ stellulæ, quæ ipsi semper circumferuntur.

Censent proinde & Caniculam, & Aristam, & cæteras Fixas esse totidem quasi Soleis, circa quos seu sint speciales Planetæ, seu non sint, Mundi tamen formæ speciales appareant; aded ut alius Mundus appellari possit Canicularis, alius Aristæus, alius Arcturius, alius Lyricus, alius Capellanus, &c. nolter hic Mundus dici potest Solaris, seu Sol cum toto satellite procul ex Mundis illis respectus, perinde possit numerari inter Stellas Fixas, ac illi numerantur nobis in Solis Mundo degentibus. Heinc postremò existimant Mundos istos varios sic inter se communicare, sibi que mutuo quasi implecti, ut ex omnibus proximis, & ad spectabilibus totalis quidam, & qui dici possit Visibilis Mundus constetur.

confietur. Videlicet respectu nostri Arcturus, Lyra, Canicula, & quotquot Stellæ videri possunt in eodem quasi coronamento, seu Mundi extremo nos circum-ambiente, ad totum Mundum, qui heinc nobis visibilis est, pertinent, & pari modo ad Arcturium pertinebant Lyra, Canicula, Sol, Arista, & cæteræ, quæ ex illo loco, ac rursus in eodem quasi coronamento, circum-ambienteve extremo, conspiciuntur Fixæ; atque ita de reliquis. Dixi autem proximos, aspectabileisque; quoniam, cum Fixæ Stellæ spargantur per Universi immensitatem, illæ, quæ ad eò remotæ sunt, ut jam conspici à nobis non possint; illæ, inquam, ad nostri Mundi constitutionem non faciunt, ut neque noster ad illarum proprios; licet connectantur cum nostro per stellas interpositas, seu Mundos utrisque conspicuos; ut noster per illos, & illi per nostrum connectuntur ulterius aliis, aliisque in infinitum. Posset res declarari exemplo aut silvæ, aut latioris campi arboribus consiti, quem dum quis pervadit, & caliginoso aère præsertim, circumpositum semper habet quoddam quasi coronamentum arborum complurium, quod ita continuo varietur, ut penè tamen idem appareat, dum aliæ, aliæque arbores semper reteguntur, aliæ, aliæque occultantur; & remanent semper nonnullæ, quæ cum occultatis visæ fuerint, & cum relictis adhuc videantur. Verumtamen & res videtur non esse captu difficilis, & nihil est necesse in commemorandis, declarandisque infomniis tantum operæ collocare.

Cæteri statuere Mundos diffitos, nihilque cum hoc commune habentis, & vel simileis, vel non multum certè ab ea forma abhorrenteis, qua hic noster concipitur. Enumerantur à Stobæo pro hac sententia Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Xenophanes, Diogenes (Apolloniates scilicet) Leucippus, Democritus, Epicurus. Addit Laërtius Zenonem Eleaten: addunt Valerius Maximus, Plutarchus, & alij Anaxarchum illum, quo edifferente Mundos infinitos, lacrymatus est Alexander, & rogantibus Amicis, num quid accidisset: *An-non*, inquit, *dig-num nos flere, si cum Mundi sint infiniti, nondum unius domini sumus?* Ex quo Satyricus,

*Ecl. Physf.*

*lib. 9.  
lib. 8. cap.  
5. de an.  
trang.*

*Unus Pellao Iuveni non sufficit orbis:*

*Æstuat angusto conclusus limite Mundi.*

*Vt Gyra clausus scopulis, parvâque Seripho.*

Prætereque verò inter cæteros Metrodorum illum, de quo Plutarchus, ac Stobæus; & quem nonnulli, ut Achilles Tattius, volunt fuisse Lampfacenum Epicuri familiarem, ac discipulum; cùm, ut alibi, propter Stobæum indicavimus, videatur fuisse Metrodorus Chius.

Hujus scilicet dictum celebratur, *ἄτοπον εἶτ' ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ἕνα εἶχον φηθῆναι, ἢ ἕνα κόσμον ἐν τῷ ἀπειρῷ*, Tam absurdum esse in Vni-  
verso infinito unum Mundum nasci, quam in magno agræ unam nasci spicam.

Verumtamen, ut de Epicuro, cujus præsertim, ac Plutarchi, ali-  
quæ adversus unitatem Mundi rationes obijciuntur, dicamus, is  
cætera inter ad Pythoclem scribens, ubi præmisit aliqua de Mundo,  
ipsiusque extremo, subdit, *ὅτι ἢ ἢ τοῖσδε κόσμοι εἰσὶν ἄπειροι τὸ  
πλήθος, εἴ κατυλαβεῖν*, quod tales autem Mundi sint infiniti, capere li-  
cet. Lucretius verò non sine apparatu idem dicendum aggreditur,  
ac tandem sic infert.

*Desine quapropter, novitate exterritus ipsi.*

*Expuere ex Animo rationem; sed magis acri*

*Judicio perpende; & si tibi vera videtur,*

*Dede manum; aut, si falsa est, accingere contra.*

Sed de hujuscemodi quidem, quam jactat, ratione paulò pòst di-  
cetur; observo heic, cùm Epicurus plureis esse Mundos statueret,  
videri illum fuisse primum, qui intercapedines, intervalla, seu  
spatia ipsis intercepta *Μετακόσμια* dixerit, uti & Cicero primus  
fuit, qui interpretatus fuerit *Intermundia*. Exstat locus in primo de  
Natura Deorum libro, ubi colloquentem Vellejum inducens, sic  
habet, *Tum Vellejus, fidenter sanè, ut solent isti, nihil tam verens, quàm ne  
dubitare aliqua de re videretur, tanquam modo ex Deorum concilio, & ex  
Epicuri intermundijs descendens, Audite*, inquit, &c. Dicit verò alibi  
quoque Cicero *Intermundia*, ut cùm in tertio de Finibus, *Indivi-  
dua*, inquit, cùm dicitis, *Intermundia*, quæ nec sunt ulla, nec possunt esse,  
intelligimus: Atque id quidem, cum locis aliis, vice *Intermundij*,  
appellet locum inter Mundos, ut cùm in Opere de Divinatione,  
dicit *Epicurum inducere Deos pellucidos, perstabilesque, & habitanteis, tan-  
quam inter duos lucos, sic inter duos Mundos, propter metum ruinarum.*

N

Quod

lib. 7. c. 3.  
in Arat.  
Ph.

Quod imitatus Quintilianus, *Epicurus*, inquit, *humanam Deo formam, locumque inter Mundos dedit*. Sic porro etiam Achilles Tattius; sed immorandum in hoc non est.

Ecl. Phys.  
25.

lib. 2. c. 1.

Veniendum jam est ad aliam sententiam, quam prædiximus esse maximè principiis Sacræ Fidei, Religionisque consentaneam. Scilicet in Literis Sacris Mundi mentio nusquam habetur numero multitudinis; & quæcumque in iis traduntur de Rerum origine, de Providentia, de conditione Hominis, de Felicitate, deque aliis, &c. omnibus singularem indicant Mundum. Fuere porro ex hac sententia Philosophi nobiles, qui à Stobæo memorantur, Thales, Pythagoras, Empedocles, Echphantus, Parmenides, Melissus, Heraclitus, Anaxagoras, Plato, Aristoteles, Zeno Stoicus. Possemus plureis enumerare; sed unus tamen Plinius sufficiat, qui postquam præmisit *Mundi hujus extera indagare nec interesse hominum, nec capere humanæ conjecturam mentis*; ac deinceps quoque furori attribuit, *Mensuram ejus Animo quosdam agitasse atque proderè ausos*; alios rursus occasione heinc sumpta, aut his data, innumerabileis tradidisse *Mundos, ut totidem Rerum naturas credi oporteret; aut, si una omneis incubaret, totidem tamen Soleis, totidemque Lunas, & cætera, etiam in uno, & immensa, & innumerabilia Sidera; quasi non eadem quæstione semper in termino cogitationis occursum, desiderio finis alterius; aut, si hæc infinitas naturæ omnium Artifici possit assignare, non illud eadem in uno facilius sit intelligi, tanto præsertim opere? tum demùm subdit, Furor est, profectò furor, egredi ex eo; & tanquàm interna ejus cuncta planè jam sint nota, ita scrutari extera. Quasi verò mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat; aut Mens hominis videre; quæ Mundus ipse non capiat? Diceret Plinium subnotare Lucretianâ illam Epicuri commendationem.*

lib. 1.

*Ergo virida vis Animi pervicit, & extrâ  
Processit longè flammantia mania Mundi,  
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,*

lib. 3.

*Quid nequeat; finita potestas denique quoique.*

Laert. l. 6.

Quasi verò lepidè quæri ex Epicuro non potuerit, quod Diogenes jam ex alio quæsierat, ex quoto nempe die usque ex illis suis Mundis, Intermundiisque advenisset, unde factas sibi res obvias ita memoriter referret. Meritò sanè, Herimias ridens, fingit se *commatum quæsisse ad peragendum Epicuri Mundos, ac tum transcendisse*

De gemil.  
Phil. irris.

pojs

post hunc, alium, ac rursus & tertium, & quartum, & quintum, & aecimum, & centesimum, & millesimum, & quousque tenebrae densae, errorque infinitus subjicit. Allusit verò D. Augustinus ad hujusmodi peregrinationes, cum, *Innumerabiles*, inquit, *veniunt Mundi, quibus Epicuri cogitatio innumerabiliter peregrinata est.*

con. Epist.  
fund. c. 18.

Notandum porrò, quod alio loco idem S. Doctor insinuat, dum, *Cogitent*, inquit, *extra Mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabileis Mundos cum Epicuro somniare cogatur, eà tantum differentià, quòd eos ille fortuitis motibus Atomorum gigni asserit, & resolvi, isti autem opere Dei factos dicturi sunt?* quippe verba hæc arguunt agi de statu rerum, qui reipsa sit, non de eo, qui alioquin esse per Divinam Virtutem possit. Nam fatendum est quidem convinci demonstratione non posse, non esse Mundos præter hunc alios; quando profiteamur potuisse, & posse adhuc condere Deum alios innumerabileis; cum neque unquam exhausti vis ejus infinita valeat; neque eadem nihili abyssus, è qua iste eductus est, ulla ratione obsistere. At verò tueri aliunde plureis Mundos reipsa esse, præter rationem omninò est; tum quia Deus nihil planè voluit, nisi de hoc uno innotescere, tum quia rationes oppositæ aut frivolæ penitus sunt, aut non multùm habent probabilitatis. Non urgeo verò heic rationes, quas Plato, & Aristoteles pro Mundi unitate habent. Nimirùm Plato, cum visus est quintuplicem facere Mundum, intellexisse solummodò quinque istius parteis videtur, seu Elementa quatuor, ac Cælum; id scilicet pro numero quinque corporum regularium, quorum singula singulis attribuit, ut memorandum posterius est; in eo autem totus incubuit, ut ostenderet Mundum hunc ex ipsis constantem non multiplicem, sed unicum esse. Ostendit autem ex eo, quòd non haberetur Mundus perfectus, neque perfectum Animal, si universa non contineret; si non similis suo exemplari foret, si non unigenitus; si non à corruptione immunis, si non-nisi infinità doctrinà cognoscibilis; si infinitè varius; si aliquid prætereum esset. Aristoteles autem ex eo confirmavit; quòd extra hunc Mundum neque Vacuum, neque Locus, neque Tempus sit; quod universa materies sic in hunc Mundum exhausta sit, ut si universa similitas conferretur in unum nasum; quod extra hunc Mundum, nullum

II. civ. 15.

in Tim.

I. decalo.  
10.



nullum neque simplex, neque mistum corpus consistere possit, propter eam violentiam, qua detineretur, dum niteretur in suum locum intra istum Mundum se recipere; Veluti Tera, si illeic esset, in medium hujus Mundi locum. Non urgeo, inquam, istas rationes, quando & Plutarchus eas solvit, & multa dici præterea possunt, ac potissimum, quatenus Divinæ scientiæ, potentiæ, ac libertati adversantur; &, possibilitate aliunde spectata, non alia ratio quærenda est, quàm quòd nulla sit ratio plurium Mundorum afferendorum.

de Orac.  
def.

Heinc, ut respondeamus ad illas, quas invenimus posse ex Plutarcho, & Epicuro objici, illa est imprimis Plutarchi propria, quæ ex eo deducitur, quòd non rationi modò, sed Naturæ etiam Divinæ sit magis consentaneum plureis esse Mundos, quàm unum. Nam, cum, inquit, *Deus sit perfectè bonus, nullius virtutis est expers, tantum abest, ut justitia, atque amicitia; quoniam & pulcherrima sunt, & Deos quoque ipsos decent. Cumque ea Dei natura non sit; ut quidpiam frustra, ac sine ullo usu habeat, sunt profectò alijs extrà & Djs, & Mundi, erga quos utatur virtutibus istis ad communitatem pertinentibus; neque enim erga seipsum, aut sui partem, utitur justitia, gratia, bonitate; verum erga alios. Quære probabile non est, amicitia, vicinistatis ac commerciorum exortem Mundum in infinito Inani fluctuare.* Huic rationi affinis quodammodo est illa, qua Recentiores illi utuntur, dum ajunt Divinam potentiam, atque bonitatem docuisse, ut nisi magnitudine infinitum faceret Mundum, multitudine saltem ipsa infinitatem exprimeret; siquidem contendunt infinitæ causæ infinitum esse debere effectum; cum ratio esse nulla videatur, cur causa infinite potens præter naturam suam agat, hoc est vim suam contrahat ad finitum quid producendum. Contendunt aliunde rem infinite bonam aut degere præter naturam, nisi sese infinite communicet; aut hoc ipso non videri esse optimam, si eam suis operibus invidet amplitudinem, quam imperitijs ipsis valeat. Urgent, non fore, cur vel substantiam, vel proprietatem ullam divinam infinitam esse suspicemur, nisi illa se aliquo effectu infinito prodat. Nam & tamen si Mundum istum, quantumlibet magnum, præclarumque produxerit, cum definitus tamen sit, infinite adhuc abesse, ut causam declaret, cujus sit virtus infinita.

Circa

Circa porrò istam rationem, illud, heic prætereo, quod ille de Deorum pluralitate interferit; id nempe suo inferiùs loco refellendum ex professo est, cùm attingendum quoque sit circa rationem insequentem. Heic, quod spectat ad cætera, & hujus quidem loci propria, dico, quas Virtutes esse in nobis agnoscimus, & in Deum transferimus, sic transferri, ut Deus ipsas alio prorsùs, quàm humano modo possideat. Nempe ipse sibi ita sufficit, ut nullius rei externæ communione indigeat, sicut indigent Homines, qui, ut possint securiùs, atque jucundius degere, justitiam, amicitiam, cæterasque ad alterum relatas Virtutes exercent. Idem autem dici & de aliis debet; quando est Deus aded sapiens, ut nihil casui obnoxium subeat; aded potens, ut superandum laboriosè nihil habeat; aded perfectus, ut temperare excedens nihil debeat. Itaque Deus & bonitatem, & benevolentiam; & Virtutes, seu qualitates, perfectionesque cæteras respectu sui præsertim habet; & qui suâ naturâ infinitus est, ipse est sibi non modò plurium, sed & infinitorum instar. Denique ipsa Dei potentia infinita arguitur, nisi ex Mundo, sive effectu naturâ suâ infinito, saltè ex distantia illa infinita, qua effectus ex nihilo eò perducitur, ut sit aliquid. Neque verò licet hæc Virtus non exseratur, quantum potest, propterea sese violenter habet: scilicet non est Virtus cæca, ut in lapide gravitas, sed electione regitur, qua vel temperari, vel etiam cessare ab actione placidè potest. Quod vel ex nobis perspicuum est, qui ultrò multa non agimus, quæ agere esset in promptu. Unde & quod infrà dicetur circa quæstionem, quamobrem Deus non priùs Mundum condiderit, valere potest, ut declaretur, cur vel majorem non fecerit, vel non fecerit alios plures. De Bonitate idem dicendum: nam & creaturam sic Deus amat, ut ipsam sustentet, ne in nihilum recadat, & aliunde neque ullo jure apparere melior tenetur, neque non rebus semper, ob fineis, quos ipse novit, satis tribuit, ut propterea possit invidus censerì. Uno verbo, satis magnum argumentum est, ut Deus habeatur potentiz infinitæ, quòd Mundum istum aded ingentem, aded illustrem tum ex nihilo fecerit, tum ne recadat in nihilum, servet. Nam & tametsi illum fecisset sive magnitudine, sive multitudine infinitum; non propterea tamen is fuisset effectus causæ suæ commensuratus, quod non fuisset illa

naturæ infinitate præditus, quæ exigit independentiam; quòdque Deus potuisset adhuc plura, pluràque præter ipsum, infinite producere, ut putà, tali Mundo destructo, alios, aliòsque in infinitum. Quare & vel ex eo magis commendavit Deus Majestatem suam, quod occasionem præbuit intelligendi, agnoscendique nihil esse in rerum natura, quod infinitum sit præter Deum.

Alia ratio ipsi Plutarcho, Epicuroque, seu Lucretio communis, ea est, quæ ab illo quidem sic deducitur, *Iam videmus Naturam ipsi generibus, speciebusque, quasi quibusdam vasculis, aut involucribus seminum res singulares continere. Neque enim res ulla est numero una cujus non sit communis ratio* (lego nimirum ἐμὴ λόγῳ, &c. cum heic sint alioquin versus aliquot depravati) *neque ulla certam denominationem nanciscitur, quæ singularis cum sit non etiam communem qualitatem habeat. Quare & hic Mundus ita singulariter dicitur, ut communem tamen rationem, qualitatemque Mundi obtineat, singularis quætem conditionis sit, ex differentia ab alijs, quæ ejusdem generis sint. Et certè non unicus Homo, non unicus Equus, non unicum Astrum, non unicus Deus, non unicus Dæmon in rerum natura est: quid prohibet, quòd minus plureis, non unicum Mundum Natura contineat? Quod si quis dicat Naturam perinde continere unicum Mundum, qui in plureis partiales dividatur, ac ipse Mundus unicam Terram, unicum Mare continet; hunc fallit ipsa natura partium, quæ in his secus, quàm in illis, ut constat, similes sunt. Siquidem Terram dividimus in ejusdem nominis partes, & Mare consimiliter: at pars Mundi jam non est Mundus, Quòd ipse ex rebus diversæ naturæ constitutus sit. Et sic quidem ille: ita verò Lucretius,*

*Hùc accedit, ut in Summa res ulla sit Vna,  
Unica quæ gignatur, & unica, solàque crescat.  
Invenies sic Montivagum genus esse ferarum;  
Sic Hominum genitam prolem; sic denique mutas  
Squammigerum pecudes, & corpora cuncta Volantum.*

*Quapropter Cælum similiratione fatendum est  
Terramque, & Solem, Lunam, Mare, cætera, quæ sunt,  
Non esse unica, sed numero magis innumerabili;  
Quandoquidem vitæ depectus terminus alitè  
Tam manet his, & tam nativo corpore constat,  
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.*

Verùm

Verùm paucis responsio est, quæcumque videmus sub uno singularia multiplicari, ea esse, quæ cum intereant, indigent, ut genus seruetur, multitudine renascentium; at quæ interitui obnoxia non sunt, nihil esse opus, ut sint multiplicia? qua ratione Sol unicus, unica Luna satis sunt. Hujuscemodi porro esse Mundum; nam & tametsi interiturus aliquando Mundus censeatur; tunc tamen solum id continget, cum interibunt & Sol, & Luna, & alia simul omnia; ac tum quæ causa destruxerit, poterit ipsum pro lubitu, ut fecit, sic redintegrare. Possit ergo omnino Mundum unicum, non multiplicem esse, ac tantus præsertim cum sit, ut esse plurium instar possit. Quod ille vero ait esse communem quandam Mundi rationem, quæ tribui possit pluribus, a loquin differentibus, id Dialecticarum argutiarum est, & ad summum probat id, quod non negamus; possibilis nempe esse plureis Mundos, si Deo quidem hujus Authori condere ipsos lubeat; ut & nihil amplius probatur, quam esse posse plureis Soleis, si Deus velit producere, ex eo, quod intelligimus rationem quandam communem Solis, quæ tribui possit pluribus propter condiciones specialeis diversis. Constat vero quæstionem esse, non, plures-ne Mundi possibile sint; verùm sint-ne plures reipsâ. Præterea autem cætera, inter quæ tanquam multiplicia ab eodem enumerantur, connumerari impiè Deum; cum esse non possit Deus, nisi unus, & non minùs saltem repugnet concipere Deum sub ratione quadam communi, quæ pluribus Diis singularibus competat, quàm concipere Universum, diffusionemve illam spatiorum immensam, quæ singularibus pluribus Universis, immensitatibusve conveniat, nempe ut Universi infinitio pluralitatem respuit, ita respuit quoque Divinæ perfectionis infinitudo, ut suo loco dicendum est.

Succedit Epicuri propria, atque ideo etiam à Lucretio deducta ratio, quæ aliqua tamen discussa, confirmatâque supponit. Vnum, *Quicquid est in verum natura, aut Corpus esse, aut Inane*, ubi nomine *Corporis* intelligit non modo composita hæc, sensibiliaque corpora; sed maximè etiam corpuscula illa longè infra Sensum posita, Atomisque dicta, quod sint insectilia, ex quibus tanquam Elementis, seu primis Principiis mutuo coadunatis majora ista contexantur, & continent: nomine autem *Inanis* intelligit spatium corpore non oppletum. Alterum, esse

*Univers-*

apud Laërt.  
lib. 10.

Vniversum utraque hac re, hoc est, tam corporum, maximèque Atomorum multitudinem, quam Inanis spatij magnitudine infinitum; videlicet vult Atomos innumerabili figurarum varietate inter se discretas, & celeritate celerrima mobileis ferri infinito numero per Inanis immensitatem. Hisce autem, de quibus postea differemus, suppositis, Epicuri verba ad Herodotum sunt: *Infiniti porro sunt Mundi, alij quidem similes isti, quem nos incolimus, alij verò dissimiles. Quippe Atomi, cum sint infinita, ut non multò antè demonstratum est, per infinitatem spatiorum feruntur, & alibi alia, ac procul ab hoc ad sabrefactionem Mundorum variè concurrunt. Atomi siquidem ad hoc comparata, ut ex ipsis Mundus constare, efficive valeat, absumi non possunt, cum sint infinita, neque in unum, neque in aliquot, qui definito numero sint; & neque in quocumque uniusmodi; neque in quocumque inter se diversos. Quare, nihil obstat, quo minus sit talis Mundorum infinitudo. Eodem spectat illud Epicuri apud Laëtantium, Quoniam est omne infinitum, nec potest quicquam vacare, necesse est ergo innumerabileis esse Mundos. Spectat & illud Metrodori, quod ad sententiam paullo antè ex eo allatam subjungitur; dum, Esse, inquit, Mundos multitudine infinitos, constat ex eo, quod causa infinita sunt. Nam, si hic quidem Mundus finitus est, causa vero, ex quibus est, fuere omnino infinita, necesse est Mundi infiniti sint. Prorsus enim ubi sunt causa, effectus quoque ibi sunt; causa autem sunt sive Atomi, sive Elementa. Sed ecce Lucretium, qui rem ut diffusius, sic dilucidius exsequitur.*

de Ita Dei  
10.

Plin. Stob.

lib. 2.

Principio nobis in cunctas undique parteis,  
Et latere ex utroque, infra, supraque, per omne  
Nulla est finis, uti docui, res ipsaque per se  
Vociferatur, & elucet natura Profundi:  
Nullo jam pacto verisimile esse putandum est,  
Undique cum versus spatium vacet infinitum,  
Seminaque innumero numero, summaque profunda  
Multi' modis volitent aeterno percita motu,  
Hunc unum Terrarum orbem, Calumque creatum,  
Nil agere illa foris tot corpora materiai;  
Cum praesertim heic sit Naturâ factus, & ipsa:  
Sponte sua fortè offensando semina rerum  
Multi' modis temerè, incassum, frustra que coacta,  
Tandem coaluerint ea, qua conjecta repente

Magna-

*Magnarum rerum fierent exordia semper  
Terrai, Maris, & Cali, generisque Animantium;  
Quare etiam, atque etiam taleis fateare necesse est  
Esse alios alibi congressus materiai,  
Qualis hic est, avido complexu quem tenet ather.*

**Pergit** verò lic illustrare (idque maximè, quod ex Metrodoro)

*Praterèa, cùm materies est multa parata,  
Cùm locus est præstò, nec res, nec causa moratur,  
Vlla, geni debent nimirum, & consieri res.  
Nunc & seminibus si tanta est copia, quantum  
Enumerare atas Animantium non queat omnis;  
Vsq̄ue eadem & natura manet, qua semina rerum,  
Conjicere in loca quæque queat simili ratione,  
Atque huc sunt conjecta; necesse est consistere  
Esse alios alijs Terrarum in Partibus orbis,*

*Et varias Hominum genteis, & sæcla ferarum.*

**Ubi** vox illa Terrarum regi intelligenda est à voce orbis, non à voce partibus, intelligendæ enim sunt partes alia, non Terrarum, sed Universi.

Est autem responsio in promptu, non conficere, quod contenditur, hanc rationem, quod tamen si concedatur esse Inane infinitum, non perinde tamen dari concedatur infinitas Atomos, ut quarum sit mera, & absque ratione suppositio; cùm & sit petitio quaesiti, incurfusque in modum Diallelum, dari infinitas Atomos, quoniam infiniti sunt Mundi, qui fieri ex illis debuerint; & dari infinitos Mundos, quoniam sunt Atomis, ex quibus fieri debuerint infinita. Quin etiam, ubi concessum fuerit esse Atomos Principia rerum, non idèo tamen evincetur esse infinitas Atomos, cùm ex solæ esse possint ex quibus sit factus, hic unicus, Mundus. Et urgetur quidem, si Inane admittatur magnitudine infinitum, esse necesse, ut Atomis per illud vagentes infinita sint, quod coire alioquin non possint, neque olim reipsa coissent ad Mundum istum constituendum; verum id quidem locum haberet, si simul admittetur aut increatas Atomos esse, aut non à causa alia, quàm ab ipso casu compactas in Mundum. At vero, ut nemo est sanz mentis, qui Opus tam magnum, tam varium, tam ordinatum, tam splendidum, tam decorum, referre possit

ad

ad ipsum casum, & non ad causam quandam Divinam, quæ & potentissima simul, & sapientissima sit, sic nemo sanus unquam concedat aut eas Atomos, ex quibus sit Mundus, factas non esse ab eadem causa; aut non fuisse simul ab ipsa compactas conformatasque in ipsum Mundum, potiusquam sibi ipsis permissas, ut temerè discurrerent, & casu potius, quam sapientiâ coirent, & compingerentur. Itaque cum Atomi possint pro Mundi materia haberi, ut inferius quoque attingendum est, tot dici possunt à Deo productæ, quot esse opus visum est ad præclari Operis molem; non verò propterea à infinitæ alix, ut quæ forent inutiles; cum Deus Mundos alios producere non constituisset. Neque est, quòd quis fortè instet, neminem adstitisse Deo consiliorum ipsius conscium, ut sciri possit, an-non Deus Atomos alias, aliòsve Mundos, præter istum condiderit; nam & qui putant condidisse, non adstiterè similiter consiliorum participes, ut asserere jam id valeant; resque eò saltem deducitur, ut non majore ratione probent, plureis reipsâ Mundos esse, quam eæteri esse plureis insipientur, cum nos insuper, dum asserimus Mundum hunc esse unicum, loquamur de re, quam ipsi videamus, & quam solam Deus voluerit, ut jam dictum est, innotescere; isti verò loquantur de re & sibi planè incomperta, & cujus neque Deum Authorem, neque omninò quempiam alium, qui tale quidpiam viderit, habeant.

Plura deinceps hisce de rebus variis occasionibus: elicere interim ex his licet merum esse insomnium, quod ipse sibi fingit Lucretius, dum finem non facit commendandi Epicurum, quod Mundi hujus claustra confringens, ac veluti fores aperiens, fecerit sibi libertatem perspiciendi quicquid per Inane immensum geratur; ut per ipsum nempe Atomi innumerabiles volitent; ut Mundi ex ipsis casu coeuntibus compingantur, ut consent, ut exsolvantur, &c. Inde enim sunt illa.

— *Monia Mundi*

*Discedant; video Totum per Inane geri res;*

Et,

*Nec Tellus obstat, quin omnia dispiciantur*

*Sub pedibus, quacumque infra per inane gerantur,*

Et,

*His tibi me rebus quadam divina voluptas  
Percipit, atque horror, quòd sic Natura tua vi  
Tam manifesta patet ex omni parte resecta.*

Ac juvat quidem Animum in eam asserere libertatem, ut supra hanc, quæ vulgò habetur, Mundi capacitatem emineat, & dignum aliquid de tanta Naturæ majestate concipiens divinum hoc Opus sic amplificet, ut ipsius quasi pomœria longè ultra Sensus, Imaginationisque angustias prolatet; at Mundos præterea diffitos ab isto, & partim quidem simileis ipsi, partim dissimileis habere, purum putum figmentum est. Heinc dum inter Epistolas Hippocratis legitur, dixisse ipsum Democrito, *Age, per Deos, nunquid universus Mundus sese agrotare non sentit, neque habet, quòd legationem ad sui curationem mittat; nam extra ipsum quid esse potest? & Democritum ita excepisse: Multa sunt, ô Hippocrates, Mundorum infinitates; neque, ô bone, ipsam Naturam, cum tam dives sit, malignè extenuet; est illud sanè de Mundorum infinitatibus respiciendum; ac illud solùm retinendum, quòd divitem adeò Naturam malignè extenuare non deceat.*

P E T R I G A S S E N D I

ANIMADVERSIO II.

*Esse Deum Authorem, seu causam productricem Mundi.*

**H** Ilce occasione Rationis ex Anticipatione petita deductis restat, ut ea edisseramus, quæ dicenda in uberiorem Rationis alterius ex Mundi consideratione desumptæ confirmationem suscepimus. Cùm tota verò res eò tendat, ut evincatur esse Deum Causam, quæ & Mundum condiderit, & regat providentiâ tum generali ipsum Mundum, tum speciali quoque genus hominum; id eò congruum est totidem capitibus ista complecti. Instituenda autem potissimum sunt adversus ipsum Epicurum; quoniam ille præ cæteris circa singula gravissimè erravit: ac respondendum simul ad ea, quæ seu ipse, seu alij adversus singula objecerunt.



Atque à primo ut ordiamur, duo quædam peccata peccavit, quæ neque Sacra Religio, neque ipsa Ratio naturalis ferat: unum, quòd asseruit non Deum, sed casum esse causam Mundi; alterum, quòd censuit neque Dei causa, neque hominum factum fuisse Mundum. Et ad prius quidem peccatum quod spectat, notum est postquam declaravit in Epistola ad Herodotum ea, quæ in sublimi fiunt, *Non esse ab aliqua causa beata simul, ac immortalis, quæ illa constituat, constitueritve, μήτε διατάσσοντες τινός: μήτε διατάξοντες*, tum paucis interpositis subjici: *existimandum esse initio, siue cùm Mundus procreatus est, eos factos fuisse circumplexus convolventium se Atomorum, ut creatis exinde corporibus cælestibus nata sit in ipsis hæc necessitas, ut & sic moveantur, & tales circuitus obtimeant.* Quorum verborum sensus est, si jam Cæli, aut Sidera in orbem moveantur; si in hanc partem, potiusquam in aliam; si hoc positu inter se, hocque tenore potiusquam alio; ac proinde, si hæc Eclipses, aliive effectus necessitate veluti quadam consequantur, potiusquam alij, non esse aliò referendam causam, quàm ad eam sortem, qua in ipsa Mundi generatione contigit, ut concurrentes Atomi in hanc potius dispositionem, quàm aliam coactæ, & revinctæ fuerint, cùm alia inter se ratione & concurrentes & repressæ potuissent aliam Mundi faciem exhibere, alios effectus exferere. Nempe qui Lucretius Epicurum imitatus decantat,

lib. 5.

*Nequaquam nobis divinitus esse paratam*

*Naturam rerum; —*

idem sic habet:

*Sed quia multa modis multis primordia rerum*

*Ex infinito jam tempore percita plagis,*

*Ponderibusque suis consuerunt concisa ferri,*

*Omni modisque coire, atque omnia pertentare,*

*Quæcumque inter se possunt congressa creare;*

*Ut non sit nimirum, si in talis disposituras*

*Deciderunt quoque, & in talis venere meatus,*

*Qualibus hæc rerum genitur nunc Summa novando.*

Sic & Vellejus, qui primum adversus Platonem, Stoicòsque edisserit Deum non esse Mundi causam, ac Epicurum deinde suum de effecti-

apud Cic. 1.  
de nat. Deor.

tionem Mundi explicat, Nam adversus Plationem quidem, *Audite, inquit, non commentitias, futileis que sententias, non Opificem, ædificatoremque*

torémque Mundi Platonis de *Timæo Deum*. Ac statim, *Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua constructi à Deo, atque adificari Mandum facit? Qua molitio? qua ferramenta, qui vestes, qua machina? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Vnde vero orta illa quinque forma, ex quibus reliqua formantur, aptè cadentes ad animum efficiendum, pariendisque sensus? Longum est iterare omnia, quæ talia sunt, ut optata magis, quàm inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quod non modò natum Mundum introduxerit, sed etiam manu penè factum is edixerit sempiternum. Adversus Stoïcos autem: Pronæa vero vestra, si eadem est, Lucili, requiro, quæ paullo antè, ministros, machinas, omnem totius operis designationem, atque apparatus. Sim alia est, cur mortalem fecerit Mundum, non quemadmodum Platonicus Deus, sempiternum? Pergit: Ab utroque autem sciscitor, cur Mundi fabricatores repente exstiterint, innumerabilis antè sacula dormierint? Ac statim post: Isto igitur tam immenso spatio quæro, Balbe, cur Pronæa vestra cessaverit? Laborém-me fugiebat? At iste nec attingit Deum, nec erat ullus, cum omnis natura Nummi divino, cælum, ignes, terra, maris paterent. Ex his obiter intelligi licet, Epicurum fuisse, aut Epicureum, qui apud Plutarchum non satis disertè citatus, postquam alia in Platonem, Anaxagorámque objecit, ita ratiocinatus est: Ω' Θεός, ὃν λέγουσιν, ἢ πῶς τ' ἐμπροσθεν αἰῶνα ἀκλῶ, ὅτε κῶ ἀκίνητα τὰ σώματα, ἢ ἀτάκτως κινεῖτο, ἢ σκοιμάτο, ἢ ἐγρηγόρει, ἢ ἠδέπερον τῶν. Καὶ ἔτε τὸ πρῶτον ἐστὶ δέξασθαι (ὁ γὰρ Θεός αἰῶνι) ἔτε τὸ δεύτερον, εἰ γὰρ σκοιμάτο ἐξ αἰῶνι ὁ Θεός, ἐτεβήκει, αἰῶνι γὰρ ὑπὸ ὁ θανάτος ἐσιν. ἀλλ' ἔτε δεκτικὸς ὑπὸν Θεός, τὸ γὰρ ἀθάνατον τῶ Θεῷ, ἢ τὸ ἐγγύς θανάτου πολὺ κενώρηται. Εἰ γὰρ κῶ ὁ Θεός ἐγρηγόρει, ἢ τοῦ ἐπέλειπεν εἰς ἀδαιμονίαν, ἢ πεπληρωτο ἐν τῇ μακαριότητι (sic enim videtur meliùs apud Eusebium) ἢ ἔτε κῆ τὸ πρῶτον μακάριον ὁ Θεός, τὸ γὰρ ἰδεῖπον εἰς ἀδαιμονίαν ἢ μακάριον. ἔτε κῆ τὸ δεύτερον, μηδὲν γὰρ) sic enim bene apud Eusebium) κεναῖς ἔμελλεν ἐπιχειρεῖν παρέξει, Is, quem perhibent, Deus, aut non fuit priore illo ævo, quo corpora sive immota erant, nullo ordine ciebantur, aut tum dormiuit, vel vigilauit, neutrumve istorum. Primum admitti non potest, siquidem Deus æternus est. Neque secundum; quippe si ab æterno dormiuit, mortuus ergo fuit, quoniam æternus somnus mors est. Sed ne capax quidẽ somni Deus est, magno enim intervallo diuisa sunt immortalitas*

I. plac. 7.

I. prag. 1.

mortalitas Dei, & res vicina morti. Quod si vigilavit, aut aliquid ipsi ad felicitatem defuit, aut perfectè beatus fuit. At prius non sineret eum esse felicitatem, non est enim felix, cui aliquid ad felicitatem deest; posterius vero absurdum est; quoniam cui nihil deest, inanis illi rerum molitio.

Subiungit postmodum Vellejus quid Epicurus circa Mundi effectiorem censuerit: Docuit nos idem, qui cetera, inquit, naturâ effectum esse Mundum; nihil opus fuisse fabricâ, tamque eam rem esse facilem, quàm vos negatis effici sine divina posse solertia, ut innumerabileis natura Mundos effectura sit, efficiat, effecerit. Quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis, ut Tragicus Poeta, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum. (Notum est hoc ipsum fuisse Anaxagoræ ab Aristotele objectum; Anaxagoras enim, inquit ille, utitur Mente, quasi machina ad fabricationem Mundi; dubitans quippe propter quam causam aliquid necessario sit, tum eam advocat; in alijs vero, cetera magis, quàm ipsam, esse causam.) Pergit Vellejus: Cujus operam perfectè non desideraretis, si immensam, & interminatam in omneis partibus magnitudinem regionum videretis, in quam se injiciens animus, & intendens, ita latè, longèque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat Atomorum, quæ interjecto Inani coherescunt tamen inter se, & aliæ alias apprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur hæ rerum forma, atque figura, quas vos effici posse sine foliibus, & incudibus nō putatis. Hoc loco dubium esse posset, quæ sit ea natura, quâ Mundus effectus esse dicitur: frequens nempe est, etiam in hac sententia hujus vocis usus, ut constare potest vel ex Stratone Physico, Qui negat, inquit Cicero, operâ Deorum se uti ad fabricandum Mundum. Quæcumque sint, docet omnia esse effecta Natura. Sed constare potest partim ex postea dicendis, effectricem rerum omnium sive naturam, sive causam esse Epicuro ipsas Atomos, quatenus ex pondere sibi ingènto perpetuè moventur, ac proinde concurrentes moliuntur semper aliquid. Quoniam verò hæ Atomus non consilio aliquo, sed prout fors obtigerit, variis in locis variè concurrunt, adeò ut res efficiant, prout casu, sive fortunâ commissæ fuerint inter se; exinde est, cur hæc sententia res fieri indiscriminatim Naturâ, aut Fortunâ dicat. Non quod Fortuna sit causa per se aliqua, quæ Atomos temperet, & ad taleis effectus disponat; sed quod Atomus sint ipsa Fortuna, quatenus nullâ præmedita-

1. metaph.  
4.

4. Acad

meditatione sibi invicem occurrentes sese complectuntur; resque concretas prout obrigerit, faciunt. Ex hoc nempe est Lucretianum illud.

*Nam certè neque consilio primordia rerum  
Se ordine quæque suo, atque sagaci mente locarunt.  
Nec quos quæque darent motus pepigere profectò;  
Sed quia multa modis multis mutata per Omne, &c.*

lib. I.

Atque hæc quidem causa est, cur Plato illorum opinionem referens, qui præiisse Epicuro videntur, hæc duas Naturæ, & Fortunæ voces ita copulet, ut pro Synonymis habeantur. Verba quippe illius sunt: Ignem, aquam, terram, aërem, omnia hæc non arte, sed Naturâ, & Fortunâ esse dicunt: Et post hæc rursus corpora & Terræ, & Solis, & Lunæ, & Astrorum ex istis anima prorsus carentibus facta esse dicunt. Singula nimirum singulis accommodata quadam ipsorum naturæ ratione, frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, & omnino contraria contrarijs, Fortunæ quasi auspicijs convenisse, & necessario quodam temperamento fuisse contemperata. Hac omnino ratione & univèrsum cælum, & quæ in eo sunt, omnia; animalia quoque, & plantas, & quadripartita anni tempora nata fuisse, non per mentem quidem, neque per Deum aliquem, sed Naturâ, uti diximus, atque Fortunâ. Prætereo autem heic notatos præfertim videri tum Empedoclem, cujus de Mundi fabrica illud apud Aristotelem exstat:

10. de leg.

Ὡς ἔτω σπείκουσε θεῶν τότε, ποικίλι δὲ ἄλλως,

2. Phys 4.

Sæpe aliis aliter, sed tunc sic fortè cucurrit.

Itémque Heraclitum, qui apud Plutarchum dixit neminem nec Deorum, nec hominum fecisse Mundû; metuens scilicet, jocatur ille, ne postquam de Dijs desperavissimus, hominem Mundi conditorem esse potuisse suspicaremur. Ac rursus Democritum, de quo Philipponus hæc habet, Cum Democritus infinitos esse Mundos statuerit, duxit hunc ipsum fortuitò in hac Inanis infiniti parte fuisse genitum, in alia verò alium. Sed & hujus rerum dispositionis Fortunam dixit esse causam. Nam hæc quidem Atomus fortè fortuna convenisse, & effecisse exterius quidem univèrsum cælum, tum reliqua ex ordine, prout hæc habet dispositio. Sed alios ut quemadmodum diebus singulis seu Natura, malis, seu Fortuna parit alios effectus admirabileis (neque enim ex seminum committione modo, itémque ex contingente seu excessu, seu defectu materia,

de procr. an. ex Tim.

in 2. Phys.

ria,

rix, ac pro conditione tempestatis, conceptaculique, rara quædam  
 eveniunt tam in Animalibus, quàm in Plantis, quæ conditionibus  
 mutatis alio modo acciderent; verùm in aliis quoque rebus miracula  
 veluti quædam quotidie patrantur, ac præsertim in iis locis, in qui-  
 bus aquæ lapidescentes concresecunt, siquidem formæ omnium propè  
 rerum elegantissimè exhibentur (ne quidpiam dicatur de Pyrrhi A-  
 chate, & similibus) Epicuri, inquam, mens fuisse videtur, ut pari ra-  
 tione, κατ' ἰσωνμίαν, potuerit Mundus seu naturâ, seu fortunâ, fieri  
 mirâ hac, quâ constat, structurâ. Neque verò moles opetis eum ter-  
 ruit; quòd visum illi fuerit oportere solùm Atomorum numerum au-  
 gere, quæ suppeditari ex illa infinitate poterant: ac non debere mo-  
 lem adauctam videri improbabilè; nisi quis putet pulices tantùm, &  
 non Elephantes ex eadem communi materia prodire. His adde, si lu-  
 bet, cum semina sint, quæ in nive sex radios, in alumine octo facies, in  
 sale sex, in crystallo, adamante, aliis, alium numerum faciunt, videri  
 posse augescendo esse, quæ Terræ, quæ Soli, quæ aliis partibus Mun-  
 di formas proprias eadem ratione coëuntia tribuant. Scilicet quasi vis  
 generalis non sic definiatur in rebus ad certam magnitudinem, ut ad  
 uberiorem provehi non possit; & quasi qui censeat tantos hosce glo-  
 bos generari non potuisse, quòd maxima corporum, quæ gigni in ter-  
 ra videmus, comparata ad terræ molem, parva, ac penè nulla sint; pe-  
 rinde faciat, ac si censeret, cum animalculum Acari aded sit exiguum  
 comparatum ad hominem, non posse ipsum hominem in cujus cute  
 illud gignitur, tanta, ejus respectu, mole generari. Adde, & si velis, ea  
 ferè, quæ molis habent amplius, non esse admirabiliora iis, quæ ha-  
 bent minùs, ut Balæná formicula, ac proinde si non necessarius inter  
 Deos Myrmecides aliquis, minorum opusculorum fabricator fuisse vi-  
 deatur; etiâ videatur dici posse opera hac ingentia tam politè, tamque  
 subtiliter effici potuisse sine divina aliqua solertia; quæ Ciceronis verba  
 sunt.

*Acad.*

*Pl. cit.*

Ad peccatum alterum Epicuri quod atrinet, ecce probat Vellejus  
 primùm, conditum non fuisse Dei causa Mundum, *Quid autè erat, in-  
 quit, quod concupisceret Deus Mundum Signis, & Luminibus, tanquã  
 Ædilis ornare? Si ut Deus melius habitaret; antea videlicet tempore in  
 tenebris, tanquam in gurgustio habitaverat? Post autem, varietate ne  
 eum delectari putamus, qua cælum, & terras exornatas videmus? Quæ  
 ista*

*ista potest esse oblectatio Deo, quæ si esset, non ea tam diu carere potuisset,*  
Lucretius vero ideim argumentum in hunc modum prosequitur:

lib. 5.

*Quid ne novi potuit tanto post antè quietos  
Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?  
Nam gaudere novis rebus debere videtur,  
Quoi veteres obsunt; sed quoi nihil accididit ægri  
Tempore in antea cæto, cum pulcrè degeret ævum,  
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?  
An, credo, in tenebris vita, at mæore jacebat,  
Donec diluxit rerum genitælis origo?*

Pergit Vellejus, neque hominū gratiā, *An hæc, ut ferè dicitis, inquit, hominum causâ à Deo constituta sunt? Sapiens est ne? Propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. An stultorum? At primum causa non fuit quoddam de improbis bene meretur. Deinde, quid est assequutus, cum omnes stulti sint sine dubio miserissimi, maxime quoddam stulti sunt? Miserius enim stultitiâ quid possumus discere? Deinde, quod tam multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre præsentia. Ita Vellejus. Epicurus vero ipse apud Lactantium, *Quid enim Deo, inquit, cultus hominis confert beato, & nulla re indigentis? Vel, si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causâ Mundum fabricaret, ut instrueret eum sapientiâ, ut dominum reverentium faceret, eumque diligeret tanquam filium, cur mortalem, fragilemque constituit? Cur omnibus malis, quem diligebat, objicit? Cum oporteret & beatum esse hominem, tanquam conjunctum, & proximum Deo, & perpetuum, sicut est ipse, ad quem colendum, & contemplandum figuratus est. Iam & Lucretius ista excipiens, urget primum quod ex nobis ad Deos nihil fructus redeat,**

Lib. 7. c. 5.

*Quid enim immortalibus, atque beatis*

*Gratia nostra queat largiri emolumentum,*

*Ut nostrâ quidquam causâ gerere aggredierentur?*

Secundò, quod nobis non existentibus, non in suave foret non esse;

*Quid ve mali fuerat nobis, non esse creatis?*

*Natus enim debet, quicumque est, velle manere*

*In vita, donec retinebit blanda voluptas:*

*Qui nunquam verò vitæ gustavit amorem,*

*Nec fuit in numero: Quid obest, non esse creatum?*

Tertiò, quod neque Mundo, neque hominibus existentibus, neque

P

Mur-

Mundus, neque homines, cadere in mentem divinam potuerint.

*Exemplum porro gignendis rebus, & ipsa  
Notities hominum Divi unde insita primum,  
Quid vellent, facere ut scirent, animoque viderent?*

Quartò, quòd maxima terrarum pars hominibus inutilis sit.

*Principio, quantum cali tetigit impetus ingens,  
Inde avidam partem montes, silvaeque ferarum  
Possedere: tenent rupes, vastaque paludes,  
Et mare, quod latè terrarum distinet oras,  
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor,  
Assiduusque gelu casus mortalibus auferit.*

Quintò, quòd ex residua, quæ colitur parte, non-nisi magno cum labore fructus ægrè proveniunt,

*Quod superest arvi, tamen id natura sua vi  
Sentibus obducat, ni vis humana resistat,  
Vitai causâ valido consueta hidenti.*

*Ingemere, & terram pressis profcindere aratris.*

*Si non sacundas vertentes vomere glebas,*

*Terraique solum subigentes simus ad ortus,*

*Sponte sua liquidas nequeant existere in auras:*

Sextò, quòd etiã fructibus speratis, propter varios casus frustreremur,

*Et tamen interdum magno quasita labore,*

*Quom jam per terras frondens, atque omnia florent,*

*Aut nimis torret fervoribus aetherius Sol,*

*Aut subiti perimunt imbres, gelidaque pruina,*

*Flabraque ventorum violento turbine vexant.*

Septimò, quòd noxia animalia, morbi, mors præcox homines in vadat

*Præterea genus horrifera, natura ferarum.*

*Humanae genti infestum, terraque marique.*

*Cur alit, atque auget? Cur anni tempora morbos*

*Apportant? Quare mors immatura vagatur?*

Octavò demùm, quòd hominum videatur fuisse minor cura, quàm ceterorum animalium,

*Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis*

*Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni*

*Vitai auxilio, cum primum in luminis oras*

Nixibus ex aluo matris natura profudit,  
 Vagituque locum lugubri complet, ut æquum<sup>st</sup>,  
 Quoi tantum in vita restet transire malorum.  
 At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque;  
 Nec crepitacula eis opus sunt, neque quouquam adhibenda<sup>st</sup>  
 Almæ nutricis blanda, atque infracta loquela;  
 Nec varias quærunt vestes pro tempore cæli:  
 Denique non armis opus est, non mænibus altis,  
 Quis sua tutentur; quando omnibus omnia largè  
 Tellus ipsa parit, naturaque dædala rerum.

Iam, cum sententia hæc Epicuri, paucorumque aliorum fuerit; oppositam ecce defenderunt quotquot fuere ex cæteris præcipuæ inter Sapientis notæ. Nam Thales quidem Milesius causam apud Laërtium dicens, cur Mundus pulcherrimus sit, *ποίημα Ἰδ*, inquit, τῶ Θεῷ, *Opificium enim est Dei.* De Anaxagora res est celebris; quatenus Mens illa idem est cum Deo. De Pythagora, & Platone vel unus Timæus testatur, cujus ore, cum Pythagoricus esset, opinionem propriam sic Plato expressit, ut passim declaret esse Deum Parentem, ac Opificem Vniuersi. Et esse quidem potuit tam Pythagoræ, quàm Platonis sententia, quæ est superius ex illorum Interpretibus insinuata, ut scilicet existimârint Mundum esse genitum ἢ *ἔξ χρόνου*; non tempore, quod nempe nunquam cœperit; ἀδᾶκατ' ἐπινοίας, sed cogitatione, quasi tametsi non cœperit, cogitatione tamen assumatur præexistisse materiam, è qua formatus fuerit: Enimvero eam esse putârunt Mundi à Deo dependentiam, ut Deus Munde inexistens, habendus esset Genitor Mundi, quod causa foret materiæ & distinctionis, & ornatus omnis. Videlicet idem censuerunt, quod plærique jam Doctorem admittunt, dum tuentur potuisse Mundum creari à Deo ab æterno, ac Deum futurum fuisse causam, ob dependentiam Mundi ab ipso; eodem modo, quo si ponamus Solem cum Luce, aut pedem cum vestigio fuisse ab æterno, poterit semper & Sol lucis, & pes vestigij causa censerì. Admittunt quippe posse effectum esse causæ suæ coævum, & sufficere, ut cum causa non sit prior tempore, sit saltem prior naturâ, τῆ φύσεως, quam vocem habet Plotinus quoque; aut ratione, τῷ λόγῳ, quæ vox Timæi Locri est, loco illius *ἔξ*, vel *ἔξ ἐπινοίας*, cogitatione, quam obseruare apud Stobæum, & Sextum Empiricum licet. Vt cumque sit;

Enn. 3. lib.  
 2. cap. 1.  
 lib. de Pn.  
 Ecl. Phys. 3  
 adu. Phys.



tam Philosophi illi, quàm omnes eorum Sectatores, & Interpre-  
 tes Deum Mundi causam dixerunt. De Stoicis res est perspecta;  
 & vel ipsa Balbi adversus Vellejum, Epicurumve oratio satis demon-  
 strat quid senserint. Ad Aristotelem quod spectat, cum is in Physico-  
 rum octavo, & in prioribus de Cælo, ac aliis quibusdam in locis Mun-  
 dum faciat ingenitum, & improbet etiam illam Pythagoræ, & Pla-  
 tonis Prioritaris distinctionem, quasi doctrina gratia, διδασκαλιας  
 χάριν, non ritè assumptam; haud videtur sanè voluisse admittere  
 Authorem Mundi. Propterea verò Simplicius Philoponum arguens  
 asserentem Mundum juxta Mosen fuisse à Deo genitum, docet hanc  
 sententiam Aristoteli adversari, ipsamque aliunde, cum Deum mu-  
 tabilem faciat, in Opificis cedere contemptum, quasi scilicet Pa-  
 rens, Conditorque per omne ævum non existerit. Cæterum non  
 est quamobrem negemus Aristotelem fuisse tandem meliùs consul-  
 tum, cum sub vitæ finem, ut plarisque visum, conscripsit illum de  
 Mundo Librum, in quo apertè professus est pulcherrimi hujus O-  
 peris consonantiam ἐπὶ τῷ πάντων ἡγετίῳ, ab Univerforum Conditore  
 esse, ac id approbavit, quod est apud homines omnis pervulgatum,  
 ἐκ Θεῶ τὰ πάντα, à Deo esse omnia. Et quia sunt tamen, qui sentiant  
 librurni hunc non esse germanum; en loca ex libris non spuris, in  
 quibus, quæ in illo est sententia ita confirmatur, ut etiam videatur  
 Aristoteles inveni adversus statuentis Mundum genitum, & nihi-  
 lominus casu factum. Libro Physicorum secundo, Dignum est, in-  
 quit, admiratione asserere istos animalia quidem, & plantas à Fortuna neque  
 esse neque fieri, sed aut naturam, aut mentem, aut quampiam aliam habere cau-  
 sam (videlicet non ex cujusvis semine quidvis nascitur, sed ex hoc quidem olea,  
 ex illo verò homo) calum autem, & quæ sunt sensibilibum divinissima, sponte na-  
 ta fuisse, nec causam ullam, qualem animalia, plantæque sortiuntur, habuisse.  
 Et libro primo de Animalium partibus, Quamobrem, inquit, verisim-  
 milius dixerim, calum & factum esse ab ejusmodi causa, si factum est; & ma-  
 gis esse ob eam causam, quam animalia caduca, atque mortalia. Ordo enim,  
 & rarus, certusque status longè magis in ipsis rebus caelestibus, quàm in nobis  
 patet; incerta enim, & inconstans, fortuitaque conditio in genere mortali est  
 potius. At illi genus animalium quodque natura constare, extitisseque censent,  
 calum autem ipsum fortuna, sponteque hujuscemodi constituisse volunt, in quo ta-  
 men nil fortuna, ac temeritatis deprehendi potest. Hisce autem locis ad-  
 nectere

apud Cic. 2.  
de nat. Deo.

1. calis 10.

in 8. Phys.  
digniss. 3.

cap. 5. & 6.

cap. 4.

cap. 1.

nectere eum juvat, quem Cicero ipse in secundum de natura Deorum transcripsit. Praclare ergo Aristoteles, ait Cicero, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis, & illustribus domicilijs, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructæque rebus iis omnibus quibus abundant y, qui beati putantur; nec tamen exissent unquam supra terram; accipissent autem fama, & auditione esse quoddam Numen, & vim Deorum. Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, & maria, calumque vidissent; nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent; aspexissentque Solem, ejusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent; quòd is diem efficeret, toto calo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum calum totum cernerent, Astris distinctum, & ornatum; Lunaque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabileisque cursus: Hæc cum viderent, profectò & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur.

Hæc fusiuseculè recito, quòd præter ipsam sententiam, ratiocinationem contineant illustrem, & cui responderi non valeat; quando nemo est hominum, qui si ferio attenderet, si sana mente fuerit, non cogatur agnoscere, fuisse dubio procul Opus ædèd magnum, adèd concinnum, & elegans, aliis, quàm Fortunæ, manibus extractum. Nam utcumque possit Fortuna, vel casus mirabile quid facere; quantulumcumque tamen est id comparatum ad ea, quæ ratio, ac Sapiencia facit. Fiant prodigiosa, seu monstrosa quædam in animalibus, ac in plantis; at quàm est incomparabiliter mirabilius, quod præter fortunam & casum fieri in ipsis observatur? Interna illa organorum multiplicitas, distinctio, elaboratio, functio, & eo quidem modo, ut unum alteri obstaculo non sit; ut nullum non sit ad certum scopum destinatum; non præditum vi assequendi finem; quæso ista, & cætera, quæ fusiis suo loco deducenda sunt, quæque nunquam considerare sine stupore possumus, non sunt iis admirabiliora, quæ esse à casu, & fortuna possunt? Dicunt ista fieri naturâ. Sed quæcumque sit hæc Natura, necesse est sapiens sit, quæ tantam partium varietatem in istis suis operibus ita sapienter format, disponit, ad suos fineis dirigit. Dicunt naturam in eo perstare, quod initio Mundi effectum casu fuerit. Perstet porrò: at bonâ fide persuadere-ne sibi illi possunt, cora

pora animalium potuisse Mundi initio ejuscemodi conformari absque sapiente Opifice? Iam quoque, inquit, muscæ, & alia Insecta hujuscemodi ipsa naturæ sponte creantur. Verùm quæstio est de ipsa natura, seu vi indita seminibus rerum; quomodo nempe illis insit, & idonea quidem conformandis rebus adedò admirabilibus; nisi aliquis fuerit ipso Mundi initio, qui talem vim indiderit, talémque seriem ordinarit. Citant quas observamus formas rerum lapidescentium; sed quicquid sit demùm de formis externis; id, quod stuporem generat, dispositio interna est in corporibus animalium. Nam si foret quidem dumtaxat multitudo aliqua partium fortè fortuna commistarum, tum ea posset Fortunæ tribui. At in multitudine illa penè innumerabili nullam esse partem non tantam, non talem, non ubi, non quomodo, non cum ea functione, qua congruum est, ut neque inutilis sit, neque esse commodior valeat; rationem prorsùs omnem fugit, ut ita fieri non sapientia, sed fortuna sit constitutum.

Et ne de Animalibus solum loqui videar, quæso dum plantæ alimentum, seu succus è terra eductus, transit per truncum, perque ramos; putarés-ne ipsum in ramo extremo sic posse tornari in pediculum, sic discriminari, atque dilatari in certum, ac tam pulcrum florem? sic conformari in certum fructum, cum tali exterius cortice, ac tali interiùs numero granorum, quæ postmodum sata in taleis plantas sint evasura? Ita tamen sit; neque licet rem sine aliqua mentis ecstasi contemplari. An res potest adedò concinnè, appositèque procedere absque præscripto ordine à sapientissima quadam causa? Et dicit jam ita fieri, quod ab initio sic cœperit; sed finge te initio fuisse, cum primùm pomus nata est; an, si quis tibi prædixisset quemadmodum planta nutrireretur, germinaret, floreret, foetum ederet, ac propagaretur; putas non illicò dixisses, Ecquis tam pulcrum initium fecit, tam pulcrum seriem instituit? Quòd si vidisses ipsum Authorem, dum faceret, instituerétque, potuisses-ne dicere ipsum temerè omnia facere, & in ejus operibus nihil consilij, sapientiæ, ac rationis esse? Et, si aliquis te rogasset: Dicis non fieri ista ratione; suppose verò ratione fieri; ecquid deprehendis ratione indignum? Dicis casu sic fieri; sed fac sapientiâ fieri; quid capis fieri posse sapientiùs? Si quis te, inquam, ita rogasset; an-non habuisses te hebetem, nisi agnovisses sapientem authorem? Nunc verò habes te perspicacem, ex quo,

quo, dum idem requiritur, sapientem fuisse authorem negas? O quàm oportet hebetem esse, aut quàm reclamantem habere conscientiam, si dum ad ista attenditur, sola interim fortuna laudatur!

Quæso verò, cum sic res habeat in hisce minutioribus; quid de fabrica tanti operis; Mundi scilicet, in quo amplitudo certat cum pulcritudine, videatur esse inferendum? Non terret illos tanta moles, qui præstò habent Atomorum innumerabilium congeriem. At capiat illam qui poterit; cum sit merum insomnium, vel merum potius deliramentum, nisi quis causam simul admittat, quæ & potenter congesserit, & sapienter digesserit. An vel licet concipere, vel argumento ullo probare tot minuta corpuscula per universi inanitatem temerè huc illuc discurrentia eo coïisse numero, qui Terræ, qui Lunæ, qui Soli, qui tot illis Sideribus, quorum multitudo innumera est, & magnitudo inexplorata; qui denique toti huic Mundo cujus terminum non videmus, cujus vastitas est immensa, sufficere potuerit? Dicunt, ut ille falleretur, qui nihil aliud, quàm pulices nasci cum vidisset, non crederet posse nasci Elefantos; quasi materia ad tantum corpus non possit haberi, aut sufficere, ita nos falli, dum spectata solum generatione rerum minorum, credimus magnum Mundi corpus eodem generari modo non potuisse; quasi tantum materiæ coire non potuerit; ac tantò magis falli, quanto major est proportio materiæ pulicis ad materiam Elefantis, & materiæ Elefantis ad materiam totius Mundi, quàm sit materiæ totius Mundi ad eam, quæ infinita est in infinito Universo. Sed, quæso, unde nam ipsis constat esse in infinito Universo, seu tam in Mundo, quàm in spatiis, quæ sunt ultra Mundum, infinitam materiam, quæ generando isti Mundo, aliisque suffecerit; ut nobis constat esse in terra satis superque materiæ, ex qua non modò pulices, sed Elefantes etiam gignantur: An non mera est fictio, seu, ut sic dicam cum Plinio, furor, talem materiam conjicere?

Sed demus fuisse talem materiam, seu Atomorum temerè volitantium infinitatem; annon difficultas est semper, quomodo in tanta illa laxitate, & infinitate spatiorum tot Atomum convenerint, ut illicò potuerint se tam validè revincire, tam concinnè disponere, absque revinciente, & disponente causâ? Nam quòd animalia quidem ad eò exquiritè formentur, id habent ex seminibus ad certas formas

com-

comparatis; Atomi vero illæ non se habuere ut semina; quatenus comparata magis ad gignendum Mundum, quam ad quidvis aliud non fuerunt. Ex quo fit, ut si mundus quidem nihil foret aliud, quam moles rudis, ac indigesta, partesque eius variè commistæ, confusæque & absque eleganti ulla dispositione observarentur, tum valere utcūq; posset istorum conjectatio; quemadmodum si quis videret post dissectionem animalis congestas in unum particulas varias, ossium, carniū, medullarum, humorum, nervorum, arteriarum, venarum, membranarum, cartilaginum, tendinum, cæterorūque hujusmodi variè permistas, confusasque, & absque ullo ordine; at quia videmus in Mundo nihil minus ritè digestum, quam observare liceat in animali integro, fieri ne potest, ut cum agnoscamus specialem quandam esse causam, quæ particulas illas omnes in animal unum adeò concinne compegerit, non agnoscamus etiam specialem, quæ omnes istas Mundi partes in hunc, quem videmus, adeo elegantem ordinem disposuerit?

Quod de formatione nivis in sex radios, similibusque adjicitur, aliquid fortè concluderet, si probari posset ista temerè, & non potius sapienter fieri, quæ elegantur adeo, ac eodem modo semper fiunt, cum ea, quæ fiunt temerè, & perturbatè, & diversimodè fiant. At quæ potest esse sapientia in guttulis aquæ, aut alterius liquoris? Nempe ea sapientia, quæ licet nos lateat, tanta tamen est, quæ in admirationem nos rapiat; cū aliquam esse manifestè arguat & pulcritudo operum, & constantia in eadem semper pulcritudine apparanda. Vnde, & si ista sapienter, non temerè fiunt; ecquid demum est dicendum de Mundo, quo fieri nihil potest speciosius? Nam ut ab hisce minutulis, etiam ab usque Acari, augescendo gradum faciamus; tantò erit semper causa mirabilior, quantò major moles erit ut sapientiæ, ita & potentiæ majus argumentum. Non quòd aliunde elaboratio minorum corpusculorum non commendat artificem; sed quòd in opere ingenti & symmetriam servare, industrium, & materiam regere, operosum esse videatur.

Vt isti porrò arguentes à minori ad majus volunt potuisse Mundum casu, & ordinatè tamen fieri; sic videtur posse appositè magis à majori ad minus illud argui, quod Balbus objicit Vellejo. Nam *Si Mundum, inquit, efficere potest concursus Atomorum; cur partium, cur templum,*

templum; cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa & multo quidem faciliores? Respondebunt fortè ista esse artis; at cùm casus etiam esse concedatur in ipsis artis operibus; cur, ut volunt casum creare animalia, non sic volunt domum, aut urbem, quæ agnoscuntur opera artis? Sanè, ut idem de istis dicam, quod de animalibus mox antè, si talis esset Mundus, qualis est strues promiscua lapidum, trahium, tabularum, gyphi, calcis, arenæ, tegularum, clavorum, & similium, excusabiles viderentur si congestum fuisse casu dicerent. Nunc autem, cùm Mundus sit longè stabiliùs, distinctiùs, ornatius ex partibus suis constructus, quàm elaboratissima ulla domus ex suis illis rudibus: Qui fieri potest, ut isti censeant talem domum paratam fuisse, non à fortuna, casive ullo, sed sapientiâ artificis; & Mundum tamen paratum fuisse non sapientiâ artificis, sed mero casu, atque fortunâ? An dicent has parteis, ex quibus est domus, esse inerteis, immobileis que, cùm Atomi, ex quibus est Mundus, mobilissimæ ex se sint, sese que suo motu disponere decorè possint? Verùm fingamus parteis domus mobilissimas quoque esse, & ubi undequaque confluentes in struem illam convenerint, temere sese ingerere, regerere, intervadere, commiscere, an est, cur putemus eas posse in domum talem conformari tempore non aliquo brevi, sed quod complectatur sæcula innmerabilia?

Sed facilius intelligetur similitudine aliâ Balbi, dum miratus esse quemquam, qui sibi persuadeat Mundum effici ornatissimum, & pulcherrimum ex corporum concursione fortuita, pergit: *Hoc, qui existimat fieri potuisse: non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ, vel qualeslibet, aliquò conjiciantur, posse ex his in terram excussis Annaleis Ennij, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio, an-ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.* Ex quo rursus dico, si ordo ille literarum, qui vel ad unam paginam congruè legendam sit necessarius, nunquam, ne omnibus quidem Typographis exorietur, donec, qui formis literarum aggerendis operas locant, temerè illas congerent, nec certo consilio disponent, profectò præter rationem est, ut credamus hunc ordinem, qui inter tot Mundi veluti formas, characteresve est constitutus, constitutum fuisse ex iis temerè, non certo consilio congestis. Cæterum cum pagina libri, & annales Ennij, cum domus, & id genus alia sine

adhuc

Q

adhuc non parum inferiora iis opificiis, quæ ob inditos sibi motus solertia majoris argumenta sunt; vide, quam idem Balbus præclare: *Qui convenit, inquit, cum procul cursum navigij videris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moveatur; aut cum Solarium vel discipulum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu: Mundum autem qui, & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare? Quod si in Scythiam, aut in Britanniam spheram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole, & in Luna; & in quinque stellis Errantibus, quod efficitur in Cælo singulis diebus, & noctibus; quis in illa barbarie dubitet, quin ea Sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de Mundo, ex quo & oriuntur, & sunt omnia, casu-ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente divina. Et Archimedes arbitrantur plus valuisse in imitandis Sphæra conversionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata solertius. Et rursus: Hæc omnis descriptio Siderum, atque hic tantus Cæli ornatus, ex corporibus huc & illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? Aut verò alia qua natura, mens, & rationis expertis hæc efficere potuit, quæ non modo, ut fierent, ratione egerunt, sed intelligi qualia sint sine summa ratione non possunt. Hinc nihil est, quod adjiciam, nisi forte illud Laëtantij: Tanta ergo qui videat, & talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina, sed ex Atomis subtilibus, exiguis, concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est, aut natum esse hominem, qui hæc diceret, ut Leucippum, aut existisse, qui crederet, ut Democritum qui auditor ejus fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit?*

Verum duo præsertim supersunt, quæ obijci ab illis vides. Unum est, quod quaerunt, quibus organis in tanta rerum molitione Deus usus fuerit? Attamen non satis advertunt quid discriminis admittendum sit inter causas. Nam nobis quidem organis ad artificialia est opus, quibus manus, licet industriæ, non habent tamen ex se vim, qua scindant, qua terebrent, qua poliant, qua necessaria cætera moliantur: Quid tamen obstat, quo minus sit causa, quæ ut non egeat manibus, quibus apprehendat organa, sic neque organa, quæ apprehendan-

turi?

tur? Nonne vides (ut argumentum ex rebus manifestis ducam) ad elaborandum arcum Iridis, rem adeò pulcram, & concinnam, neque manu opus esse, neque circino, penicillòque ullo? Cur non & Mundus potuerit fabrefieri sine follibus, & incude? Nec verò propterea manibus Fortunæ fabrefactū objiciant, hoc enim jam non quæritur, sed vis primariæ illius causæ, quæ nullis usa sit ferramentis. Cur non eam porrò agnoscamus quæ longè superet omnem captum? Minimū quippe naturæ opus stupendam sapit solertiam; quanto magis tota natura? Scilicet profitebimur non capere nos quā energiā, quòve artificio formiculæ corpus formetur, animetur, discurrat; & cū universum Mundum contemplantur, ridentes quæremus de vi, quæ illum creavit, quos vecteis, quas machinas, quos ministros adhibuerit? Certè, ut animalculum vim clamat qua contextū est, licet nos ratio contexturæ, sive modus agendi lateat; sic ingēs ista machina vim infinitè potentiorē, perfectiorēque confitetur, quam sit mirificè compacta: tametsi mens nostra non capiat quemadmodum compegerit. Vim porrò illam seu Divinam, seu Deum appellaveris; necesse est tantam fatearis, quæ mentem nostram superet incomprehensibilibus intervallis. Neque enim illam metiri oportet modulo, ac pede particulariū causarum, à quibus tamen adhuc mens nostra tantopere dista est.

Heinc sanè, si Gubernator, dum clavum tenens sedet in puppi, ratione longè præstantiore navim dirigit, quàm juvenes, qui aut malos scandunt, aut vela vertentes per foros variè cursitant: Si Princeps in Regia quietus nobiliore modo administrat Rempublicam, quam aut veredarij, aut ministri, qui ipsius jussa vel exportant, vel exsequuntur: si Architectus solà operis designatione perfectiùs longe operatur, quàm illi variorum ordinum ministri, qui manu, atque instrumentis attingunt ipsam materiam: cur non sit quædam agendi ratio in illo Mundi Gubernatore, Principe, Architecto adeo eminentis, ut quæ omnium aliarum rerum excogitari præclarissima, & absolutissima potest, sit infinitè ipsa inferior? Quare & cū diximus illum solo nutu, atque voluntate condidisse Mundum, haud abs re fecerimus. Nam & quod isti amplius quærent; quos ergo ministros, quam obedientem materiam habuerit, illud eminentiam attingit, quā antecellit cæteris rebus. Quid enim haberet eximium, si iisdem rebus indigeret, quibus imbecilli homunciones? Equum profe-



Ad esse videtur, ut illud statuamus discrimen inter excellentem ipsius virtutem, & aliarum rerum imbecillitatem, ut materiam creet, potiusquam desideret; ut ministros formet, potiusquam requirat. Nempe, ut quisque artifex tantò habetur solertior, quantò ad opus egregium pauciore & materia, & famulatio indiget; ita Divinus Artifex solertissimus demùm erit, cùm nullo neque materiæ, neque ministrorum, neque organorum apparatu indiguerit.

Alterum est, quod interrogant, cur Deus tandiu abstinerit à fabricatione Mundi? Verùm ab Agente sapientissimo, potentissimo, ac liberrimo, qualein Deum esse par est, nihil tale est requirendum. Id scilicet quærent, cum accipiunt Mundum à sex millibus annorum creatum; at vides, si creatus fuisset à myriade usque myriadam annorum; idem omninò fuisse rogaturos; ac rursùm etiam pergendo ulterius, quocumque demùm tempore creatus fuisse concederetur: siquidem præcessissent semper sæcula innumerabilia, quæ ansam facerent dubitandi. Itaque vel non est quærendum, cur Mundus productus potiusquam improductus sit; vel productione semel concessa, existimandum perinde esse, seu nunc, seu antè, seu post in tanta hæc æternitatis latitudine producat. Quippe & quod jam quæritur, cur ante centum millia annorum idem consilij non ceperit Deus, id ipsum quæri poterit olim de nostris hisce temporibus, post alia annorum centum millia. Ex quo infero satis esse, si dicamus Deum condidisse Mundum, quo momento illi placuit infiniti temporis; nam & quod rationem habuerit, licet ea nobis sit incomperta, ex inexhausta sapientia, quâ cætera agit, conjectandum est. Et profectò, si Principes gerunt quam multa sapientissimè, quorum causæ subditos latent; cur non possit Deus sapientissimus habuisse causam, cur hoc tempore, potiusquam alio conderet Mundum, quam nobis neque liceat, neque expediat cognoscere? Nisi fortassis facilè putas, cùm pervidere nequeas, quid socius tuus ageret mente, posse tamen te perscrutari arcana illius consilia, qui non modò sensu, sed neque mente attingi potest?

Hæc sufficere nobis debet, si ex eo, quòd Mundus aliquando conditus sit, intelligamus Opificem sese declarare voluisse ad eò potentem, ut obstaculum nullum intervenerit; ad eò liberum, ut necessitas nulla prævaluerit; ad eò sapientem, ut nulla fortunæ temeritas coluferit,

luserit, adeò bonum, ut nullus livor exsequutionem impederit. Quod autem quærunt, an vigilârit tempore tanto, an dormierit? planum est somnum obrepere in illam Naturam non posse, quæ tota cum sit animus, neque corporeâ vexatur mole, neque cum defatigatione, ob continuam spirituum exsolutionem operatur. Quamobrem Deus tempore illo ipsa sui contemplatione, quæ operatio facillima, quietissima, jucundissima, ut plerique omnes observârunt Philosophi, beatissimè fruebatur, quod etiam occurreret postmodum attingendum. Quod vero urgent, si tum se Deus beatissimè fruebatur, cur ergo sibi molestiam ex productione Mundi paravit, id tum explicandum mox est, tum deinceps quoque fusiùs prosequendum.

Nunc circa Finem, ad quem Deus Mundum condens respexerit, non est, cur dubitetur Deum sui causâ fecisse Mundum, cum etiam hominem, cujus causâ fecisse illum dicitur, esse voluerit propter seipsum. Epicuri Effatum est, *Facere Sapientem omnia sui causa*; quorsum miretur fuisse Deum, sapientissimus opifex cum sit, propter semetipsum omnia operatum? Cùm præter ipsum nihil fuerit, gratificari nulli rei, præter seipsum potuit, & ut vim agendi à se solo habuit, ut sibi exemplar ipse solus fuit, ita non alius, quam ipse solus proprij operis esse finis debuit. Finis, inquam, non utilitatis, quasi, ut melius degeret, re quapiam indiguerit, sed gloriæ, quâ ut carere potuit, ita cur careret, non fuit. Ea fuit aliunde bonitas ejus, ut tametsi nulla necessitas fuerit, qua ad producendum quidpiam teneretur, nulla etiam obstiterit, ne testaretur profusionem. Cum posset proinde & condendo Mundo incumbere, & à condendo abstinere, voluit nihilominus condere, quatenus judicavit melius, esse naturas, quibus posset benefacere, quam non esse. Quare & cætera produxit, & specialiter homines, non ex quibus emolumentum consequeretur aliquid, sed quibus munera largitus, immensam liberalitatem, & magnificentiam faceret perspectam. Quippe non avarus divitiarum suarum munificentiam exercuit, qua nihil esse commendatius, gloriosius, ac divinius potest. Adderem, quæ jam attigi de declaratione potentæ, & cæterarum proprietatum, quæ ex ipsa Mundi productione elucescunt, sed quòd ex hac declaratione non esset futurus felicior, clarum est, ut bonitas summa paginam utramque adimpleverit. Quod si deinceps ex hominibus reverentiam, & cultum

requirit,

requirit, id facit, non ex indigentia, sed ne homines sint in ipsum ingrati; cum ex ingratitudine possit in animis ipsorum magna & perturbatio, & infœlicitas suboriri. Quia ipsis etiam præmia & pollicentur, & confert, ob testationem gratitudinis; non ut ipse beator sit, sed, quæ est ejus bonitas, ut illos beatiore efficiat. Quod vero rogant, si hisce rebus delectatur Deus, cur tandiu hac delectatione privari sustinuerit? Facilis ex eo responsio, quod ista delectatione sit ipsi quasi accidentaria, & fœlicitatem summam, quæ ipsi naturalis est, longè minùs adaugeat, quàm tenuissima aquæ guttula Oceani immensitatè. Nempe ipse sibi sufficientissimus est, & quicquid agit præter seipsum, ad alterius commodum spectat. Hinc neque Mundum exornavit his signis, & luminibus, ut habitaret meliùs; sed ut homines degerent commodiùs, quibus præsertim condidit Mundum. Ipse certè neque Sole, neque Luna egere potuit, qui totus lux est. Qui videlicet ex suo penu luminaria hæc tam speciosa prompsit, quàm sit necesse est splendidior? Idem verò dicendum est de varietate mirabili, qua exornatas terras videmus: si enim sunt hæc adeò pulcra; quantò, amabò, erit author pulcretudinis ipsius formosior? Eminentiore quippe ratione debet ea causa esse perfectior, quæ tam variorum generum parere perfectionem potest. Quamobrem sua Deo perfectio ante Mundum sic sufficebat, ut etiam jam sufficiat; & cum res omnes, quas creavit, nihil aliud sint, quàm quidam velut radij, quos ex seipso quasi diffudit, perspicuum est ante diffusionem, ipsorum quoque affluxisse copiam, quibus & jam carere possit non majore incommodo, quàm Sol his ipsis radiis, quos quis suo intercipit sinu.

Quod autem in Mundo condendo videatur præsertim attendisse ad Hominem, tanquam ad finem interjectum, utpote, cujus quoque gratiam voluerit esse cætera, existens ipse illius finis, vel ex eo intelligitur, quod in hac rerum molitione conditus homo speciatim sit, qui admirari illum possit, unde & observatur solus requirere, agnoscere, laudare Opificem suum. Posset Balbi verbis res dici, sed præstant ista

lib. 7. c. 5. Laëtantij: *Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? Scilicet, ut esset, qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, & sensu admirari, & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit. Is Artificem omnium rerum, in verum Patrem suum debita veneratione*

profe-

prosequitur, qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentū proferrī potest & Mundum hominis, & hominē sua causa Deum fecisse, quā quod ex omnibus animātib; solus ita formatus est; ut oculi ejus ad Cælū directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit? ut videatur hominem Deus quasi porrecta manu elevatum ex humo ad contemplationem sui excitasse. Ad hæc cūm Balbus quoque ipse præclare ostendat qua ratione cætera sint propter hominem condita; tum hæc quoque magis ex Laëtantio placent, Omnia, quibus constat, quæque generat ex se Mundus, ad utilitatem solius hominis accommodata sunt. ib. de Nat. Dei, cap. 13.  
 Homo vititur igne ad usum calefaciendi, & luminis, & coquendorum ciborum, ferrique fabricandi. Utitur fontibus ad potum, & ad lavacra: fluminibus ad agros irrigandos, terminandāsq; regiones. Utitur terra ad percipiendam frugum varietatem, collibus ad conserenda vineta, montibus ad usum arborum, atque lignorum, planis ad segetem. Utitur mari solum ad commercia, & copias ex longinquis regionibus ferendas; verūm etiam ad ubertatem omnis generis piscium. Quod si his Elementis utitur, quibus est proximus; non est dubium, quin & cælo, quoniam & cælestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperata sunt. Subinde verò, postquam varios usus tum cælestium, tum æreorum Meteororum descripsit, subjungit: Num etiam mutorum causa Deus laboravit? Minimè, quia sunt rationis expertia, sed intelligimus & ipsa eodem modo ad usum hominis à Deo facta, partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia, ut clarum sit divinam providentiam rerum, & copiarum abundantia hominum vitam instruere, atque ornare voluisse, ob eamque causam & ærem volucribus, & mare piscibus, & terram quadrupedibus implevit. Hactenus Laëtantius.

Cūm autem quæritur prætereà, an propter sapientis, an propter stultos Mundus sit factus? Dicendum videtur, propter omnes quidem, sed propter sapientis præsertim. Ac de his quidem dubium non est: ad illos vero quod artinet, vel ipsi possunt sapere, resipiscere; vel ex ipsorum desipientia, cæterorum sapientia efflorescit, & collucet magis. Ut præteream arvum non frumento solum, sed avenæ etiam destinari; & excoli hortum, in quo plantæ degeneres generosis internascuntur: & censeri membra Reipublicæ non nobileis solum, sed plebeios quoque; & præparari tabulam, quæ

quæ non modo vivos colores, verum umbras quoque recipiat.

Ad Argumenta Lucretiana, quæ difficultates alias complectuntur, responderi uno verbo potest: ad Primum quidem, non emolumentum, quod ex nostra gratia Deus caperet, fuisse ipsi causam cur faceret Mundum, sed bonitatem ipsius, ipsumque adeo commodum nostrum. Ad Secundum vero, etsi dum non sumus, nihil sentiamus incommodi, experiri tamen nos, dum existimus, quanto sit melius esse, quàm non esse; cum alterum sit una res, alterum autem mera privatio. Quod Epicurus autem heic rogat, cur non ergo Deus nos immortalis fecerit; declarandum suo loco est, qua ratione nobis tribuerit immortalitatem. Ad Tertium, ipsam mentem Divinam fuisse sibi summum exemplar, in quo & Mundum. & homines producendos contemplaretur; cum etiam nobis ea opera designare animo liceat, quorum exempla extra nos non sint. Ad Quartum, Deum sic respexisse ad hominum utilitatem, ut etiam voluerit suum opus amplitudine, & varietate commendare; ut exinde homines & agnoscerent, & probarent magis, quæ sibi essent commoda, cum observarent incommodiora. Ad Quintum, superfluos plerumque labores in colendis agris ab hominibus suscipi, ut vivant nempe delicatius; cum quæ alioquin Terra est parens cæteris animalibus, non possit noverca hominibus esse, ut inferius attingendum erit. Quod si labores aliqui necessarij esse videantur; tum illos esse debere gratos, non propter spem modò, sed ex eo etiam, quod Homo, cum ad torporem natus non sit, non mediocreis percipere ex agricultura voluptates possit. Ad Sextum, casus, qui fructibus speratis interveniunt, neque adeò crebrò, neque adeò universè intervenire, ut non aliunde suppetat, unde hominum vira sustentetur; ut taceam ista pertinere ad generalem providentiam, de qua dicendum statim est. Ad Septimum, idem rursus dicendum circa animalia, resque alias noxias & cæteros casus; cum ad Providentiam similiter spectent. Ad Octavum tandem, quod conqueri solent de imbecillitate infantæ, de teneritudine cutis, & similibus, injusta prorsus querela est. Nam & præter illa, quæ dicta sunt mox, ipsa parentum mollities est, quæ molliorem facit infantiam; & quæ ejus est longitudo, ea vel functionem perfectione, vel diuturnitate vitæ compensatur: Et quæ vestes requiruntur,  
ipfas

ipſas non natura, ſed inſtitutio neceſſarias fecit; & quæ nobis arma natura negavit, ea vel neceſſaria non ſunt, cum ſufficientia ſuppetant; vel & ingenium, & manum dedit, unde parari illa poſſent, quod alibi eſt dicendum uberius.

## P E T R I G A S S E N D I

### ANIMADVERſIO III.

#### *Eſſe Deum Rectorem, ſeu cauſam Gubernatricem Mundi.*

**S**UCCEDIT jam alius Epicuri error, qui eſt de Mundi regimine, ſeu de Divina Providentia. Propalavit illum variis quidem locis, ac illo præſertim, quem attigimus ex Epistoſta ad Herodotum, *Exiſtimare non oportet, aut motum Cæli, aut aſſivam, hybernarnque Solis converſionem, aut Solis, Lunaque defectum, aut ortum, occaſumve Aſtrorum, aut alia hujusmodi ideò fieri, quod ſit Præfectus aliquis, qui ſic diſponat, diſpoſueritve, ac ſimul beatitudinem, immortalitatemque poſſideat, non enim cum facilitate congruunt neqotia, ſollicitudines, ira, gratia, ſed hac præ imbecillitate, metu, opisque externa indigentia contingunt.* Verùm nullus eſt decantatioꝝ locus primâ illâ ex Ratis Sententiis. τὸ Μακάριον, καὶ Ἀφθάρτων ἔτε αὐτὸν πρᾶγμα ἔχει, ἔτε ἄλλω παρέχει, *Quod eſt Beatum, ac Immortale, neque habet ipſum neqotij quicquam, neque exhibet alteri; ſeu, ut Carmine Aufonius expreſſit;*

*Quod eſt beatum, morte & æternum carens,  
Nec ſibi parit neqotium, nec alteri.*

Videlicet nemo penè eſt Authorum, qui hujus Sententiæ non meminert, ut conſtat ex iis, quas ad Lærtianum contextum adhibuimus, notis. Prætereo, autem Epicurum, præter paucos Atheos, de quibus dictum antè eſt, paucos ſive anteceſſores, ſive adſtipulatores habuiſſe. Recenſet Stobæus Leucippum, & Democritum; addit Nemeſius Heraclitum. Cicero de Stratone

R

dicit,

Ecl. phys.  
25. de na.  
ho. 13.  
4. Acad. 2.  
de divin.  
3. de na.  
Deor.  
lib. 2. ca. 7.

dicit, *Eum, cum Sacerdotes vacationem habeant, æquum judicasse Deos ipsos habere.* Et de Dicæarcho, putasse illum, *id esse alienum à majesticate Deorum, causas omnium introspicere, ut videant quid cuique conducatur.* Idem refert Ennium sententiam exprimentem hæcæ ver-  
sibus,

*Ego Deum genus esse semper dixi, & dicam calitum;  
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.*

His si addas Plinium, qui, *Irridendum, inquit, agere curam rerum humanarum illud quicquid est summum;* tum vix paucos alios insuper reperias. Enimverò; cum duplex soleat distingui Providentia, una generalis, quâ Mundus universus administratur; altera specialis, quâ Deus gerat speciatim hominum curam: age, de generali prius, de speciali posterius, ut jam antè quoque suscepimus, dicamus.

Cùm Epicurus ergo adversus generalem Mundi providentiam sæpiùs dixerit; tum visus sibi est duplicem præcipuè rationem habere. Una fuit, *Talem providentiam cum divina felicitate, & immortalitate pugnare.* Id citata loca manifestè habent; & cùm Velleij hoc de argumento dissertatio relata sit, cum de felicitàte Divina; adnotandum heic solùm est vocari ab ipso τὴν πρόνοιαν, *Providentiam, Fatidicam Stoicorum animum;* quasi qui illam profiteantur, delirent, *cum Deum laboriosissimum (alias curiosum, negotij plenum; ut in tanta mole occupatum) faciunt.* Nempe Intellectum divinum modulo humano mensus Epicurus, persuasus fuit ipsum non posse non obrui tantâ hac multitudine, & diversitate rerum, quas in Mundo observemus, si cogitandum de singulis, si providendum singulis fuerit. Quare & visus sibi est piè agere, cum imitatus illos non est, qui

1. de na.  
Deor.

lib. 6.

Comment.  
in Abac.

*Diis indigna putando, alienaque pacis eorum,* (versus est Lucretij) ea ipsis attribuunt, quæ D. quoque Hieronymus videri potest non approbasse. Siquidem verba illius sunt: *Ceterùm absurdum est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: quot cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cedere debeant. Non finis tam fatui adulatoris Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus,*

in nos ipsos injuriosi sumus, eandem rationabilium, quàm irrationabilium providentiam esse discenses. Quò etiam respexisse videtur Plinius, cum <sup>loc. cit.</sup> postquam dixit, non dubitandum, quin illud, quicquid est summum, polluat tam tristi, atque multiplici ministerio, pergic: Vix propè est judicare, utrùm magis conducatur generi humano; quando aliis nullus est Deorum respectus, aliis pudendus. Isthæc verò ut Lucianus suo more repræsentaret, & in Epicuri sententiam desineret, Jovem induxit declarantem, quàm abs re Homerus beatos appellavit Deos, cum tot, & tanta negotia sustineant. Quippe laboribus aliorum recensitis, subjicit: Ego verò ipse omnium ille Rex, ac Pater, quam multas molestias sustineo? quam multa habeo negotia, tot, tantisque curis distractus? Cui primùm quidem necesse est cæterorum Deorum opera inspicere, quicumque aliquid in administrando imperio nobiscum vices obeunt, ne agendis rebus torpescant. Innumera deinde sunt, quæ mihi agenda incumbunt, & quæ vix quidem assequi præ tenuitate valeam. Non solum enim partibus illis mea administrationis curatis, atque confisitis, pluvius, inquam, grandinibus, ventis, conuscationibus, non quiesco, nec curis specialioribus sublevor; sed oportet me & hæc facere, & tempore eodem undequaque attendere, omniisque ut illum Nemeæ Babulcum, contemplari, furantis, pejerantis, sacrificantis; si quispiam libet, unde ascendet nidus, ac fumus; quis sive ægrotans, sive navigans invocet. Quodque omnium est operosissimum, uno, eodemque tempore, in Olympia Hecatombæ interesse; in Babylonis belligerantis intueri; apud Getas grandinare, apud Ethiopas convivari. Pergit autem: Ac ne sic quidem reprehensionem de vitare facile est; sed sapenumero cæteri quidem Dii, galeatique homines totam noctem dormiunt; me verò Jovem placidus sopor haud tenet unquam; Quia si vel tantillum nictaverimus, verax illic Epicurus habetur, nullam esse in nobis eorum, quæ in Terra geruntur, providentiam affirmans. En verò ut Lucretius veluti excipiat, docens hæc non esse factu possibilia, quòd nulla natura potens adeò sit, quæ istis præstandis sufficere valeat,

Nam (proh! sancta Deum tranquillâ pectora pace,  
 Quæ placidum degunt ævum, vitamque serenam)  
 Quis regere Immenso Summam? Quis habere profundi  
 Indu-manu validas potis est moderanter habenas?  
 Quis pariter Cælos omneis convertere? & omneis

R 2

Ignibus



*Ignibus ætheriis terras suffire feracis ?  
 Omnibus inque locis esse omni tempore præsto ,  
 Nubibus, ut tenebras faciat, Cœlique serena  
 Concuriat sonitu? tum fulmina mittat, & adæis  
 Sape suas disturbet? & in diversa recedens  
 Saviat, exercens telum, quod saepe nocentis  
 Præterit, examinatque indignos, inque merentis?*

Altera Epicuri ratio fuit, quod omnia in Mundo perinde con-  
 tingerent, ac si nulla prorsus foret providentia. Quippe, cum  
 multa fieri casu, multa evenire præter ordinem naturæ deprehen-  
 deret; cætera, quæ fieri constanter, ordinatèque viderentur, ita  
 posse existimavit revocari ad suas causas, ut nihil propterea foret  
 necesse ad Providentiam recurrere. Id deducitur ex jam dictis,  
 & ex loco illo Lactantij, quo Epicurus, *Nulla, inquit, dispositio  
 est; multa enim facta sunt aliter quàm fieri debuerunt; & ex illo E-  
 pistolæ citatæ loco, in quo Physiologiam ad hoc declarat insti-  
 tutam, ut Mens ex perspectis causis conquiescat, neque aliam,  
 esmq; divinam subesse causam suspicando, felicitatem intertur-  
 bet. Heinc est, quamobrem commentus casum, quo & Cœ-  
 lestia corpora, & animalia, & cætera omnia conformata initio  
 fuerint, specialeisque motus, ac viceis obire variè cœperint; co-  
 natus fuit omnia deinceps, quæ in Mundo contingerent, ad cœp-  
 tam ab usque initio causarum seriem revocare, ipsam appellan-  
 do naturam, quam, ut declarabitur postea, voluit à seipsa velut  
 edoceri, & ad idem, quod fuerit cœptum, agendum velut adi-  
 gi, neque esse necesse ad administrantem confugere causam, quæ  
 seriem à se institutam faceret constantem. Spectat huc, quod  
 Damis Epicureus apud Lucianum, *Contingit, inquit, hæc incæp-  
 ta esse, ac etiam num similiter, eodèmq; modo consistere.* Itemque quod  
 Cotta apud Ciceronem, quasi Velleio favens: *Non omnia, Balbe,  
 que cursus certos, & constanter habent, vel servant, ea Deo potius, quàm  
 Natura tribuenda sunt. Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reci-  
 procando putas fieri posse constantius? Quid freto Siciliensi? Quid Oceani  
 fervore illis in locis,**

*Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda?*

*in Io. trag.*

*3. de nat.  
 Dier.*

*Quid*

Quid astus maritimi vel Hispanienses, vel Britannici, eorumque certis temporibus vel accessus, vel recessus, sine Deo fieri non possunt? Vide, quæso, si omnis motus, omniæque, quæ certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus; ne tertianas quidem febreis, & quartanas divinas esse dicendum sit, quarum reversione, & motu quid potest esse constantius? Heinc illa Poëtæ exclamatio:

Quid vexare Deos frustra jurat? ordine certo  
Fert natura vices, labuntur & ordine certo  
Sidera, tam varios rerum patientia casus.  
Illa suos peragunt motus, servantque tenorem  
Sorte datum.

Pontan. lib.  
1. de stell.

Videtur proinde Epicurus habuisse hunc Mundum, ut Rempub. aliquam, in qua cives omnes edocti sua munia, illa absque moderatore, consiliove ullo generali exsequantur. Quippe & ille apud Plutarchum, Nulla est, inquit, opus sapientia ordinis instruendi in exercitu, si militum quis sua sponte noverit locum, ordinem, stationem, quam accipere & tueri debeat: Neque etiam opus olitoribus, fabrisve murariis, si aqua illeic ultrò affluat indigentibus rigatione plantis; heic lateres, ligna, lapidesve eas, naturæ duce, motiones, atque inclinationes subeant, quibus in sua loca, inque expetitam concinnitatem coeant. Videtur & id agnovisse inter Mundanam, Humanamque Rempublicam discriminis, quod in ista homines ob judicium rationis fluctuans, arbitriumque liberum, à scopo plærumque deflectant: in illa membra omnia ob naturæ constantiam, cœptamque velut necessitatem, gressu firmiore cursum teneant, & ad finem suum contendant. Ista sunt, ad quæ respexisse videtur Lucretius, dum ait:

de fa. Ln.

Quo bene cognita si teneas, natura videtur  
Libera continuo dominis privata superbis,  
Ipsa sua per se sponte omnia Dīs agere experts.

lib. 1.

Et,

Cætera, quæ fieri in terris caloque tuentur  
Mortales, pavidis quam pendens mentibus sapes,  
Efficiunt animos humileis formidine Divum,  
Depressosque premunt ad terram; propterea quod  
Ignorantia causarum conferre Deorum

lib. 6.

*Cogit ad imperium res, & concedere regnum, &  
Quorum operum causas nulla ratione videre  
Possunt; hac fieri diuino numine rentur*

Ae rursus,

———— ignari materiai

*Naturam non posse Deum sine nomine rentur*

*Tempora mutare annorum, frugesque creare, &c?*

Ut exemplo autem rem declaret, Fulmen potissimum usurpat, cuius, effectuumque ipsius causas imprimis explicat; ac deinde exaggerat esse juxta illas ratiocinandum de Fulmine, non ex placitis Hetruscorum. Et ut planius faciat Deo disponente rem non peragi, argumentatur ex eo, quod fulmen plærumque prætereat nocentis, in fonteis verò corripit,

lib. 6.

*Quod si Iupiter, atque alij fulgentia Divi  
Terrifico quatiant sonitu cœlestia templa,  
Et jaciunt igneis quo quoique' st cùmque voluntas;  
Cur quibus incautum scelus aversabile cùmque' st,  
Non faciunt, isti flammæ ut fulguris halent,  
Pectore perfixo, documen mort alibus acre?  
Et potius nulla sibi turpis consciu' reij  
Volvitur in flammis Innoxius, in que peditur  
Turbine cœlesti subito conreptus, & igni?*

Tum quod fulmina non videantur esse patata hominum causa,  
*Præterea, si vult caveamus fulminis ictum,  
Cur dubitas facere, ut possimus cernere missum?  
Si nec opinanteis autem vult opprimere igni,  
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?  
Cur tenebras antè, & fremitus, & murmura concis?*

Et rursus, quod fulmen loca sacra plerumque petat.

*Postremo, cur sancta Deum delubra, suasque  
Discutit infesto præclaras fulmine sedeis,  
Et bene facta Deum frangit simulacra, suisque  
Demit imaginibus violento vulnere honorem?*

Dixerat etiam antea,

*In terraque Patris cur telum perpetuantur*

Obtundi

*Obtundi? cur ipse finit, neque parcit in hosteis?*  
 Itèmq; quod fulmen in loca deserta, in maria, in monteis inutiliter plerumque jaciatur,

*Cur etiam loca sola petunt, frustra que laborant?*  
*An con-bracchia sue faciunt, firmant que lacertos?*

Et,

*In mare qua porro mittit razione? quid undas*  
*Arguit, & liquidam molem, camposve natanteis?*

Ut subinnuat verò naturalem causam, quærit:

*Denique cur nunquam celo jacit undique puro*  
*Iupiter in terras fulmen, sonitusque profundit?*

Ac infrà:

*Et simul in multas parteis qui credere possis*  
*Mittere? an hoc ausis nunquam contendere factum,*  
*Ut fierent ictus uno sub tempore plures?*  
*At sape est numero factum, fierique necesse est,*  
*Ut plure in multis regionibus, & cadere imbreis,*  
*Fulgmina sic uno fieri sub tempore multa.*

Ejusmodi sunt, quæ obijci solent adversus Mundi regimen, s. Strom. I. Topic. II  
 generalemve Providentiam. Meritò verò S. Clemens, Ex qua-  
 sitionibus, inquit, alia sensu indigent, ut si quis querat, an ignis sit calidus?  
 an nix alba? alia verò admonitione, aut increpatione, quemadmodum ait  
 Aristoteles, ut si queratur, an parentes sint honorandi? At sunt aliqua  
 digna, quæ puniantur, cuiusmodi est, probationes requirere, an sit Pro-  
 videntia? Cum scilicet, inquit paulò post, manifesta sit divina Pro-  
 videntia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum, quæ arte constant,  
 & sapientia, quorum alia quadam sunt ordine, ordine alia manifestan-  
 tur. Jure consequentur Himerius, Si vel tantum, inquit, scri-  
 bere ausus fuisset Epicurus, quantum ad signa providentia tollenda suffice-  
 ret; quomodo parci illi potuit, qui aded fuit impius in ipsammet Provi-  
 dentiam, cujus simulacra sunt Cælum, Terrâ, Elementaque omnia natura?  
 Non ita porro Philosophi alij, qui ut oculatiores fuerunt, ita reli-  
 giosius senserunt. Nihil est opus longum illorum contextere ca-  
 talogum; cum præter paucos antè citatos, vix alij quidam  
 memorentur. Ecphantus quoque, & alij, qui ex Atomis com-  
 pegère Mundum, censuerunt in eo esse providentiam, uti apud  
 Stobæum ap. Phot. in Biblioth. Ecl. phys.

Stobæum est. Et illi etiam, qui statuere Mundum non habuisse initium, existimârunt fieri non posse, quin providentiâ gubernaretur. Nam Plato quidem si vera est Sætorum interpretatio, de qua aliquoties jam dictum, ita convictus, coactisque ad admittendum providentiâ fuit, ut productione usus fuerit, saltem tanquam hypothesi, ut rem aliâ difficilem explicatu faceret planam, videlicet constitutionem, & administrationem Mundi, ut ex Plutarcho relatum est. Hinc nec pauca, nec semel habet de rerum providentiâ: & ut præteream quæ leguntur in libris de Legibus, in Epinomide, & aliis locis; memoro solum quod Plutarchus ex ejus Timæo distinguit, & probat triplicem providentiâ: *Prima enim, & suprema, inquit, est primi Dei intelligentiâ, sive maxis voluntas benefica erga res omnes; qua primum singula diuina res omnino optimè, pulcherrimè ordinata sunt. Secunda secundorum Deorum per cælum incedentium, qua res mortales ordinatè sunt, & singulorum generum constantia, atque salus procuratur. Tertia non ineptè dicitur Providentiâ, & procuratio Geniorum, qui circa Terram collati, humanarum actionum custodes, atque inspectores sunt.*

Aristoteles verò, qui longè expressius æternitatem Mundo asseruit; tamen aliunde non concedat Deo rerum singularum, despectarumque providentiâ, quia negat notitiâ, ut patet ex libris Metaphysicis; exque Interpretibus ipsius, ac nominatim Aphrodisæo; nihilominus Providentiâ & agnovit, & à cælo summo ad cælum usque Lunæ extendit, ut Laërtius, Theodoretus, Stobæus, & alij scribunt; eaque de causâ ab Origene minùs fuisse impius prædicatur, quàm Epicurus. Prætereo heic, quod scribitur libro de Mundo ad Alexandrum; in eo siquidem Author docet ut Rex Persarum Susis, aut Ecbatanis degens, non exsequitur ipse singula, quæ toto regno geruntur, sed variarum rerum officia variis ministris mandat; sic Deum in Cælo degentem, non procurare ipsum quæ sub Luna fiunt; sed Soli, Lunæ, aliisque ministris procurationem committere. Hoc modo Aristoteles propè cum Platone consentit, cum & huc faciat præclarus locus, qui jam antè citatus est de iis, qui post ævum transfactum in locis subterraneis, & repenti emeris, intuitique hunc rerum ordinem, ipsum non sine numine esse posse arbitrarentur.

Nihil

*De procr.  
an. ex Tim.*

*lib. 10.  
lib. de fato*

*lib. 12. cap.  
9.  
lib. 5.  
lib. 5. Ther.*

*Ecl. phys.  
1. con. Cels.  
cap. 6.*

*apud Cicero.  
2. de na. De.*

Nihil heic dico de Stoicis; ipsi enim semper fuere maximi Providentia assertores; licet videantur ipsi quoque minutiorum rerum curam subtraxisse, ut constat vel ex dicto Cotta adversus Balbum Stoicum: *At enim minora Dij negligunt: neque agellos singulorum, nec viticulas prosequantur; nec si uredo, aut grandio quidpiam nocuit, id loqui animadvertendum fuit. Ne in regnis quidem Reges omnia minima curant: sic enim dicitis. Quasi ego paulo ante, &c.* Denique Academici & Sceptici omnes, licet hunc locum vexaverint, ut Balbus Cottæ obiicit, & Laetantius apertè innuit; at tamen ut argumentati adversus Providentiam sunt, sic Opinioni de Providentia suam probabilitatem fecerunt, neque saltem ea fronte fuerunt, ut esse Providentiam absolutè inficiarentur.

lib. de ira  
Dei 13.

Porro, ut prætereamus quoque consensum omnium Gentium, atque adedò communem notionem sive anticipationem, qua Providentia agnoscitur; age, nonne ipsa est ratio, quæ seu Deum spectemus, seu Mundum, Providentiam esse apertè demonstrat? Nam primùm quidem, quod ad Deum spectat, cùm manifestum sit Deum esse, & Epicurus quidem id neget; nonne quæ ratio existentem, eadem etiam summè perfectum convincit? Agnovit quoque Epicurus præstantissimam ipsius naturam; & constat satis fieri non posse, ut Deum esse intelligamus; cui deficit aliqua perfectio. Quippe id potiùs foret Deus, cui ea perfectio tribueretur; & quamvis dicas fieri posse, ut concepta perfectio nulli rei conveniat; saltem quia mens nostra cogitare potest aliquam naturam cujus perfectio propria sit, cogitemus ergo naturam, quæ esset divinâ perfectior, quod & absurdum, & nefas est. Ceterùm posse Mundo providere, naturæque rerum re ipsa consulere, quis perfectionem esse non censeat? Imperfectio certè non est; cum quisque tantò perfectior sit, quantò imperio est dignior, animòque est magis generoso, excelso, liberali, sapienti, bono. Itaque ea prorsùs est Deo attribuenda perfectio, ut provideat Mundo, seu consulat rebus. Nam &, si dicas hanc perfectionem repugnare ejus naturæ, quæ felicissima cum sit, negotiosa esse non possit; fingamus ergo aliam naturam, cum summa cujus felicitate possit negotiorum procuratio constare; quid nî enim non liceat?

ceat? cùm etiam videamus inter homines, ea ipsa negotia, quæ ingenium aut humile, aut inexercitatum opprimunt, ludo esse, & in deliciis sublimi, ac rerum perito. Igitur illa ipsa natura, quæ absque felicitatis detrimento gerere rerum curam valebit, erit longè istâ perfectior, quæ felicitatem tueri cùm rerum cura capax non sit; erit ergo illa, non ista, divina. Quamobrem in hac non hæreamus, sed ad illam usque cogitationem evehamus, quæ & felicissima simul, & providentissima esse possit; ejusmodi Deus cùm sit, talem esse ejus naturam oportet.

Id verò confirmatur, quoniam ex antè dictis, non licet concipere Deum, non intelligere verò Sapientissimum, Potentissimum, Optimum. Et certè qualis esset Deus, si ignoraret, si non posset, si invideret aliquid? An-non, ut idem semper urgeam, natura illa esset perfectior, quæ sciret, quæ posset, quæ non invideret? Si igitur Deus Sapientissimus est, intelligentissimus sanè est; quocirca & non solum omnia, quæ sunt in Mundo intelligit, sed intelligit etiam modum, quod administrari & possint, & debeant. Intelligit ergò etiam practicè; seu reipsâ administrando; nam si contemplativè solum intelligeret, non omni modo intelligeret, possetque cogitari natura perfectior, quæ utriusq; simul intelligentiæ capax foret. Et cùm aliunde Sapiencia elucescat potissimum in administratione rerum: quomodo tandem argueremus, possemusve defendere Deum esse Sapientissimum, si otiosum, nihil agentem, nihil curantem conciperemus? Si Potentissimus est, oportet profectò, ut nihil potentiam ipsius effugiat; hoc autem quâ ratione fiat, nisi & produxerit omnia, & omnia vireis explicent, quas ipse cùm tribuerit, coagendo etiam moderetur? Quâ ratione, nisi & attingat omnia, & omnia ab ipso sic pendeant, ut præter ejus voluntatem neque existant, neque moveantur; An verò nihil agens aut manifestare excellentem virtutem potest; aut actionem intermitrens, imbecillitatis, lassitudinisque non inducere suspicionem? Denique, si Optimus est, oportet igitur, ut omnia bonitatem ejus summam persentiscant. Quomodo id verò, si agens res suas nullius rei gereret curam? si non provideret rebus omnibus? An-non, si cùm sciret, & posset omnibus bene consulere, censerì posset livore tabens, nisi consuleret reipsa? Ergo, quod

quod spectat quidem ad Deum, nihil est, quod magis deceat, commendetque supremam ejus majestatem, excellentissimamque naturam, quam rerum Providentia; cum nihil æquè ejus sapientiam, potentiam, bonitatem summam demonstret.

Deinde, quod spectat ad Mundum; si is est imprimis à Deo conditus, ut prius jam ostensum est, profectò ab Authore suo derelictus esse non potest. Cum nullus enim sit Opifex, qui non malit operi suo bene consulere fieri, quam male: non potest Deus hoc opus suum tanto habuisse despectui, ut non ipsi prospiceret quicquid conducibilius foret. Quippe nemo melius pernovit quibus rebus aliquid egeat, aut quemadmodum gubernari debeat, quam qui ipsius conditor est. Neque dicas potuisse Mundum adeò perfectum à Deo creari, ut deinceps per se consistens curatore non indigeret; siquidem cum Mundus ex se ipso non sit, & dempta opera Creatoris, quæ ipsum è nihilo eduxit, nihil sit; non potest sanè nihil non esse, nisi perseverante vi, à qua semel habuit, ut aliquid esset. Non minùs certè à suo Authore, quam lux à lucido dependet: quamobrem ut lux servari non potest, absque Sole à quo procreatur, sic incolumis absque Deo, à quo productus semel fuit, perseverare Mundus non potest. Et quamvis aliquæ sint res, quæ sine suis causis consistunt; ejusmodi tamen sunt res, quæ absque hujusmodi causis aliquid sint; cum causæ nihil aliud, quam materiam versent, & vireis in ipsa exsistenteis temperent, ita ut novum quidpiam appareat: At Mundus, qui nihil absque Deo fuit, nihil habet ex se, unde subsistere per se, ac Deo non assistente, possit. Est igitur potius Deus causa Mundi, eo modo, quo Sol causa lucis; ac proinde, quemadmodum lux ex aère perit, si Sol cesseret influere; ita est Mundus penitus recasurus in nihilum, si Deus ipsi supponere destinaret salutarem manum.

Deinde moles hæc operosa tot, tantisque partibus constans, ea omnino est, ut sine Rectore constare non possit. Quamobrem præclare senserunt, qui Deum dixerunt esse in Mundo, quod est Gubernator in navi, Auriga in curru, Præcentor in choro, Patrem familias in domo, Princeps in regno, Imperator in exercitu. Observamus enim quicquid texitur ex variis rebus, quæ varios



habent impetus, nisi moderatorem habeat, à quo temperetur, in confusionem prorueret. Enimverò, si anima, quæ totum corpus regebat, abeunte, exolutio statim omnium partium consequitur; existimare possumus Mundum, si regente Deo destituatur, non statim pati dissolutionem? Non quòd Deus propterea sit anima, quæ ipsum Mundi corpus informet; sed quòd adesse illi debeat minore necessitate, quàm anima corpori, ut universas ipsius partes suis in officiis contineat. Ex quo fit, ut licet non propriè, figuratè tamen dici possit Mundi anima; ut figuratum etiam est, quòd Governator, Imperator, Princeps, & cætera, vocatur. Nempe ratione regiminis his effertur nominibus; cum id discriminis tamen sit, quòd Governator non toti navi, non Imperator toti exercitui, non Princeps toti regno adsit; Deus verò ipse sit toti Mundo, quem moderatur, intimè præsens.

Denique argumentum præcipuum, quod petitur ex parte Mundi, illud ipsum est, quod jam aliquoties insinuavimus; desumptum nempe ex inspectione, & consideratione ipsius. Quoniam reverà quisquis partium adeò ingentium, adeò variarum, adeò speciosarum, dispositionem spectaverit: Quisquis Cœlestium corporum splendorem, decorem, constantiam, conversiones, vices, harmoniam contemplatus fuerit: Quisquis in inferioribus tempestatum Varietates, viscerum terræ divitias, plantarum elegantias, animalium diversitates; idque cum tanta in singulis membrorum multitudine, symmetriâ, connexione, destinatione, admiratus fuerit: Quisquis, inquam, attenta mente ista consideraverit; is sanè nisi reclamante, & invita conscientia diffiteri non poterit, quin Numen sit, cujus sapientia, atque providentiâ hæc omnia perficiat. Et dicas omnia perfici natura; cum opera tamèn istius naturæ intelligentiam summam declarent, non tantum quòd elaborata solertissimè, sed etiam, quòd ad certos fines exquisitissimè collineent; cogèris tandem nomine Naturæ Deum profiteri, cujus ductu omnia peragantur. Dicere verò casu fieri, quæ tantam sapiunt prudentiam; id explosum jam sæpius est, nec refutationem amphorem meretur. Præclare enim Cicero: *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos Cæli motus, tam rarios Astroorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit, neque*

2. de nat.  
Deor.

*in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, qua quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut spheram, & horas, & alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis? Cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, constantissime consicentem vicissitudines anni versarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, divinæque ratione? Eiusdem sunt & verba illa: Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit; cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare; sed esse aliquem intelligat, qui praesit, & cui pareatur: multò magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentis sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos natura motus gubernari. Sed nihil est necesse congerere plura.*

Superest objecta diluamus, quorum duo capita sunt. Nam primum putat Epicurus eam esse Naturæ beatæ, immortalisque conditionem, ut non possit rerum curam gerere, quin negotiis implicita diversimodè perturbetur, & felicitatem immortalitatemque amittat. Sed nempe, Deum, cui tribuit formam, quem admodum ante est dictum, humanæ haud absumilem, facultate etiam humana meretur; cum necesse profectò sit, Naturam Divinam, quæ vel ex ejus confessione, præstantissima esse debet, superare nostram sua eminentia inexcogitabilibus intervallis. Quamobrem tenuis quidem homuncio, qui se multis rebus gerendis immiscet, laboris multum sustinet, quod neque valeat rerum omnium causas, eventa, connexiones, circumstantias cognoscere, neque omnia necessaria ad aggrediendum, promovendum, arcendum contraria, ad manum habere; neque ob contractam virtutem animi, corporis, ætatis, ad disponendum, exsequendum, perficiendum omnia satis esse; verumtamen Deus & scientissimus, & ditissimus, & potentissimus, & præsentissimus cum sit, minùs laborat in dirigendis ad suos fineis omnibus rebus, quàm laboret homo bene sanus in expirando halitu. Perperam porrò faciunt, qui divinam Essentiam ita in cœlo detinent, ut

hisce inferioribus non nisi per ministros adsit; siquidem tamen si ministris utatur, qui ex rebus à se productis, alias aliarum sineis constituit, aliàsque aliis inservire voluit; alienam tamen rem faciunt ab immensitate divina, cum ejus essentiam ita limitant, & absque ulla necessitate certæ Mundi parti præsentem non faciunt. Certè, ubi ex opposito concesserimus Deum esse præsentem omnibus rebus, non malè intelligimus, quomodo absque ullo negotio, ac citra omnem prorsus laborem, & intelligere omnia, & providere omnibus possit.

Addo, si ipsi homines maximopere delectantur, cum aliquid juxta virtutem à natura insitam agunt, consentaneum profectò esse, ut existimemus delectari Deum maxime, tantùm abest, ut perturbetur, cum juxta virtutem immensam, ac indefatigabilem providebit omnibus rebus. Quo loco duo esse videntur consideratu dignissima. Unum, ea, quæ viris ignavis, torpentibusque sunt laboriosa, videri plarumque facilia viris actuosis, & sedulis: Alterum, ea, quæ tyrones vexant, artium expertos etiam recreare: ex quo infero naturam Divinam, cum ex se summè activa sit; cum peritissima omnium rerum, non modò procurare omnia absque ulla molestia; sed incumbere etiam operi cum summa quadam voluptate. Addo rursus nullam videri majorem esse voluptatem, quam aliis prodesse, & quam licet plurimis benefacere; quocirca & fore in Deo voluptatem quammaximam, cum non paucis, non plurimis, sed omnibus omninò rebus proderit. atque benefaciet: ipse præsertim summè bonus, atque idcirco paratissimus, ut beneficentiam omnibus testetur; ipse bonorum inexhaustissimus, atque adeò non timens, ne ex profusione jacturam patiat. Denique, si ipse Sol potest ad ea omnia, quæ gignuntur, fiuntque in omnibus terris; absque labore, & tædio incessanter concurrere; quid nisi Sol invisibilis absque ullo molestiæ sensu curam habere omnium possit?

Quod autem objiciunt, rem esse Dei majestate indignam, ac fore, ut Deus polluat tam tristi, tamque multiplici ministerio; dicere deberent, rem esse splendore illo Solis indignam, & polui ipsum eo ministerio, quo cloacas illustrat, rubetas gignit, vermis fovet, similiaque id genus præstat. Sed nempè ista, quæ solent

solent nobis tanto esse despectui, non sunt vilia ipsi naturæ; non ipsi naturæ Authori, qui ea dignatur producere; non etiam vilia sibi ipsis, ut quæ perfectionem sortiantur suis congruam generibus; neque suam naturam aut amittere, aut commutare cum alia velint. Rursus & ista, quæ solent nobis tam esse multiplicia, pro una resunt & ipsi naturæ, & ejus Authori, qui æquè præsens est omnibus. Cogita, quàm facile sit animæ corpus vegetanti curam habere omnium, & singularum partium, minimarumque particularum, ex quibus illud contextitur. Cogita ut in animali curam gerat specialiter etiam singulorum ejus capillorum, quorum tot sunt myriades, & quorum tamen nullus est, cujus in distributione alimenti, fomentique obliviscatur; & ubi agnoveris ipsi tum facile esse, quàm unius omnium curam gerere; agnosces simul posse Deo tam facilem esse rerum omnium, etiam minimarum, quæ in Mundo sunt, quàm unius solùm providentiam.

Si nostra certè intelligentiâ prospiciendum esset tot rebus, quor non cogitantibus nobis anima ipsa prospicit, dum œconomiam corporis tuetur, non impares modò, sed & nulli prorsus essemus tanto ministerio. Cùm non sit verò fas, & æquum naturalem notitiam, & vim, qua pollet animi in sui administratione, æstimare ex modulo nostræ intelligentiæ, viriumque ipsi obsequentium; quanto est minùs æquum, & fas ex eadem ipsa æstimare super excellentem notitiam, & vim, qua Deus procurat Mundum? Heinc nihil mirum, si homines minima plæraque interdum non curent; nam vanitati quidem, ac fastui indignitatem vulgò prætexunt; sed prætexunt maximè quoque nativæ imbecillitati, quæ cùm non possint parvis simul, magnisque rebus incumbere, indignum censent magnas res parvarum studio præterire: cùm si possent istas curare absque illarum dispendio, nihil facerent sanè curando indignum. Quare & nihil indignum est, quòd curet Deus minima omnia; ut neque indignum animâ est, quòd minimos etiam capillos. Quin potius, ut animæ cura vel ex eo commendanda est, quòd ita circa pilos sit, ut ne minimum quidem cordi, hepatis, cerebro, cæterisque partibus desit; ita vel ex eo maximè elucet Dei providentiâ, quòd minimarum rerum ita sit,

ut

ut nihil minùs sit maximarum. Nihil necesse interim est ad ea speciatim respondere, quæ Lucianus, Lucretius, similesque Ethnici habent; cum ipsi de Iove, cæterisque Diis ex sensu Poëtarum, & vulgi loquantur; Deumque supponant, hominis instar, limitata notitia, potentia, præsentia, quali profectò non est verus Deus.

Ad id, quod secundò obijciunt, omnia sive casu, sive natura fieri, ac impulsione, tenorèmq; sequi, quem initio acceperint: Ut concedamus imprimis multa casu contingere; dicere nobis ad summum licet, ea respectu nostri casu evenire. at non respectu illius causæ, quæ potest disposuisse omnia. Nimia siquidem temeritas est, tanti facere nostram perspicaciam, ut nisi capiamus quorsùm hic concursus, potiusquàm alius efficiatur, censeamus statim aliquam superiorum causam non esse, quæ ita constituerit, cujusque consilia nos lateant. Quam multa casu evenire in Republica dixeris, quæ Principi tamen fortuita non sunt, quòd negotia sic temperarit, ut sic fieri debuerint? Nempe quia ignoras Principis consilia, quæ, si tibi perspecta forent, consultò facta diceres. Cur & in hac Mundi Republica tanta, in qua vides tam multa alia quam ordinatissimè fieri; non suspiceris esse Rectorem, cujus quoque ductu ea fiant, quorum tibi est incognita ratio? Sunt multa Monstra; sunt Tempestatum perturbatæ series; sunt Eclipses; sunt alia; at cur non saltem existimes ista facere ad decorem Mundi? An non quæcumque formosa sunt, appositione rerum deformium longè illustriora reddentur? Nisi existimas Comœdum debere solùm inducere viros sapientes, & principes; non etiam moriones, & servos in scenam? Nisi ineptum ducis Pictorem, qui coloribus illustrioribus obscuriores intermiscat. Sanè cujusque rei perito operis proprii perfectio, & condecoratio permittenda est, neque est illius, qui artem ignorat, præscribere quid venustatem, gratiamque præsertim conciliet.

Deinde posse res naturalis eum tenorem continuo sequi, quæ ab initio susceperint, confitendum equidem est; at profutendum simul est illum non casu, sed consilio sapientissimo fuisse institutù. Id jam antè instituimus. Repeto dütaxat, si ex horologio, si ex Archimedea sphaera, si ex aliis operibus, quorum sunt mirabiles motus, colligis ejusmodi

ejusmodi motus cœpisse non casu, sed juxta consilium, & industriam artificis; esse præter omnem rationem, ut systema ipsum Cœlorum, ut animalis cujusvis corpus, quæ sunt machinæ supra omnem fidem, atque proportionem admirabiliores, obire suos motus cœpisse non sapientia Opificis, sed temerario ductu Fortunæ. Quàm sanè est rationabilius, ex eo, quod hujusmodi rerum aded admirabilium series aded se constanter, & præclare habet, intelligere fuisse illi à causa sapientissima disponente factum initium. Et volunt accessum, & recessum maris, Euripum item, & alia, quorum motus certi, constantésque sunt, naturæ, non Deo tribuenda: At cum natura hæc cœperit; qui potuit ita incipere, nisi quapiam causa principium præbente? Nam si ipsa quidem natura temerè omnia ageret, tum posset fortassis illius initium referri ad casum: at cum omnia tanto consilio, tanta sapientia peragat; oportet sanè initium habeat à quadam consultissima atque sapientissima causa. Dicunt nihil opus Imperatore, si militum quisque stationem, atque ordinem moverit: sed debent nempe milites eruditi, non rudes esse. Quomodo verò partes Mundi stationem, ordinemque tenebunt, si sine fungentur muneribus, si rudes fuerint, non eruditæ? Et, si sunt aded eruditæ, ut unaquæque sapientiam Imperatoris suppleat; quomodo poterunt à stulta fortuna, aut ab insipiente casu eruditi? Idem dicendum est de aquis, & lapidibus, quibus si velint esse ingenium, quo artificum vices suppleant; dicant simul oportet causam, quæ id ingenium præbeat, esse ipsam summo ingenio pollentem.

Quod superest: verum est quidem, posse Physiologiam, contemplationemve causarum naturalium liberare mentem à terroribus, quos superstitio ingerit: verum quoque est circa Fulmen, & alia id genus eventa, non esse consulendos Hæruscorum, plensque alios quisquiliarum libros; sed hoc non obstat, quin debeamus aliquam ut primam, sic supremam causam religiosè agnoscere, à qua series earum causarum, quas per Physiologiam investigamus, dependeat. Quippe qui illam non agnoscit, is non Dominum excutit superbum, sed averfatur optimum Parentem, cujus respectu animus fit non formidine humilis, sed reverentiâ, fiduciæ plenus. Quin etiam, licet imperium, regnumque Deo

T

conceda-

concedatur; non idèd pernegantur causæ, quas ille esse voluit, quasque agere suas vices finit. Nimirùm generalis est ipsius providentia, & quem naturæ cursum instituit, servari continud permittit. Ex quo fit, ut quando aut fulmen, aut alius effectus mirabilis conspicitur; non idcirco statim accersatur Deus, quasi ipse solus ejus causa sit, neque naturalis ulla interveniat; sed ipse quidem supponatur generalis & illius & cæterorum omnium causa; interim autem præter ipsam, requiratur particularis, quam nosse sit operæ-premium, & quæ non inventa non censeatur nulla, sed censeatur nostram solertiam, & perspicacitatem latere. De Fulmine quæ adjiciuntur, ex his ipsis solvenda sunt. Scilicet causæ fulminis comprehenduntur intra seriem causarum naturalium, quas Deus permittit suas agere vices, & quibus nullam violentiam, ut naturæ ordo invertatur, infert. At, inquires, quomobrem initio non eam seriem Deus instituit, non eum præscripsit ordinem, juxta quem non contingeret, ut fulmen nocentis præterfugeret, infontis feriret? Dicendum fuisse Deo sineis, de quibus paulò post dicitur circa specialem providentiam; addendumque heic, nisi illi perspecti ut plurimùm sint, non tamen esse nullos censendos; cùm temeritas ingens sit præsumere nosse se omnia, quæ in Thesauro, seu in arcanis divinæ sapientiæ conduntur. Quæ eadem dicenda sunt circa id, quod objicitur de fulmine res sacras feriente. Id levius, quod fulmen plerumque deserta loca impetit; quoniam institutum est fulmen, non ut homines solùm terreat, sed ut suum inter naturæ effectus locum teneat; tenet autem quocumque versus prorumpere ipsum contingat. Ita nihil mirum, si nunquam sine nubibus fulminet; cùm Deus se solo fulmen non paret, & ex naturæ ordine, quem instituit, sit, ut fulmen ex nube oriatur.

C A P V T

## CAPUT III.

*De Divina in Universo Natura.*

**C**Æterum, priusquàm dicatur de rebus, quæ in Universo generantur, & corrumpuntur; deque Principiis, ex quibus fiunt; meritò præmittenda est, & quasi habenda præter ordinem, quæ est de Natura Divina tractatio, tum ob summam ejus naturæ præstantiam; tum quod tamen ex genere corporeæ naturæ sit, non tamen tam corpus, quam quasi corpus sit, nihilque adeò commune habeat cum cæteris corporibus, hoc est, caducis, seu orientibus, atque intereuntibus rebus.

Cùm verò illud primùm requiri de Natura Divina soleat, aliquane in Universo sit, videtur tamen res non debere profus verti in controversiam; quòd Deorum notionem in Animis impresserit ipsa Natura. Quæ est enim omninò gens, aut quodnam genus Hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem aliquam Deorum?

Quamobrem cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus, intelligi necesse est, esse Deos; quoniam infinitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus: de quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos confirmandum est.

Ac videri quidem possunt Homines, cùm cernerent Cæli rationes, & varia annorum tempora verti, redirèque certo ordine; neque possent, quibus id causis efficeretur, cognoscere; id sibi perfugium habuisse, ut Diis omnia tribuerent, facerentque eorum nutu omnia flecti; ac simul in Cælo ipsos collocarent, quòd revolvi in Cælo Solem, Lunam, ac Stellam conspicerent: at quomodo ista Diis attribuissent, nisi prius esse Deos cognovissent?

An ergo potius Deorum notitiam hauserunt ex somniorum visis? Potuerunt certè magnis quibusdam & humanâ formâ incur-



rentibus per somnium Imaginibus, existimare esse reverâ aliquos hujusmodi humanâ formâ præditos Deos. Potuerunt, inquam, dum non tam in somnis, quàm cum inter vigilandum meminissent, apparuisse sibi in somnis præclaras illas Imagines, aded grandeis, aded tenuis, aded cohærentis, intelligere, nihil repugnare, imò oportere, ut exstarent alicubi consimiles ipsis naturæ, quæ & sensus, seu intelligentiæ capaces forent, propterea, quòd membra movere, vocesque mittere cernebant; & immortales essent, propterea quòd illarum semper suppeditaretur facies, quòd forma maneret, quòd eâ granditate foret, ut non temere ulla vi convinci posse viderentur : & beatæ prætereà, quòd neque mortem metuerent, neque ullum ex iis, quæ efficerent, caperent laborem.

Potuerit & ratiocinando, illa *ισονομία* seu *æquali tributione* uti, quâ, de Criteriis cum ageremus, effici diximus, si Mortalium tanta multitudo sit, esse Immortalium non minorem; & si quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quæ conservent, infinita esse debere.

Utrumque fuerit, illud certè ex Anticipatione habemus, ut Deos beatos, & immortales putemus. Quæ enim nobis natura informationem Deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in Mentibus, ut eos beatos, & æternos haberemus. Quod si ita est, verè exposita est nostra illa sententia, quod æternum beatumque sit, id nec haberi negotij quicquam, nec exhibere alteri. Itaque neque gratiâ neque irâ teneri; quòd quæ talia sint, imbecilla sint omnia.

Ac, si nihil quidem aliud quæreremus, quàm ut Deos piè coleremus, & ut superstitione liberaremur, satis esset dictum: nam & præstans Deorum natura Hominum pietate coleretur, cum & æterna esset, & beatissima; habet enim venerationem justam quicquid excellit; & metus omnis à vi atque ira Deorum pulsus esset; intelligitur enim à beata, immortalique natura, & iram & gratiam segregari, quibus remoris, nullos, à superis impendere metus: sed at hanc confirmandam opinionem, inquirat Animus & formam, & vitam, & actionem Mentis, atque agitionem in Deo.

Ac

Ac de Forma quidem, partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam à natura, habemus omnes omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam Deorum. Quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti; sed ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. Nam, cum præstantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eandem esse pulcherrimam; quæ compositio membrorum, quæ confirmatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humana potest esse pulchrior?

Quod si omnium Animantium formam vincit Hominum figura, Deus autem animans est, ea figura profectò est, quæ pulcherrima sit omnium. Quoniamque Deos beatissimos esse constat; beatus autem esse sine virtute nemo potest; nec virtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in Hominis figura: Hominis esse specie Deos confitendum est.

An verò cum Deos esse Hominis, animantisque specie dico, tale ipsis propterea, quale vulgo est Hominum, animantiumque corpus tribuo; id sanè ablit. Etenim non est quidem Deus res, ut Plato voluit merè incorporea, quoniam id quale esse possit intelligi non potest: careat enim sensu necesse est, careat prudentia, careat voluptate; quæ omnia unà cum Deorum notione comprehendimus: non ideo tamen crassum corpus est, imò neque etiam quàm potest subtilissimum ex Atomis coagmentari, sed omninò est corpus sui generis, quod sanè non Sensu, sed Mente cernatur; nec soliditate quadam, nec ad numerum; sed imaginibus, similitudine, & transitione perceptis, quòdque comparatum ad ea, quæ vulgò occurrunt, appellanturque corpora, dici possit, esse non corpus, sed, quod jam dixi, quasi corpus, &, v. c. non sanguinem, sed quasi sanguinem habere.

Obiter interim insinuo, non esse hoc qualecumque corpus coagmentatum ex Atomis; quoniam sempiternum alioquin non foret, & ex ipso ortu consequeretur interitus, ex concretionem dissipatio, sicque non esset sempiternum. Adèd proinde, ut quatuor quædam habenda æterna incorruptaque sint, nempe *Uni-*

*versum*, cui nullus locus in quem dilabi valeat, subfit; *Inanè*, quod nec tangi valeat, nec plagam ullam accipere; *Materies rerum*, quæ nisi immutata subsisteret, ea, quæ dissolvuntur, in nihilum abirent; ac tandem *Natura Divina*, quæ & inconcreta est, & ob tenuitatem attingi, plagamque accipere non potest.

Quo fit, ut *Phyficorum* quispiam maximo in errore versetur, cum eam dicit *Deorum naturam*, quæ imagines fundat, mittatque ex se. Quippe hoc modo deripi ex illa aliquid sic posset, ut admitteretur exsolubilis: Nonnulli verò perperam *Mentem* nostram interpretentur, dum ex eo, quod plureis admittemus *Mundos*, ac dari proinde *Intermundia*, hoc est, intervalla inter *Mundos* dicimus, ajunt *Deos* à nobis metu ruinarum collocari in *Intermundiis*. Siquidem, ut ipsum *Inane*, sic *Deorum natura* longè est tenuior, quàm ut aliquid metuat ruinarum à corporibus; à quibus si metueret, in nullo magis loco quam in *Intermundiis*, tum cum futurum esset, ut *Mundi* dissolverentur, metuendum foret.

Ac designare quidem non licet, quibus in locis *Dij* degant; cum ne noster quidem hic *Mundus* digna illorum sedes sit: sed dicere tamen universè licet, qualem *Poëtæ* *Olympum* describunt, taleis esse ubicumque sint, beatas *Deorum*, quietasque sedeis,

*Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis  
Aspergunt, neque nix, acri concreta pruina  
Cana cadens violat, semperque innubilus æther  
Insegit, & largè diffuso lumine ridet.*

Heinc, cum præterea requiritur quænam vita *Deorum* sit? quæque ab iis degatur ætas; respondere licet, eam sanè, quâ nihil beatius, nihil omninò bonis omnibus affluentius excogitari possit. Nihil enim agit *Deus*, nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur, sua sapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc *Deum* ritè beatum dixerimus; qui beatam vitam in *Animi* securitate; & in omnium vacatione munerum ponimus: non verò qualem alij describunt, qui laboriosissimum

num inducentes, implicant ipsum operosis, molestisque negotiis.

## P E T R I G A S S E N D I

### ANIMADVERSIO.

#### *Cujusmodi sint quas in Deo intelligimus Perfectiones.*

SEquitur jam, ut propter illas, quas Epicurus Deo tribuit Immortalitatis, ac Beatitudinis perfectiones, quidpiam tum de his, tum etiam de aliis, quæ & lumine naturæ innotescunt, & quadamtenus etiam ex illius mente attribui possunt, subtexamus. Nempe, cum ex hætenus dictis habeamus Deum esse substantiam quandam incorpoream, nullâque formâ præditam, qualem, cum de Deo cogitamus, imaginari humanum est; consentaneum est dici aliquid de hujusce Substantiæ veluti Coniunctis, Proprietatibusve, quæ & Attributa dici passim solent, & hæc à nobis nomine Perfectionum intelliguntur. Cum verò, ut ex iis, quæ primo loco sunt disputata, videri possit factum satis ad quæstionem, An Deus sit ex iis, quæ deinceps ad quæstionem, Quid sit: ita videatur factum iri ex iis, quæ subjienda sunt ad quæstionem, Qualis sit: Repetendum profectò est, dici nihil posse à nobis, quod Deum, qualis in se est, repræsentare animo possit. Scilicet Dei perfectiones cognoscere non possumus nisi ex quadam analogia, seu comparatione ad eas, quæ sunt observatæ in cæteris rebus; quare & longè abesse nos, ut taleis vel intelligamus, vel Deo tribuamus, quales in eo sunt; & non potius qualeis imbecilla mens summo suo conatu attingere potest. Sufficit interea, ut propriam agnoscentes infirmitatem, & testemur esse præterea in Deo perfectiones alias, quas ne subodoremur quidem; & profiteamur istas, quas ipsi tribuimus, tantâ in eo esse eminentiâ, ut quicquid præclarum de iis capimus, sit longè, quàm vel

Atomus

Atomus ad Universum comparata, minus. Ita profectò intelligemus, & quicquid perfectionis observamus in rebus, posse Deo attribui; & interim tamen detrahi debere, ut jam quoque attingimus, quicquid umbram, suspicionemve imperfectionis invenire potest. Siquidem neque potest satis perfectionis illi attribui, qui inexhaustum est pelagus, à quo perfectio omnis dimanat; neque satis imperfectionis illi adimi, aut de eo negari, in quo nulla est imperfectio.

Cæterum, ne velle videamur congerere huc illa omnia, quæ dici de Dei attributis possunt, illa Theologis sic relinquimus, ut delibemus ea dumtaxat, quæ Philosophos, & ne ipsum quidem Epicurum, planè latuerunt. Ac de Æternitate quidem, ac Felicitate amplam fidem faciant tum locus antè recitatus ex Epistola ad Pytoclem, tum Epistola ad Herodotum, tum Ratæ Sententiarum, tum loca passim alia, quibus accedit illud Velleij, dum, *qua natura, inquit, nobis informationem Deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aternos, & beatos haberemus*; itemque illud Lucretij:

lib. 1.

*Omnis enim per se Divum natura necesse est  
Immortali ævo summa cum pace fruatur.*

Et quamvis nonnulli affectaverint Epicuri mentem pravè interpretari; audi nihilominus Cottam, qui relata illa ex Ratis Sententiis, *Quod beatum, & immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium*, subjungit: *In hac ita exposita sententia sunt, qui existiment quod ille inscientia planè loquendi fecerit, fecisse consultò. De homine minime vafro malè existimant. Dubium est enim utrum aliquid dicat iste beatum, id esse immortale; an si quid sit beatum, id esse immortale. Non animadvertunt heic eum ambigüè loquutum esse: sed multis aliis locis & illum, & Metrodorum tam apertè, quam paulò ante te (Velleium alloquitur) ille verò Deos esse putat. Quamquam & cedò, num sententia ita ambigüè proposita sit, ut referenda etiam videatur ad loquendi inscientiam; ac num Cotta sibi ipse constet, qui superius contenderit Epicurum Deos sustulisse? Quod attinet verò ad alia, quæ Epicurus etiam competere Deo ex anticipatione agnovit, & de quibus priore loco dicendum nobis aliquid est; innuimus jam illum (aut Velleium mavis) Platoni obicere,*

obicere, esse necesse ex ejus mente, *careat Deus sensu, careat prudentia, careat voluptate; quæ omnia, inquit, unà cum Deorum notione comprehendimus.* Ex quo fit, ut quicquid sit de sensu (qui univèrse pro cognitione, aut scientia potest accipi) saltem in Deo, ex Epicuro admittatur Prudentia, seu (ut aliàs vocat) Sapientia, & Virtus, atq; adèd Intelligentia; sitque proinde Deus Substantia, naturave, ut prudens, sic intelligens. Innuimus quoque Epicurum aliquam in Deo, naturave Divina infinitatem agnovisse, juxta *ισονομίαν*, seu *æquilibrium*, ex qua illud efficitur, inquit Vellejus, *si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem; & si qua interimant, innumera-bilia sunt, ea, quæ conservent, infinita esse debere.* Vnde elicitur, peccasse quidem Epicurum, cum Divinam infinitatem ad multitudinem potius, quàm ad magnitudinem retulit; sed interim tamen ipsum aliquam agnovisse infinitatem. Quo præterea loco notabilis est vox illa, *conservent*: siquidem potest ex illa argui, spectare quoq; ad notionem seu anticipationem Dei, tum rerum Providentiam, tum Potentiam, seu vim agendi. Vt cumque sit; videmur nos saltem posse Deum considerare: tum quatenus Substantia est, tum quatenus Intelligens est. Et quatenus quidem Substantia est, videtur posse & provt in se, & provt in loco, & provt in tempore (quantum capimus) coherere, spectari. Ex hoc nempe fit ut intelligatur, quomodo coherens per se, seu ratione sui, non possit esse nisi Unus; ratione loci, nisi Immenus; ratione temporis, nisi Æternus. Quatenus verò Intelligens est, videtur posse attendi & ratione eorum, quæ univèrse intelligit; & ratione eorum, quæ intellecta facere potest; & ratione modi, quo intelligendo facit; & ratione voluptatis, quæ ex intelligentia consequitur. Ex his quippe fit ut primum Omniscius, tum Omnipotens; ad-hæc Optimus, Liberrimus, Sapientissimus; tandem & Beatissimus concipiatur.

Non esse porro Deum nisi Unum, ex eo probatur, quòd si divina Substantia multiplicaretur, multiplex-ve esset in multis individuis; hoc ipsum in ea maximum imperfectionis argumentum foret. Quippe individuum multitudo non reperitur, nisi in rebus, quæ sunt corruptioni obnoxia, quæ que ipsa intereunt, & partem sui quamdam, hoc est semen prius amittunt; ut fiat propagatio, genusque ipsum constare possit. Aliunde verò individua, ob indigentiam

multam sunt multas; societasque omnis eò tendit ut quod uni deest, conferatur à cæteris. Ac præterea, tametsi omnia æqualia esse dederimus, non potest non esse unumque singulare imbecillum, ut pote cui desit quicquid virium reperitur in cæteris; & tanto magis, si illa fuerint innumera, aut infinita; quoniam quò plurium aggeries sit, eò excessus magis excrefcit. Cæterum repugnat communi notitiæ, ut vel in eum cadat corruptio, in quem non cadit etiam generatio, quicquid habeatur in fabulis; vel Deus ulla re indigeat, qui sufficientissimus sibi esse debeat, vel imbecillitate laboret, cujus vi non possit ulla major excogitari. Quamobrem Vnus sit oportet, neque socios habeat, quos si habeat, Deus non sit. Idque potest vel eo præsertim argumento confirmari, quo Aristoteles adductus laudavit illud Homericum,

*Maud bene præfuerint multi: Rex vnicus esto.*

Et. met.  
lib. II. ad. β

Videlicet Mundus, qui ex antè dictis sine vi regente non est, moderatores non patitur plureis, ut neque exercitus plureis Imperatores patitur: Et cum manifesta experientia sit omnem supremam potestatem esse consortis impatientem, docet aliunde ratio omnem legitimum ordinem aut ab uno esse, aut ad unum referri. Confirmatur rursus ex consensu omnium communissimo, ac potissimum Virorum sapientum. Nam ut Sibyllas præteream, ex quibus sunt quædam apud Lactantium, εἰς θεοῦ, ὁς μόνος ἐστὶν Vnus, qui solus Deus est, &c. Itèmq; Poëtas, ut Orpheum, apud Clementem Alexandrium, & Sophoclem, cujus est illud.

lib. I.

In præ-  
cept.

*Vnus profecto verus est unus Deus:*

Ecce ipsi Philosophi, tametsi per sæpe abrepti populari loquendi modo Deos dixerunt, unicum tamen Deum agnoverunt. Ac imprimis Pythagoras, omnèsque ejus Sectatores, qui propterea Deum designarunt Vnitatis nomine, veluti Binarij nomine materiam, ut ante memoravimus. Itèmq; Plato, omnèsque Platonici, ac Plotinus imprimis, qui cum plureis Deos posuerat, ministros solum intellexerunt, quorum unicus esset Princeps, aliorumque Author, hoc est verus Deus. Ac rursus Aristoteles, & cum illo omnes Peripatetici, quorum de uno primo Motore, seu Principe Deo argumentatio celebris est. Zeno præterea, Stoicique quibus solemne maxime fuit ad vnum Iovem omnia referre. Denique Cicero, Plutar-  
chus,

ehus, omnesque alij magni viri, qui licet, ut ait Varro apud D. Augustinum, nominarunt Deos, Deasque plureis, omnes tamen in uno Iove comprehensos esse voluerunt, cujus illi, illæque, facultates, & munera essent. Huc spectat, quod Iustinus Martyr, & Macrobius, citantes illud ex Orpheo,

*Jupiter, & Pluto, Phœbus, Dionysius, unum est;*

ostendunt Ethnicos sub nominibus Deorum variis, unicum Numen intellexisse. Unde est & illud ex Sorano decantatum,

*Jupiter omnipotens, Regum Rex ipse, Deusque,*

*Progenitor, Genitrixque Deum, Deus unus, & omnes.*

*in Parast.  
I. Saturn.  
17.*

Neque obstat, quod Epicurus visus sit non posse intelligere quomodo summa beatitudo consistere posset cum solitudine maxima: causa enim fuit quia Deum non habuit ut Oceanum bonorum omnium inexhaustum, cum homines tamen habuerit quasi rivulos, qui inarescant facile, nisi flumini confociantur. Ea propter enim homines solitudinem impatienter ferunt, quod bonis externis indigeant, sed Deus secus, qui habet in se quicquid bonorum expectari potest, ac est aliunde ipse sibi non instar duorum, non plurium, sed infinitorum, cum sit infinitus.

Non posse porro esse Deum, nisi Infinitum, prorsusque immensum, ex eo probatur, quod si divina Substantia limites aliquos haberet, eo ipso imperfecta esset; quoniam quantumvis ingens foret, finibus tamen concluderetur; haberi posset pro nihilo, comparatione infinitatis; infinita foret varietas locorum, in quibus agere nihil posset; in quibus quid vel ageretur, vel non ageretur, nesciret; cohiberetur quasi vi quadam, ne sese ultra protenderet, cum et si vellet, non tamen posset. Et si hanc quidem necessitatem cum limitatione accepisset ab alio, eo casu non ipse accipiens, sed ipsum imponens necessitatem, foret Deus: sin à seipso, aut impotens fuisset, tanquam sibi dare non valens majus aliquid; aut ineptus, tanquam non dans id, quod per eum staret, quò minus haberet. Itaque cum ista repugnent, necesse est Deum & limitatione carere, & esse proinde immensum, atque Infinitum. Nam & quod Epicurus visus est non potuisse capere quomodo actio ulla competat infinitæ Substantiæ, quod omnis actio cum motu sit, & quod est Infinitum moveri non possit, causa fuit, quia non concepit Deum, ut puram mentem, quæ agere posset immota, & cum ubique fuerit, possit ubivis



vbiſvis quidpiam moliri. Ac ſolet quidem Immenſitas, ſive Infini-  
tudo Dei concipi à nobis ex comparatione ad locum, qui ſit ipſe  
quoque ſuo modo immenſus; ſed intelligendum eſt tamen ipſam  
divinam Subſtantiam, ſive; vt loquuntur, Eſſentiam, ſpecialis eſſe  
immenſitatis, ſine relatione ad locum. Nempe vt albedo, dulcedo,  
& ſimilia non meſurantur ratione loci, in quo ſunt, ſed ratione  
graduum ex quibus conſtant; ita divina Subſtantia immenſa eſt,  
non ratione loci; qui immenſus ſit, ſed ratione graduum veluti  
quorundam (ſi dari ſic liceat) qui ſint infiniti. Ex quo ſit, vt tamet-  
ſi Deus dicatur eſſe Vbiſque, ſeu in omni loco, dicatur tamen ma-  
gis propriè eſſe in ſeipſo; cum illa veluti diffuſio, quã omni loco  
præſens ſit, ſit tantum quidpiam conſequens ad illam velut diffu-  
ſionem, quam habet priùs in ſeipſo. Heinc laudari ſolent illa  
carmina:

*Dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet;*

*Tunc, vbi nunc; in ſe; quoniam ſibi ſufficit ipſe.*

Cum porro, ex alibi dictis, videatur locus nihil eſſe aliud; quàm  
ſpatium, quod ſi occupatum quidem à corpore ſit, dicatur plenum;  
ſi inoccupatum, dicatur Inane; & Deus poſſit quidpiam moliri non  
modò in pleno, vt jam intra Mundum, ſed etiam in vacuo, vt ſi  
alium Mundum extra iſtum condar, aut poſt evacuatam intra Mun-  
dem regionem Elementarem, Terram denuò in illa creet, non  
apparet cauſa, quare quidam negent eſſe Deum in ſpatiis illis vltra  
Mundum, aut futurum in eo Inani, quod intra Mundum fecerit.  
Quippe mens non capit agere Deum, vbi non ſit, aut eſſe vbiſque; ſi  
monſtrari poſſit quoddam interſtitium, in quo non eſſe perhibea-  
tur; vt caſu expoſito foret, quod eſſet inter Cælum, Terramque re-  
lictum inane. Dicere enim Vbi aut Vbiſque intelligi ſolùm de loco  
reali, aut pleno, præter communem notionem eſt; quando eodem  
caſu, & ante reſtitutam Terram quæri poſſet, ac demonſtrari vbi  
Terra præexiſtiſſet; concipiturque poſſe etiam-num aliquid vbi-  
que per illa vltra-mundana ſpatia creari; quod eſt fuſius ſuprà de-  
ductum. Non capit mens rursùs, qua ratione Deus ſic dicatur mag-  
nus, vt magnitudinis eius non ſit ſinis, ſi vel ſit duntaxat in cælo; vt  
viſum eſt aliquibus; ita enim limitaretur non modò extroſum,  
ſed etiam introrſum; poſſetque quædam cavitas, aut inanitas in eo  
concipi:

concipi: vel sit etiam in toto quidem Mundo, sed non tamen exte-  
rius, vt esse censuerunt, qui dixerunt esse Mundi formam, seu ani-  
mam; ita enim foret quasi conglobatus, & circumquaque velut  
refectus, ac (vt visum est objici) efficeretur rotundus Deus. Non  
capit demum, si Deus extra Mundum non sit, & non concipiatur  
proinde tanquam major Mundo, qui fieri possit, vt dicatur id, quo  
excogitari majus nihil possit; cum possit nempe aliquid majus cogi-  
tari, quàm Mundus; spatium scil. quod est extra Mundum. Quan-  
quam & non tam dicendum videtur, esse Deum aliquid, quo co-  
gitari majus nihil potest; quàm esse majus aliquid quàm cogitari  
vnquam possit, juxta id quod Poëta præclare,

Ovid.

*Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,*

*Non sit us inferias, suppositumque Deo.*

Apparet proinde ex his Epicurum tantò fecisse absurdius, quantò  
Deum humanâ formâ circumscribens, fecit proinde limitationem.  
Quodd si requiras, vbi-nam Deos illos suos constitutos putaverit?  
Respondet Alexander, fecisse *ἐκτὸς τῆ κοσμοῦ ὄντως*, extra Mundum  
degentis, vt scilicet forer, quod Lucretius ait, Natura divina,

lib. defa-  
to.

*Semota à nostris rebus, se junctaque longè:*

lib. r.

idque ad degendum beatius. Quasi verò, si agnovisset naturam  
divinam esse mentem puram, agniturus non fuisset posse illam abs-  
que molestiâ toti rerum Summæ præesse, quodd suo jam loco  
ostensum est? Addit Lucretius aliam rationem, quodd scilicet Mun-  
dus sit nimis corporeus, atque idcirco incapax, qui præclaram adeò  
naturam contineat:

*Illud item non est, vt possis credere sedes.*

lib. 5.

*Esse Deum sanctus in Mundi partibus ullis.*

*Tenuis enim natura Deum, longèque remoto.*

*Sensibus à nostris, animi vix mente videtur:*

*Qua quoniam manuum tactum suffugit, & ictum,*

*Tactile nil nobis quod sit, consingere debet:*

*Tangere enim non quis, quod tangi non licet ipsum.*

*Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse.*

*Dissimiles debent; tenues pro corpore eorum.*

Quasi verò, si agnovisset naturam divinam esse omninò incorpore-  
am, agniturus quoq; non fuisset posse eam perinde degere cum cor-  
poribus,

poribus, ac si corpora nulla essent? Prætereo autem quod fuit Epicuro quasi jocando obiectum, quòd Deos extra Mundum ablegant, collocaret in Intermundiis ut superius retulimus, tamen ille nihil de loco definiens, talem dumtaxat habuit, in quo nihil posset esse turbarum, ut & dicitur paulò post.

Interea, cum ista improbanda sint, id saltem laudandum, quod Deum, non nisi Immortalem, Æternumque, seu expertem ortus, interitusque intellexit. Profectò, eadem non fuit partim oratio, partim ratio cæterorum Philosophorum. Siquidem, ut illos præteream, qui Poëtarum Deos admiscerunt (ecquis autem eos non citavit, qui apud Homerum, Hesiodum, cæterosque descripti extant?) cum tamen & Euhemerus, & qui ipsum est interpretatus Ennius, illorum omnium nataleis, conjugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulturas, simulacra demonstraverint, ut à Cicerone, Lactantio, aliisque proditum est: Et Atlantij apud Diodorum, alique etiam populi, gloriari non erubuerint fuisse Deos apud se natos. Ut illos proinde, qui sequuti vulgus, non repudiaverunt Deos ex hominibus assumptos; seu illi urbium conditores, ac Reges quidam optimi fuerint, seu inventis suis, aut alia ratione hominibus benefecerunt. Quippe, *hic est vetustissimus*, ut loquitur Plinius, *referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales Numinibus adscribantur*. Ut illos rursus, quorum opinio est (hanc Anaximandro apud Ciceronem Vellejus attribuit) *Nativas esse Deos, longis intervallis orienteis, occidentesque*: Quod & accepisse Stoici videntur, cum fecere apud Plutarchum Deos ut nascentes, sic morientes cum ipso Mundo, ne illud Plinij commemorem, quod causatur quosdam *ovo genitos, & alternis diebus viventes, occidentesque*. Ut illos demum, qui cum fecerint unum Deum Principem, feriem quoque admiserunt minorum Deorum, qui geniti ab illo fuerint, veluti Plato, dum comprobare Hesiodicam, & à Lino usque cœptam *θεογονίαν* videtur. Ut illos, inquam omnes præteream, ecce, qui sanctissime omnium philosophati fuisse videntur, cum eo pervenissent, ut unum Deum admitterent, illum quidem ab alio, sed non à seipso infectum voluerunt.

Videtur ab hac opinione non recessisse Lactantius, cuius verba sunt: *Cum ad illum (Parentem Deum) mentis humanæ intentio, & acumen,*

1. de nat.  
Deor.  
de ira  
Dii, II.  
Enseb. 2.  
prop.

lib. 2.  
cap. 7.  
1. de na-  
Deor.

de orac.  
des. & ad  
Stois. loc.  
cit.

ip. Tim.

lib. 1.  
sup. 7.

men, & memoria pervenerit, quasi subdactis, & consumptis omnibus viis, subsistit, hæret, desinit, nec est aliquid ulterius, quo progredi possit. Verùm quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cæperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus. Citat proinde Apollinem à quo Deus *αὐτοφύης*, ex se natus, Sibyllam, à qua *αὐτοφύης*, ex se genitus dictus fuerit (citârat antea Orpheum, qui *πρωτόγονον* primogenitum appellârat Deum) citat & acutum virum Senecam, qui in Exhortationibus, Nos inquit, aliunde pendemus: itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis animam debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit. Citare vero & nos possemus Plotinum, nonnullosque alios, verumtamen vnus Aristides sufficiat, dum oratione, aliàs eleganti, rem in hunc modum edisserit: Iupiter fecit omnia, & à Iove facta sunt omnia, fluvij, terra, mare, & calum, & quacumque vel inter hæc, vel supra, vel infra eadem existunt; & Dii, & homines, & quacumque animata sunt, quæque vel visu, vel intellectu percipiuntur. Primus autem ipse se creavit; nec in odoratis Creta antris fuit educatus; neque illum vel devorare voluit Saturnus, vel pro ipso lapidem deglutiit, neque unquam vel periclitatus est Iupiter, vel periclitabitur, neque est quidquam Iove antiquius, sicut nec filij parentes, nec opera opifices possunt aate precedere, sed ipse primus est, & antiquissimus, & omnium Princeps, ipse ex se factus. Quando autem creatus fuerit, nemo potest dicere, cum & fuerit ab initio, & semper in posterum sit futurus, ipse sibi pater, & major, quam ut ab alio creari potuerit. Sicut enim Mineram ex capite suo procreavit, nec ad id nuptiis opus ei fuit, sic dudum ante ipse se ex se creaverat, alterius opera non indigens, ut fieret, sed contra ab ipso omnia fieri, & esse cæperunt, nec licet ab iis tempus ipsum excipere, cum tunc nondum fuerit, nec dum aliud quidquam. Nullum enim potest authore suo opus esse antiquius. Hæc ille. Quæ commemoro, ut intelligas, ne hanc quidem ex seipso Dei procreationem ab Epicuro probatam fuisse.

Probavit ergo potius ex ipsa anticipatione Deum ita esse Æternum, ut quemadmodum nunquam desinet, sic neq; unquam cæperit, & quemadmodum neq; ab alio, neque à seipso interimeretur, sic neque ab alio, neq; à seipso fuerit genitus. Et, si ab alio certè foret, ab eo dependeret, sicque non iple, sed Author potius exiit mandus esset Deus. A seipso autem qui fieri potuerit? cum ut fieret, deberet

cap. 5.

Eno. lib. 8.  
c. 15.  
Orat. 1.

deberet non fuisse, vt faceret, deberet fuisse, quæ manifestè pugnantia sunt. Dicere autem non tam factum fuisse, quàm sponte quasi quâdam prodiisse, videtur nimis incongruum, cum neq; dici possit vnde, aut ex quonam emerferit, vti objectum Hesiodo est ab Epicuro circa ipsum chaos, neque possit concipi quomodo hæc emissio, ac veluti nativitas non sit referenda ad casum, neque caveri, quin admittatur fuisse aliquid & ex nihilo, & à nulla causâ. Itaque repugnat quacumque ratione, vt Deus ortum habuerit, estque id conforme notioni immensitatis, seu infinitatis ipsius, ratione cuius cum Immutabilis sit, abest profectò, vt mutari, hoc est, transire vlllo modo ex non esse, vt aiunt, ad esse, vt neque ab esse, ad non-esse, possit. Ex quo fit, ut ipse sit sibi sua existendi necessitas, & quemadmodum jam necessariò est, ita necessariò semper fuerit, & necessariò semper sit futurus. Dicitur exinde solet Actus purus, quatenus actu semper fuit, neque vllum vnquam fuit tempus, in quo potestate solum fuerit, quasi non re ipsa existens, sed existere solum valens, & quatenus actu jam est, actumq; semper futurus est, neque potestatem vllam in se habet, quâ aliquando actu non sit. Neque id modò, sed & quæcumq; perfectio in eo unquâ fuit, ea jam actu perseverat, ac incessanter perseverabit; & quæcumq; in eo unquam erit, ea actu jam est, & nunquam non fuit, & quæcumque jam est, ea actu semper fuit, & actu semper erit. Vnde & quia neque de divina Substantia, neque de vlla eius perfectione dici potest, quòd fuerit, quasi jam amplius non sit, aut futura sit, quasi nondum sit; patet, quàm magis congrua, appositaque loquutio sit, vt dicatur *Est*, quatenus semper eadem, invariataque perseverat. Sed hac de re superius plura, vbi & declaravimus quemadmodum cum Æternitas definitur possessio vitæ interminabilis, quæ sit perfecta, & *Tota simul*, extrema isthæc particula esse videatur intelligenda non tam de duratione abstractè spectata, quàm de ipsa re æternum durante, divinâ scilicet Substantiâ, quæ successivè nihil habeat, nihilve acquirat, aut amittat procedente tempore, sed quovis tempore simul habeat quicquid quovis alio aut habuit, aut est habitura,

r. dena.  
Deor.

Dubium solum hoc loco est, quomodo ex Epicuri mente Divina substantia esse possit immortalis, incorruptibilis, ac æterna. Ecce enim Cotta, *Deorum natura quaeritur*, inquit, *sint sane ex atomis, non*

igitur.

igitur æterni. Quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit, necesse est. Si nati; nulli Dij, antequam nati. Et, si ortus est Deorum, inseritus sit necesse est. At statim: Vbi igitur vestrum illud beatum; & æternum? Veruntamen propter illud ejusdem Cottæ: Dum individuorum corporum concretionem fugit (Epicurus) ne interitus, & dissipatio consequatur, negat esse corpus Deorum, sed tanquam corpus, nec sanguinem, sed tanquam sanguinem: Propter id, inquam, videtur prorsus Epicurus censuisse Deorum esse corpus sui generis, aliud videlicet ab iis, quæ sunt ex Atomis concreta, & quale potuit Tertullianus, de quo jam antè, imaginari; suadet tum quòd præter Atomos hæc Deorum natura incorrupta asserta est, tum quòd Velleij fuit interrogatio, *Qua est coagmentario* de Ira Dei cap. 10. non dissolubilis? tum quod Lactantius expressè, Deos, inquit, aiunt incorruptos, æternos, beatos esse, solisque dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse videantur. Si enim Deos quoque ex illis constituisent, dissipabiles fierent, seminibus aliquando resolutis, atque in naturam suam revertentibus. Et videntur quidem nonnulli, ut citatus Tertullianus, asserere, Deum ex Epicuri sententia constare ex Atomis: exempli gratiã, cum ille ait: *Alij incorporatem asseruerunt, aliq corporalem, ut tam Platonici, quàm Stoici. Alij ex atomis, aliq ex numeris, sicut Epicurus, & Pythagoras, aliq ex igne, qualiter Heraclito visum est.* adu gent. cap. 47. Verùm hæc illis infedit opinio, ex eo, quòd, cum Epicurus constare omnia ex Atomis voluerit, potuerunt non satis animadverrere ipsum ea solùm intellexisse, quæ concreta, & nata essent. Dices, nonne Lucretius inductione probans animos nostros esse mortales, assumit tria esse dumtaxat æterna; Atomos, Inane, & Totum, sive Vniuersum? Responderi potest, Lucretium non dixisse tria solùm lib. 3. esse æterna; sed quicquid æternum sit, vel esse propter soliditatem, indissolubilitatèmq; ut *Atomos*; vel quod tangi nequeat, plagamque accipere, ut *Inane*; vel quod locum non habeat, in quem effluat, ut *Vniuersum*. Quamobrem hæc tria memorasse, ut singularia exempla singulorum generum, non recusantem quin esse possent, quæ ex pluribus participarent, veluti *Naturam Divinam*, quæ Atomi instar insolubilis est, & instar Inanis accipere plagam, quæ in 6. Entid. continuitatem abrumpat, non potest. Videri huc potest respexisse Servius, cum circa Virgilianum illud *Auræ simplicis ignem*, postquam esse hunc dicit *πῦρ νοερόν*, *ignem intelligibilem, id est Deum, per quod*

quod quid sit anima ostendatur, tum subjicit, *Simplicem dici ignem nostri comparatione, qui constat in ligno, & aëre; ac idè esse semper per se plenum, & æternum, quia simplex sit, cum omnia σωφιστα, id est composita exitum fortiantur;* tum sic prosequitur, *Vnde & Atomos perpetuas dicunt, quia simplices sunt, nec recipiunt sectionem.* Quanquam ne in hoc immerer eam fuisse Lucretij mentem tanto videtur probabilius, quantò Lucretius præter illa tria, Deos fecit æternos, atque immortales; ac loquens aliunde speciatim de Atomis, tanquã rerum generabilium, corruptibiliùmque principiis, videtur perspicuè à compositione ex ipsis excepisse naturam Divinam. Siquidem, præmissis illis versibus,

lib. 1.

*Qua nos materiem, & genitalia corpora rebus  
Reddenda in ratione vocare, & semina rerum  
Appellare suemus, & hac eadem usurpare  
Corpora prima, quòd ex illis sint omnia primis.*

Tum consequenter, ne videatur in rebus, quæ ex illis sunt, Deos comprehendere, subdit recitatos pauldò antè versus:

*Omnis enim per se Divùm natura necesse' est  
Immortali avo summa cum pace fruatur.*

1. plac. 7.

Confirmatur verò ex eo, quod Plutarchus, postquam dixit Epicurum fecisse Deos *ratiõne contemplabileis*, &c. subjicit ipsum posuisse *alioquin* (putàrim enim ἀλλως, pro ἀλλας legendum) *παρασχετες φύσεις* καὶ ἄφθαρτες, *quatuor genera naturarum incorruptibilium*, nam licet ipsa enumerando, postquam recensuit τὰ ἄτομα, τὸ κενόν, τὸ ἀπείρονον, *Atomos, Inane, Infinitum*, subjiciat pro quarta τὰς ὁμοιοτήτας, *Similitudines*; & videtur tamen Plutarchus, aut quisquis Placita collegit, abs re confudisse quod Anaxagoreum sit, cum eò, quod Epicureum (siquidem vocem explicans subdit, αὐτῶν ἢ λέγονται ὁμοιομέγεθαι, καὶ σοιχῆα, *ipsa verò Homœomereæ, ac Elementa appellantur*, cum constat homœomera fuisse Anaxagoræ propria & ab Epicuro improbata, ut ex supraddictis manifestum est) Et fortè Epicurus dixit non ὁμοιοτήτος, *similitudines*, sed ὡσεὶ σώματα, *quasi corpora*, quomodo Vellejus fuisse ab illo dicit appellata divina; utcumque deinceps vox corrupta fuerit (nisi etiam putes ὁμοιοτήτας, *similitudines*, dici posse naturas, quæ sint non corpora, sed *quasi corpora*, seu *similia corporibus*) ac interpretatio illa de homœomeris, fuerit glossographi

graphi commentum : Et utcumque sit, hoc saltem habetur, Epicurum præter illa tria, de quibus non est controversia, asseruisse quartam naturam, quæ incorrupta perinde sit, neque ex ejus mente intelligi alia, quam divina possit.

Ut pergamus, non est, quod multis Deus probetur Intelligens; quoniam omnem fugit notionem ut esse non-intelligens possit. Et certè, cum nomine Dei concipiant omnes aliquid eximium, seu summe excellens; & inter omnes rerum gradus emineat gradus intelligentium: ecquis est, qui possit concipere Deum infra ejusmodi gradum? An-non potius necesse est Deum intelligentem sic concipere, ut quanto illius substantia, seu mens est omni alia purior, tanto perfectius intelligat: sicque, cum v. c. nos multa offusi caligine nihil sincere perspiciamus, sed gradatim vnum post aliud, ac deducendo varia per varias consequutiones cognoscamus; ipse intuitu simplici, & nihil ratiocinatione indigens, intelligat omnia? Ita sane, qui Deum fecere Animam, sive Mentem Mundi, ideo fecere ipsum præsentem partibus Mundi omnibus, quod perviderint hac ratione non modò fovere Deum omnia, sed cognoscere etiam omnia; ac proinde eum nihil latere, quod toto Orbe fieret. Quam præclare verò animadverterunt debere Deum esse Omniscium; cum, si instar nostri, quædam sciret, quædam nesciret, inquietus foret; deberet unum nosse post aliud; penderet à rebus, occasionibusque; & cum res sive præsentæ, sive præteritæ, sive futuræ, sive possibilis infinitæ sint; nunquam tot posset addiscere, & sic perfici, quin infinita semper addiscenda restarent, unde & remaneret semper imperfectus, quod cogitare nefas est. Itaque necessarium est, ut divina scientia non sit ullâ planè ratione coercita, ac limitata, sed extendatur planè ad omnia, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ erunt, imo & quæ esse potuerunt, neque fuerunt; tamen, quæ esse jam possent, & tamen non sunt, quæ esse possent in posterum, & tamen non erunt.

Neq; est, quod quis arbitretur istud rationem fugere. Nam primo. cū divina Mens, uti & Substantia, infinita sit, non potest ejus intelligentia habere objectum finitū, ex eoque fit, ut cum nos, ob limitationem, impuritatemiq; facultatis intellectricis multitudine rerum conturbemur, & plura simul cognoscere, nisi confuse non possimus,



Deus ex opposito, ob virtutem intelligendi infinitam, purissimamque, multitudine illa rerum infinita non offendatur; neque minùs clarè, distinctèque (imò infinite clariùs, distinctiùsque) infinita intelligat, quàm nos unam rem singularem. Dein de, possumus utcumque id concipere, quatenus & Deus fuit præsens præteritis omnibus rebus, ut quales fuerint, non ignoret; & ita est præsens rebus omnibus, ut non illas modò id quod sunt, cognoscat; sed vireis quoque earum perspicuens, perspiciat simul tum concursus, quos habituræ inter se sunt, tum sequuturos effectus omneis, cum circumstantiis omnibus; sicque futurorum nihil ipsum lateat, ob continentem illam seriem, concatenationem ve effectuum cum causis. Neque id modò, sed etiam cum nôrit quicquid in causarum potestate est, neque tamen exseritur; ideò sequitur, ut sint ipsi quoque possibilis omnia perspecta; idque seu attendas præteritum tempus, quo esse protuerunt; seu præsens, futurumque, quo esse cum possent, neque tamen sunt, neque erunt unquam. Quin etiam, cum præter res ipsas, quæ fuerunt, sunt, erunt, nôrit Deus quascumque potest, præter illas, producere, hoc est, perspectam distinctè habeat suæ virtutis sæcunditatem, haud-dubium est sanè, quin infinitatem possibilium distinctè nôrit.

Cæterum, non est etiam opus, ut multis probetur Deum esse Potentem, habere ve potentiam ad agendum aliud, quippe hoc quoque notionem fugit, ut impotens intelligatur. Sunt certè res omnes tantò perfectiores, commendatiorèsq;e, quantò efficaciores sunt, seu vi agendi majore pollent. An igitur concipere licet Deum imperfectiorem, illaudatiorèmq;e rebus omnibus, quarum nulla est, quæ non agere quidpiam possit? An non potiùs, cum præcellat rebus omnibus, præpollere quoque omnibus sic debet, ut intelligamus nihil esse, quod ejus virtuti non cedat; ac tantò magis, quantò id est etiam apud Ethnicos Catenà illà Homericà intellectum, adumbratumque? Quid, quòd Ethnici quoque agnovere, posse Deum omnia, sive infinitam ejus esse vim, cum ipsum *παντοκράτωρ* & *Ομnipotentem* esse dixerunt, ac Lælegi, animo, annisque maturo tribuerunt, ut id profiteretur, dum

8. *Metaph.* Sic ait: *Immensa est finemque potentia cali  
Non habet, & quicquid Superi voluere, peractum est.*

Notum

Notum est & illud Poëtæ Lini, quod apud Stobæum:

Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσται, ἢ ἀνέλυστον ἔδειν,

*Quidque Deo factu facile est; quod non queat, est nil.*

sim. 119.

Itémque illud Calimachi, utcumque non pius aliàs reputetur :

Εἰ Θεὸν οἶδα, ἴδωι ὅτι ἢ δαίμονι ῥέξαι

Πᾶν δωατὸν,

*Esse Deum si nōris, & hoc te scire necesse est,*

*Nil non posse Deum.*

Ut proinde intelligamus ejusdem esse communis notionis, tum quod Deus sit, tum quod facere quidvis possit. Quod & probat satis tacitus consensus, quo Nationes omnes Deo preces fundunt, orantque ea faciat, quæ omnino facere, nisi qui omnipotens sit, non possit. Meritò verò id præconceptum, & quasi defixum in hominum mentibus est; cùm omnis agendi facultas eam proportionem cum natura habeat, ut, si natura quidem limitata sit, facultas quoque sit limitata; sin natura immensa sit, facultas sit quoque immensa. Et videri quidem potest agendi potentia cum immutabilitate pugnare; sed cùm id sit verum in corporibus, quæ sine motu nihil agunt; secùs tamen contingere in incorporeis rebus potest, ut Aristoteles agnovit, cùm agnoscens Motorem primum debere esse immobilem, agnovit talem esse posse, si incorporeus concederetur. Videri quoque possent esse alicujus ponderis, quæ insultationes sunt apud Plutarchum; & quibus Plinius seridè est usus: *Si potest Deus facere omnia; faciat igitur, ut nigra nix sit, ignis frigidus; qui sedet, sit rectus; quod præterijt, non præterierit, ut bis dena non sint viginti; ipse non sit, &c.* Verùm, qui talia postulant, non advertunt se contradicere sibi ipsis; seu postulare, ut id non fiat, quod fieri tamen postulant. Nam, cùm vniversè nulla sit res, quam Deus non possit destruere; nulla, quam non producere; nulla, quam non variis, etiam oppositis qualitatibus immutare; nihil horum isti deponunt, sed solummodò, ut res aliqua, dum talis manet, talis non sit: Scilicet, ut talis non sit, qualem ipsimet esse volunt; quo quid est, quod possint facere absurdius? Poscant, ut Deus ex nihilo creet nivem, ignem, & alia: ut ea in nihilum redigat; ut nivem, seu substantiam nivis nigram faciat; ignem, seu substantiam ignis faciat frigidam; tum sibi ipsis non contradicent. At dum volunt ut nix

1. plac. 7.  
lib. 2. cap. 7

manens alba, nigra sit, hoc est, non alba maneat, & ignis manens calidus, frigidus sit, hoc est, non maneat calidus, jubendi sunt sanè, ut prius intelligant, quod dicunt, sibi que ipsis consentiant, neque inepti haberi velint. Quod idem dico dum exigunt, ut qui seder, erectus sit, aut qui vixit, non vixerit. Nam, si petant, ut qui seder, etiam paralyticus, claudusque, à Deo erigatur, rectusque incedat. & qui mortuus est, excitetur, aut ex senè juvenis fiat, nihil petent incongruum; at velle, ut aliquis sedeat & nihilominus rectus sit, hoc est, ut sedens non sedeat, nihil esse magis incongruum potest. Idem, dum petunt, ut bis dena non sint viginti, hoc est, ut bis dena bis dena non sint. Nam & quod postulant, ut Deus mortem sibi ipse consciscat, constat nimis clarè idem esse, ac exigere, ut qui est Deus, Deus non sit, seu, ut sit mortalis, qui est immortalis. Ut taceam potentiam agendi, qualis heic exigitur, non eam esse, quâ aliquid seipsum faciat, aut destruat, sed quâ id, quod est, possit facere, aut destruere aliud. Exigere enim, ut quidpiam se faciat, est supponere id non esse, quod esse tamen supponitur, & si id, quod est, tale supponatur ut destrui non valeat, exigere, ut destruat se, est supponere tale esse, ut destrui valeat.

Addo proinde, cum potentia sit respectu alterius, eam posse in aliquo sic intelligi, ut vel ex nihilo faciat aliquid, vel ex aliquo nihil, vel ex aliquo aliquid, vel ex nihilo nihil: constare quartum istum modum nulli potentiaè obijci, sed tria priora dumtaxat. Cum vero isti postulant, ut quidpiam simul sit, & non sit, quatenus quidem postulant, ut sit, posse id intelligi vel primo modo, vel tertio, at quatenus petunt, ut simul non sit, non posse id intelligi secundo modo fieri, quatenus id quod est, in nihilum non abit, sed remanere supponitur, intelligi igitur quarto, hoc est, ipsos exigere, ut ex non ente fiat non-ens, quod nullius est potentiaè objectum. Quare, & cum instant, saltem Deum facere non posse, ut idem simul sit, & non sit, vel sit simul, & non sit tale, atque idcirco esse imbecillum, consequentionem nullam esse, quoniam nihil, sive non-ens, quod ex non-ente volunt fieri, non est numerandum inter omnia, hoc est inter entia, seu res veras, circa quas potentia versatur. Ex hoc autem fit, ut tamen si admittitur, non posse Deum facere duo contradictoria, sive ex non-ente non-ens; non  
exinde

exinde tamen possit magis argui imbecillitas aliqua in Deo quàm arguatur in oculo, ex eo, quod non possit conspiciere tenebras, vel in aure, ex eo, quod non possit audire silentium. Quamquam religiosum est sanè non admittere, quod plerumque faciunt; ut Deus dicatur facere aliquid non posse, cum dicendum sit potiùs, non posse quidpiam fieri, quod pij Doctores observant: ut repugnantia intelligatur non ex parte Dei, sed ex parte rei solummodo esse. Quin videtur etiam non minùs religiosum, ac pium esse, non definire temerè ea, quæ contradictionem involvere, implicarè, ut ajunt, videntur, eoque inducunt, ut censeatur non posse à Deo quidpiam fieri: siquidem, cum Dei potentia infinita sit, ne hoc quidem possumus scire, an illius potentiam fugiat, ut duo contradictoria faciat. Nos certè id non capimus; at præsumendumne nobis est, nihil posse Deum supra nostrum captum? Et censemur hebetes esse, si dixerimus facere Deum posse, ut qui dpiam simul sit, & non sit: videri sane hebetes, quàm esse temerarios præstat; ac in argumento præsertim, in quo Deo nihil nimium tribui, nihil non nimium detrahi potest.

Ad-hæc, multis opus non est, ut Deus cum Bonus, tum Liber, & Sapiens probeatur. Bonus, inquam, quoniam hoc quoque præter notionem est, ut livore ullo tangatur, & bonus non sit, Cum enim tam multa & intelligat, & producere etiam possit; non potest sanè expers esse propensionis, seu Voluntatis, quæ comes est intelligentiæ, ac ne potentia frustra sit, præstat. Velle autem esse aliquid præter se, res est à livore aliena, ac bonitatis propria: id quippe nihil aliud est, quàm sese velut effundere. & ex iis, quæ sunt in intelligentia, ac potestatei, communicare. Ex quo fit, ut cum Deus intelligat, ac facere possit infinita; idè concipiatur veluti thesaurus, ac Oceanus inexhaustus; sitque proinde infinite bonus (sive dicere malis, optimus) qui possit infinite se effundere, seu inexhaustibiliter, ut ita loquar, communicare. Et verò Liber etiam est; quia notionem pariter fugit, ut vel cogi ab alio possit, vel sibi ipse legem imponat, quam prætergredi, si libeat, non liceat. Carere certè libertate, est voluntate etiam carere, & consequenter bonitate, quæ tum demum agnoscitur, cum quis bonum vult, quod posset

set non velle. Deus itaque, vt est summè bonus, ita & summè liber est, neque adstringitur, vt velit quicquid intelligit, ac potest. Nempe satis est, ut id velit, & subinde faciat, quod esse meliùs facere, quàm non facere, intelligit. Ex quo denique summè Sapiens, Prudensve esse comprobatur. Quippe Sapientia, siue Prudentia est in earum rerum delectu, quæ præ oppositis expediunt; neque ea non potest in Deo esse summa, seu infinita; cui cùm nihil perspectum non sit, quicquam, quod sit melius, magisve expediat, latere ipsum haud-quaquam possit.

Et varia sunt quidem, quæ obijci possunt; sed ea tamen sunt ex iis, quæ superiùs deduximus, intelligenda. Unum heic minimè videtur reticendum propter Platònem, qui cùm treis distinguit impietatis species; unam negantium esse Deos; alteram negantium eorum providentiam; tertiam opinantium precibus eos flecti, videtur ob hanc tertiam non agnoscere esse in Deo libertatem, quasi ea repugnet constantiæ, seu immutabilitati divinæ, si concedatur flexibilis. Sed vno verbo, cùm Deum precamur, id agimus, quod ipse instituit, & cùm precibus flecti dicitur, modus loquendi vulgaris est, neque sensus est Deum statuisse unum, & velle oppositum, sed solum dare eum precibus, quod constituit se precibus, daturum. Heinc non est, cur debeat haberi inconstans, aut mutabilis, qui etiam, cùm videtur nolle aliquid, quod antè voluerit, aut velle, quod noluerit, caligo solum nostra est, quæ suspicionem nobis eam facit. Quandoquidem potest constanter, atq; immutabiliter velle, ut quidpiam mutabile sit, & censendus est non tam nolle, quod voluerit, quàm constanter velle, ut id desinat, quod eâ lege voluit, ut desineret, & non tam velle quod noluerit, quàm velle, ut quidpiam tunc sit, quod constanter voluit, aut priùs non esset. Instat Maximus Tyrius, Non esse, cur Deum seu boni precentur, seu mali, quòd Deus sit bonis congrua largiturus, etià si non petierint, malis verò, ne petentibus quidem. Sed contrà, est potiùs, cur boni precetur, quos precari Deus voluerit, ut tantò magis & indigentia, & beneficentiam agnoscerent. Est etiam cur mali, ut de gravitate cum virtute commutanda cogitent, ipsèque bonam largiatur mentè. Verum ista aliàs copiosius, cum factura huc etiam sint, quæ circa Fatù sunt deducenda, declarando videlicet, quemadmodum Dei decre-

tum

tum possit cum humana libertate constare: Notandum jam solùm, nullam precessionem posse sanctiorem instirui, quàm eam, qua jubemur, ut Dei voluntas fiat, postulare. Quippe ut unum id contingit, quod pro voluntate est Dei; ita id ipsum est, quod Deus dare postulanti constituit.

Postremò, neque est necesse, ut multis probetur Deum esse Beatum. Quippe & hæc demùm est communis notio, ut Deus non modò beatus, sed beatissimus etiam reputetur. Cùm nihil sit enim aliud beatiudo, quàm jucunda quædam & constans bonorum possessio, cum exclusione molestiæ; non potest profectò Deus non beatissimus concipi, qui cùm bonorum omnium fons sit, carere nullo bono possit. Qui suorum bonorum, suæque conditionis intelligentissimus, non possit exinde non summopere delectari; qui æternus, immortalisque, non possit non esse securus constantiæ; qui malorum expers, non possit non esse ab omni molestia alienus. Hæc certè, vel ipse Epicurus novit; qui cùm in eo peccaverit, quòd divinam felicitatem à Mundi administratione sejunctam esse putaverit, in eo tamen verè sensit, quòd existimavit Deum sic debere esse felicem, ut illius felicitati nihil neque adjici, neque adimi valeat, ut inter ipsius Effata habetur. Id sensit nimirum, postquam intellexit ex iis, quæ de Diis vulgò credebantur, non aliam naturæ divinæ notionem posse elici quàm quòd valde misera esset. Exsecuit Cælum Saturnus, expulit Saturnum Iupiter, Iovi insidiæ structæ à suis, qui ipsi pœnas dederint. Ex cæteris alij suspensi, alij è Cælo in Terram detrusi, alij divinitate spoliati, alij ab hominibus cæsi, ne memorem omnium, vel certè complurium adulteria, zelotypias, furta, odia, rixas, prælia, cæterâsque id genus laudes. Quamobrem cùm ex ante-dictis impium esse existimaret tale quidpiam Deo tribuere, & aliunde non caperet, posse Deum esse beatum, si rerum Mundi, ac humanarum sollicitudine teneretur, quam videbat bene multorum Philosophorum sententiam, idcirco ipse ed excessit, unde Vellejus ista deduxit: *Et querere à nobis, Balbe, soleris, qua vita Deorum sit, quaque ab ijs degatur aras? En videlicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest. Nihil enim agit; nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur; sua*  
Y
sapiencia,

*sapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in aternis voluptatibus. Hunc Deum ritè beatum dixerimus; vestrum verò laboriosissimum. Sive enim Deus ipse Mundus est; quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem cœli admirabili celeritate? N. si quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso Mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus Astro- rum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitæque tueatur: na ille est implicatus molestis negotiis, & operosis. Nos autem beatam vitam in animi securitate, & in omni vacatione munerum ponimus.*

*In qua exposita sententia, cum illud sit verum, hanc esse Dei vitam, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest: Itèmque illud, Sua sapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in aternis voluptatibus: Tum quod adhibetur, Nihil enim agit, nullis occupationibus implicatur, nulla opera molitur: Et, Nos autem beatam vitam in animi securitate, & in omni vacatione munerum ponimus: Possit id quidem admitti, si intelligitur non debere Deum laboriosè quidquam agere; occupationibus molestis implicari; opera aliqua cum difficultate moliri; vitam ob casus superandos non securam degere; non vacare à muneribus aut ab alio præscriptis, aut quoquo modo operosis. At quia id dictum est speciatim ob ipsum Mundi regimen, quasi id Deus sine labore, molestia, difficultate, incertitudine, sudore, obire non possit; idcirco explodendum est. Si quidem non tam facilè quis digitum videt aut movet, quàm Deus & intelligit, & dirigit quicquid est rerum. Nam, si ejus quidem cognitio, ac virtus comparatione tantæ molis limitata esset, aut exigua, apparere res probabilis posset; at cum utraque infinita sit, nihil penitus est, quod ipsi facere negotium possit; sed omnia simul intelligit, agitq; infinite facilius quam nos quàm minimum quicquid libet. Sed quia hæc sunt fusius deinceps dicenda, adnotare heic sufficit, quid Vellejo Contra objiciat.*

*Videamus, inquit, nunc de Beato. Nisi virtute, certè nullo modo. Virtus autem actuosa, & Deus vester nihil agens. Igitur ne beatus quidem. Dixerat antea; Nihil habet, inquit, negotij. Professò Epicurus, quasi pueri delicati; nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri,*

*etiam*

etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur : Deum fieri feriatum volumus cessatione torpere, ut si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit? Hac oratio non modò Deos spoliat matu, & actione divina; sed etiam homines inerteis efficit, si quidem agens aliquid, ne Deus quidem esse beatus potest. Pergit postea : *Quæ ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu. Quorum tandem bonorum? Voluptatum credo, nempe ad corpus pertinentium, nullam enim novistis nisi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus, animi voluptatem.* Et paullo post : *Quem cibum igitur, aut quas potiones, & florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebitis ad Deos, ut eos perfundatis voluptatibus? Ac Poëta quidem Nectar, & Ambrosiam epulas comparant, & aut Iuventutem, aut Gynymedem pocula mimifrantem. Tu autem, Epicure, quid facis? Neque enim unde habeat ista Deus tuus video, nec quomodo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beatè vivendum est, quam Deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum. Et rursus infra : Neque hunc reprehendo, quòd ad voluptatem omnia referantur : alia est quæstio : sed doceo Deos vestros esse voluptatis experteis : ita vestro iudicio ne beatos quidem. At dolore vacant : Satin' est id ad illam abundantem bonis vitam beatissimam? Cogitant, inquis, assidue beatos esse se; habent enim nihil aliud, quod cogitant, in mente. Comprehende igitur animo, & propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate, nisi, Mihi pulchrè est; & Ego beatus sum, cogitantem. Nec tamen video, quomodo sibi videatur esse Deus iste beatus, cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturque incurfione Atomorum : cumque ex ipso imagines semper effluant. Concludit : Ita nec beatus est vester Deus, nec æternus.*

Sic præclare Cotta; nisi quòd illud, *Propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate, nisi, Mihi pulchrè est; & Ego beatus sum, cogitantem;* ferendum non est, quatenus non differt ab eo, quod etiam num quidam objiciunt; capi non posse, quænam illa Dei felicitas sit, seipsum tota æternitate indefinenter contemplari; aut quæ beatarum mentium, destinatas esse ad idem objectum in omne ævum considerandum. Siquidem isti non attendunt actionem, ex qua est voluptas, tunc solum debere variari, ut voluptas continens sit, cum ipsa facultas satiatur, neque continuò afficitur; ut constat ex elu, & potu, in quibus satietas interveniens



voluptatis cessationem facit; quæ non fieret, neque lubentur actiones intermitterentur, si edendi, bibendique facultas satietatis incapax foret. Cæterum ipsum Intellectum facultatem esse ex natura sua satietatis incapacem, & cui objectum infinitum in omnem ævum sufficere intelligendo, percipiendoque voluptatem continuam valeat. Neque est, cur putes, cum dico Intellectum esse satietatis incapacem, angere eum propterea, dum objectum infinitum contemplatur; quippe satietatis defectus tum solum cum angore est, cum objecto suo facultas privatur, at cum re ipsa eo fruatur, tunc molestia cessat, & tandiu voluptas est quandiu est fruitio sine satietate. Non quod assequutio ipsius objecti non possit vocari satietas, ut & re ipsa vulgo vocatur, sed quod ubi plena satietas est, facultas amplius non afficiatur, neque amplius quicquam voluptatis percipiat, ut neque vas plenum aliquid liquoris. Sed de his plura alias, cum heic sufficiat æternam hanc sui ipsius contemplationem divinæ Naturæ consentaneam ne latuisse quidem Aristotelem, ut ex Metaphysicis constat. Prætereo autem quod habet Cotta de voluptatibus corporeis, sugillationem immeritam esse, ut in Ethicis declarabitur, etiam quod spectat ad ipsos Deos, quasi aut Epicurus dixerit corporeos, aut non alias ipsis, quam corporeas esse censuerit voluptates: aut non ipse Cotta jam ante Epicurum carpsit, quod esse Deos voluerit humanis membris præditos, & esse eorum tamen usum nullum putarit? Prætereo quoque id, quod habet de effluxione imaginum ex antedictis vanum esse, ut etiam, quod de incurfione, impulsioneque Atomorum, quam timere ea natura non possit, quæ est corporea longè subtilior, & tactum, istumque suffugiens, ut ex Lucretio retulimus:

*Tactile nil nobis quod sit, contingere debet*

*Tangere enim non quis, quod tangi non licet ipsum.*

Idque ne attingam eum locum fuisse ab Epicuro Diis attributum, qui à Lucretio describitur, dum quasi Homerum imitatus illis versibus, quorum quatuor priores recitantur etiam ab Authore libri de Mundo:

cap. 6.  
od. 2.

Ὀὐλυμπὸν δὲ ἐστὶ Φασὶ θεῶν ἔδθη αἰσφαλὲς αἰεὶ  
Ἐμμηναί, ἔτ' ἀνεμοισὶ πνέσεται ἐπὶ ποτ' ὀμβροῦ

Ἄδεται,

Δόεται, ἔτεχιών Ὀπιίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἰΐθη  
 Πέπιαται ἀννέφελθ, λακκή δὲ Ὀπιδέδρομν αἰγλη.  
 Τῶ ἐνι τέρωπονται μάκρες θεοὶ ἡματα πάντα,

in hunc modum canit :

*Apparet Divum numen, sed èsque quiesca,  
 Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis  
 Aspergunt; neque nix acri concreta pruina  
 Cana cadens violat; sempèrque innubilus aether  
 Integit, & largè diffuso lumine ridet.  
 Omnia suppediat porrò natura, nec ulla  
 Res animi pacem delibrat tempore in ullo.*

## P E T R I G A S S E N D I

### ANIMADVERSI O II.

*Dari inter Causas unam omnium primam; seu, quod idem est, Deum esse.*

**Q**UOD verò imprimis de prima Causa disquiritur, est, an reipsa detur; idque idem habemus cum eo, quod requiritur, an sic Deus, quòd Deum esse vix alia ratione naturæ luce agnoscatur quàm ex ipsius effectibus, seu quia prima est rerum causa. Dico autem vix, ob aliquos paucos, quos inter Epicurus est, qui se esse persuasos dicant, esse naturam quandam divinam, neque eam tamen pro causa prima habent, quòd eam gerere rerum curam non putent: cæteri enim Deum esse idcirco non existimant, quia nulla causa prima sit, quæ sive fundarit, sive regat naturam rerum. Atque hi quidem sunt Athei, quales tamen à tota usque antiquitate memorantur solum Diagoras, Hippo, Protagoras, Critias, Prodicus, Theodorus, Euhemerus, Euripides, Callimachus, & si qui sunt alij, omnino non multi. Heinc non videretur res sanè vocanda in controversiam, quæ ex seipsa loquitur, sique ipsius, tam paucis exceptis, ipsa fidem facit, nisi ab ipsis traditæ forent,

forent, circumferrenturque rationes, quibus occurrere, ne in fraudem aliquos inducant, sit operæ-pretium. Quanquam & penè sufficeret opponere illis, ut Nationes totas, sic speciatim quasi Senatam cæterorum Philosophorum, Sapientumque omnium; qui, cum maturius attenderent, quanta esset partium Universi hujus amplitudo, & varietas; quanta pulcritudo, & constantia, quanta conspiratio, & harmonia, & suspicati primum sunt, & persuasum subinde habuerunt esse quempiam Moderatorem, qui etiam foret totius molis, atque dispositionis author. Scilicet, ut in Animalis ratiocinati sunt esse unam quandam causam principem, videlicet Animam, quæ ipsa sibi imprimis proprium fabricetur domicilium, ac deinceps quandiu in eo est, parteis ipsius omneis foveat, in suo quamque ordine, & functione contineat, vim agendi singulis tribuat, & cum illis etiam simul operetur; ita in Mundo, quem habuerunt, quasi Animal quoddam ingens, ratiocinati sunt esse præstantissimam quandam causam, ac veluti Animam, quæ ut condiderit, ita regat, temperet, ac animet ipsum. Neque obstat, quod talem Causam vel Deum, vel Mentem, vel Naturam, vel Necessitatem, vel Fatum, vel quidvis aliud dixerint; satis est enim quòd tenuerint eandem propè rem, quam nos profitemur; Naturam scilicet Divinam ubique adesse, quæ in res omneis intimè per sui essentiam, præsentiam, potentiam sic veluti illapsa sit, ut omnia conservet, coagat rebus omnibus, ipsa conditrix omnium rerum. Et vide, ut de Deo Seneca loquatur: *Vis illum Fatum vocare, non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Providentiam? rectè dices: est enim, cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis Naturam vocare? non peccabis; est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus, &c.*

2. qu. nat.  
cap. 45.

Verùm, ut altius rem deducam, de antiquissimis quidem illis seu Poëtis, seu Theologis, res videtur esse perspicua; quando quicquid rerum apud homines eveniret, id non ad causas aliquas cæcas, ut casus, & fortuna sunt, sed ad Deos retulere acceptum, nimirum ad Jovem, Junonem, Minervam, Apollinem, Mercurium, & alios, qui providerent, statuerent, adhortarentur, agerent ipsi. Et quamvis deinceps Mythologi fuerint interpretati hujusmodi

modi Deos de causis naturalibus; mera tamen fuit eorum conjectura, factaque gratis accommodatio; ac ut nihil aliud, hoc saltem intelligitur, sensisse illos arcanam quandam, incomprehensamque esse causam, quæ variè, ac per varias virtutes sese explicet; easque virtutes cum cæteri malint naturaleis dicere, prætulisse ipsos dicere Divinas. Quid, quod non ita facile ex germano sensu detorqueant, quod legitur in Orphicis,

Ὁς γάρ τις ἔπιντα μέγ' ἕως μὲν ἰσοχόρα,

*Mundi Progenitor, qui parteis incolis omneis.*

*hymn. in  
Sat.*

Quod si interpretationes arrideant, vide, quàm appositè Empiricus horum verba interpretetur, cum dicit Eidotheam esse eam substantiam, seu Materiam primam, quæ in varias species formatur; & Proteum eam primam, principemque Causam, ἀρχικώτατον αἰῶνα, quæ species conformat. Non memoro, quod etiam τὸν Ἐρωτα, Amorem illum Hesiodi interpretatur Causam moventem, & conciliantem omnia; nec secùs illud Parmenideum,

Πρώτισον μὲν ἔρωτα Θεῶν μητίσαστο πάντων,

*Dijs equidem ex cunctis primum providit Amorem.*

*1. adv.  
Phys.*

Itèrque, quod Empedocles pro Amore Venerem dixit, ut apud Platonem intelligitur; tamen si idem aliquando adiecit Litem, seu contentionem, ex quo evasit Empedoclis sententia celeberrima de Amicitia, & controversia, ut prima Efficiente Causa, quam præter quatuor Elementa, ut primam Materiam constituerit.

Sed, ne his immorer, perspicuum est magis quid Philosophi senserint, qui sunt perspicue magis loquuti. Et Anaxagoras quidem nec primus, nec unicus fuit, qui posuerit Mentem, tanquam primam Causam; & quæ materiâ prior fuerit, prout actum habuit potentiâ priorem, ut apud Aristotelem est, & omnia initio confusa distinxerit, ac exornârit, ut Plutarchus aliique habent. Nam Hermetimus Clazomenius, Aristotele referente, & prior adhuc Thalæ Milesius, qui Aquam, inquit Cicero, dixit esse Initium rerum, Deum autem eam Mentem, quæ ex Aqua cuncta fingeret. Ubi, cum dicit, fingeret, non finxerit, planum facit placuisse illi eandem adhuc causam penetrare in omnia, omniaque adhuc efficere. De Pythagora, & Platone dictum est mox antè, & vulgare est ex illorum mente esse illud Virgilij,

*12. met. 6.*

*1. plac. 3.  
1. met. 3.  
1. de na.  
De.*

*Spiritus*

6. Enid.

*Spiritus intus alit, totamque in fusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Tamen si verò illi censuerint speciales formas nihil esse aliud, quàm parteis hujus Spiritus, Mentis, seu Animæ Mundanæ; saltem statuerunt unum principium, unam Divinam originem, è qua vim agendi omnia derivarent. Dictum quoque de Stoicis; qui & cum posuerunt Ignem, qui omnia pervadat, qui initio omnia genuerit, qui in fine omnia consumpturus sit, qui sit postea omnia redintegraturus; hunc certè Ignem, seu, ut est apud Ciceronem, vim igneam, dixerunt esse Animam Mundi, ac etiam Mentem, & Deum, & Jovem, & alia; ac sensu verè Stoico, nominatimque juxta Chrysippum, dictum illud est à Pacuvio,

3. de na. De.

in fragm.

*Quicquid est hoc, omnia animat, fovet, alit,  
Augeat, creat, sepelit, recipitque in sese omnia,  
Omniumque idem est Pater, in idemque eadem,  
Qua erunt, de integro, atque eodem occident.*

lib. 3. c. ult.

An verò putas idem quoque de Aristotele dicendum? Videtur profectò, quatenus in libris de Generatione Animalium, declarat calorem quandam Animalem ita in Universo inesse, ut omnia sint Animæ quodammodo plena; & in libris de Partibus, commendatum propterea facit Heracliti dictum, qui cum aliquos suppuderet furnariam casam ingredi, *Et heic quoque Dij sunt*, inquit: est autem præsertim memoratu dignum, quod Alexander Aphrodisiæus, dum de Intellectu agente per omnia diffuso, singulareis-

traç. de An.

8. phys. ult. I. de cælo 3

que omnium menteis illustrante disputat, *Talem autem*, inquit, *esse primam Causam ab Aristotele demonstratum est, qua prima Causa procul dubio propriè Intellectus est*: Obstare posset, quòd videatur primum Motorem, seu primam Causam, primumve illum Intellectum in circumferentiam usque extimi Cæli relegare; quod commendatum faciat communem omnium tam Græcorum, quàm Barbarorum consensum de supremo illo, seu Cœlesti loco Diis assignato; quod in libro illi attributo de Mundo legatur; Decere magis, ut se habeat Deus instar Principis, qui in Regia degens, non per seipsum, sed per ministros varios Regni partibus adest, singulæque exsequitur. Verum tamen hoc saltem constat, voluisse Aristotelem dari unum primum Motorem, qui seu Physicè, seu ut fi-

cap. 6.

nis,

quod aliàs disquireretur, moveat, causa nihilominus prima sit, à qua seu immediatè, seu mediatè omnia, quæ sunt in Mundo dependeant, nam inferiorum quidem omnium generationes, & corruptiones, vicissitudinèque illarum constanteis dependere censuit ex Cælestibus moribus, quod ideò regioni Elementari contiguos posuit, & motus Cælestis Anima medianre ab abstractis Motoribus, quorum series in eum desinat, qui ut omnium Princeps præsidet ipsi supremo. Sed de Aristotele quidem optura paullo post.

2. de gen.  
10.  
1. met. 2.

Jam enim priusquam de illa Ratione dicamus, quæ ex effectibus petita arguit Deum non modò esse; verùm etiam simul primam Causam esse; ac priusquam etiam præmittamus aliam, quæ Epicuro esse Deum persuasit, quæque debuerat illum quoque ad agnoscendum esse Deum primam Causam inducere: prius, inquam, videndum est, jure ne Epicurus ab aliquibus inter Atheos numeretur; & non potiùs censendus sit augere eorum numerum, qui Dei existentiam probarunt. Ac primùm quidem loca illa prætereò, quibus Apologiam pro vita, moribusque ejus scribentes, probavimus illum & Deum coluisse, *tanquam parentem; nulla spe, nulla pretio inductum. sed propter ejus majestatem eximiam, supremamque naturam, & causam expressisse cur colendus sit, quia venerationem justam habet, quicquid excellit.* Itemque illum locum ex Epistola ad Hierodotum in quo docet eam esse Beatam Immortalemque naturam, ut ipsi nihil muneris, quod molestum sit, tribuere oporteat; *sed tueri potiùs respectu illius venerationem omnimodam, ac orationis genere uti, eas suggerente cogitationes, ex quibus nullæ venerationi contraria opiniones nascantur.* Hæc, inquam aliàque prætereò, ac locum solum refero ex ejus Epistola ad Menœceum. Verba illius sunt, *Reputans imprimis Deum esse Immortale, beatumque Animal ( sic dixerunt etiam Aristoteles, Plato, aliique inferiùs citandi ) ut notio communis de Deo suggeris, cave, ne quidquam ipsi attribuas, quod aut ab immortalitate alienum sit, aut à beatitudine abhorreat, sed quicquid de illo opinabere, fac, ut valeat salva immortalitate, beatitudinèque constare. Scilicet Dij reverà sunt ( evidens est enim illorum notitia ) at quales vulgò homines existimant, minimè sunt; siquidem quales ipsos esse quibusdam adjunctis seu proprietatibus opinantur; non tales videntur, sed adjunctis alijs*

Sen. 4. de  
Benef. cap.  
19.  
Cic. 1. de  
na. De.

adjunctis contradicentibus eosdem negant. Impius est proinde, non qui vulgareis multitudinis Deos tollit; sed is, qui multitudinis opiniones Diis adhibet. Non enim germana prænotiones sunt, sed suspiciones falsa eæ, quæ de Diis ab hominibus à vulgo traduntur. Arbitrantur quippe & malis detrimenta maxima, & bonis præsidia à Diis advenire; siquidem propriis virtutibus, seu affectibus innutriti, similes sui Deos admittunt; & quicquid affectuum suorum non est, id existimant ab ipsis alienum.

Deinde, talis cum fuerit Epicuri sententia; en tamen qualis ipsi fuerit adhibita interpretatio. Mibi videtur Epicurus, inquit Cotta Ciceronianus, de Diis immortalibus magnopere pugnare, tantummodo negare Deos esse non audere, ne quid invidia subeat, aut criminis. Cum vero Deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse præditos, sed eorum membrorum usum nullum habere; ludere videtur, satisque putare, si dixerit esse quandam beatam naturam, & eternam. Ac rursus: Verius est nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Possidinius disseruit in libro quinto de natura Deorum, nullos esse Deos Epicuro videri, quaqueis de Diis immortalibus dixerit, invidia detestanda gratiæ dixisse. Neque enim tam despiens fuisset, ut homunculis similem Deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido: membris hominis præditum omnibus, usu membrorum ne minimo quidem: exilem quemdam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem; omnino nihil curantem, nihil agentem. Quæ natura primum nulla esse potest; idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit Deos. Et iterum, Negare Deos esse non audeo (Vellejum nempe alloquitur) sapienter id quidem; etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos Deos. Novi ego Epicureos omnia sigilla veneranteis; quanquam nonnullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse Deos, re sustulisse. Quibus consentit illud Empirici, Epicurus juxta nonnullos, quod attinet quidem ad vulgus, relinquit Deum; quod spectat vero ad rerum naturam, nequaquam. Ex quibus minus mirari par est cæterorum loquendi modum. Nam Epictetus, Arripe, inquit, Epicuri contraria; Deos videlicet non esse; & si sint, humana tamen non curare. Minutius Felix: Epicurus ille, qui Deos aut otiosos fingit, aut nullos. Balbus ille apud Ciceronem: Aut negandum est esse Deos, quod & Democritus Simulacra, & Epicurus Imagines inducens, quodam pacto negat, &c. Gregorius Nazianzenus, Impium Epicuri

Nimiris

3. de nat.  
De.

lib. 1.

Acad. phys.

ap. Arrian.  
2. cap. 20.  
in Oſar.  
2. de nat.  
De.

orat. 34.

*Numinis contemptum exagita*: ut Clementem Alexandrinum, aliof-  
que præteream, qui similia habent. Quocirca ex his colligi vi-  
detur, Epicurum callidè egisse, imitatum nempe Apologivul-  
pam, quam aliena calamitas dicitur fecisse cautiorem; quasi sci-  
licet minimè ignorârît illa Areopagi decreta aduersus quosdam an-  
tiquiores, ac nominatim Protagoram, qui, cum, referente præ aliis  
M. Tullio, in principio libri sui sic posuisset: *De Diis, neque ut sint, neque*  
*ut non sint, habeo dicere: Atheniensium jussu, urbe, atque agro est ex-*  
*terminatus, librique ejus in concione combusti.* Ex quo equidem existimo  
(sic pergit ille) tardiores ad hanc sententiam profitemdam multos  
esse factos: quippe cum pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset.

1. & 5.  
strom.1. de nat.  
Do.

Verumtamen referèd spectatâ, videtur Epicuri mens alia pe-  
nitus existisse; uti vel ex ipso, qui est recitatus, contextu in-  
telligi licet. In eo scilicet tantum abest, ut gratificari populo  
voluerit, quin potius est ipsi manifestissimè aduersatus; profes-  
sus putâ *Impium esse, non qui populi Deos tollit, sed qui populi opiniones*  
*Diis impusat, quod sint non prænotiones vera, sed suspiciones falsa*  
*populo de Diis perhibentur.* Spectat huc quod Lucretius de il-  
lo:

*Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti*  
*Murmure compressit Cœlum.*

lib. 1.

Itemque quod Seneca refert professum fuisse Epicurum, *se nunquam*  
*voluisse populo placere*: ut minùs sit mirum, si cum apud populum  
Jupiter, Mars & alij fabularum Dij crederentur, ipse taleis reje-  
cerit, aliòsque esse docuerit, quibus rixæ, adulteria, & quæ cæ-  
tera de prioribus evulgarentur, non convenirent. Adde debuisse  
quoque illum paria comminisci, atque fingere circa Providenti-  
am, atque Inferos, qui in tanta quoque apud populum persuasi-  
one erant; & mentem tamen non dissimulavit, ac ne agendum  
quidem id censuit, quod scribit Plutarchus de Euripide, qui cum  
palam profiteri non auderet Deos non esse, Areopagam reveri-  
tus, introduxit Sisyphum, à quo res ipsa diceretur. Nempe,  
ut ille varias personas induxit in Tragœdiam; ita ipse varias in-  
duxit in Symposium (notus autem mos Dialogorum est) & ni-  
hil tamen tale sominavit; sed enunciavit nudè, quod sensit. Inde  
est quod D. Augustinus, *Miror, inquit, cur Anaxagoras rem factus*

Epist. 29.

1. plac. 7.

18. civit.  
41.



fit, quia Solem dixerit lapidem ardentem, negans utique esse Deum; cum in eadem civitate gloriâ floruerit Epicurus, vixeritque securus, non Solem, vel ullum Siderum Deum esse non credens, sed nec Iovem, nec ullum Deorum omnino in Mundo habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationesque perirent.

Non ergo, ut vides, ea dixit, quæ placitura populo essent, sed quæ sibi potius reipâ sunt visa; tamen si aliunde ea fuit seu ejus fortuna, seu disseminata apud populum de bonitate viri opinio (nam & qua scribebat, vanibans probitate ejus, ac moribus, quod vidimus aliâ à Cicerone observatum) ut né in tanto quidem Stoicorum odio, tantisque calumniis, ulla fuerit adversus ipsum criminatio instituta. Atque exinde quidem est, quare Lactantius, qui tam sæpe, tamque acriter in Epicurum invehitur, hac tamen in parte neque Ciceroni, neque Posidonio (quem constat aliunde Stoicorum genio fuisse animatum erga Epicurum) consentiat. Verba ejus sunt: *M. Tullius à Posidonio dictum refert, id Epicurum sensitse, Nullos Deos esse; sed ea, qua de Dijs loquutus fit, depellenda invidia causâ dixisse. Itaque verbis illum Deos relinquere, re autem ipsa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod si ita est, quid eo fallacius? quod à sapienti, & gravi viro debet esse alienum. Hic verò, si aliud sensit, aliud loquutus est, quid aliud appellandum est quàm deceptor, bilinguis, malus, & propterea stultus? Sed non erat tam versutus Epicurus, ut fallendi studio ita loqueretur, cum hac scriptis ad eternam memoriam consignaret, sed ignorantia veritatis erravit.* Dicendum proinde; licet Epicurus in ipsa naturæ divinæ descriptione erraverit; videri illum non malitiâ, sed ignorantia lapsum fuisse. Commune ipsi peccatum fuit cum Philosophis cæteris, qui vera luce destituti à tramite recto variè deflexerunt; aded, ut si interpretatio adversus Epicurum valeat, valitura similiter adversus omnes alios sit, neque ullus futurus sit, quem non accenseas Atheis, quod suo quisque modo peccarit. Stoicos præ aliis citarem, propter Posidonium, Balbum, Epicterum; sed res progrediendo fiet manifesta.

Ad rationes ut accedamus, quibus demonstratur Dei existentia, non est, cur omnes consecremur, quarum sunt plena Volumina; duas, quas proposui attingere sufficere; cum & cæteræ ad eas possint non incommodè revocari. Et prior quidem ex Anticipati-

ne generali deducitur; posterior ex rerum Naturæ, tantique effectus, quantus Mundus est, accurata contemplatione. Priorem supposui ejusmodi esse ut cum posteriore virtute contineat, excusandus Epicurus non sit, qui illam admittens istam repudiarit. Ut igitur primum de priore dicamus, ecce ut ipsam Vellejus apud Ciceronem deducat, *Vidit Epicurus esse Deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura.* *Qua est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πεδοληψιη Epicurus?* Et statim post: *Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus; intelligi necesse est, esse Deos, quoniam in fitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Quibus in verbis id quidem peccatur, quod ille Deos dicat, non Deum, sed hoc interim satis est, quod natura quædam divina ex anticipatione illa generali omnium gentium intelligatur. Id mirum, quorsum Cicero sub persona Cottæ ista elevet, dicens Velleij argumentum esse cum leve per se, tum etiam falsum. Nam, si leve, cur hæc aliàs est Ciceronis ipsius sententia? *Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.* Si falsum, cur hæc alibi, *De hominibus nulla gens est, neque tam immanis, neque tam ferrea, qua non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere debeat, tamen habendum sciat?* Itèmq; *Multi de Dijs prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim & naturã Divinã arbitrantur.*

Ac adjicit quidem sub eadem persona, *Arbitrari se multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* Verum utcumque id concedatur; quippe & temporibus illis quidam populi perhibentur Dei cognitione caruisse, ut in Hispania, ac Æthiopia, quod à Strabone memoratur; & in deserto nuper Orbe nationes quædã inventæ sunt, apud quas nulla de Deo opinio vigere observata sit; quod primæ quidè Relationes de Meridionali parte; nuperæ etiam de Septentrionali, in qua nostri sunt, attestantur. Ut cõcedatur etiam non modò paucos homines illos à Cicerone enumeratos, Diagoram, Protagoram, Theodorum; sed plureis etiam alios fuisse Atheos (quippe & Platoni semper aliqui, licet nunc plures, nunc pauciores) ac posse ipsis accenseri, quod ille accenser, sacrilogos,

legos, impios, perjuros, quibus Deus curæ non est : Attamen responderi potest hosce omneis comparatos ad universitatem generis humani tantillum esse numerum, ut pro monstro habendum sit, quodd illi cæterorum omnium multitudini non consentiant. Certè enim, ut quantumcumque aliqui hominum mutili nascantur, aut fiant, hoc non obstat quin homines dicantur habere ab ipsa natura suorum membrorum integritatem; ita quantumvis aliqui aut nascantur, aut fiant Athei, non obstat hoc tamen, quin homines habeant ab ipsa natura impresam quandam noticiam Dei. Siquidem, ut illæ sunt veluti quædam aberrationes à regia via, quæ non idcirco aut aboletur, aut minus trita redditur, sic impiæ istæ opiniones sunt quædam semitæ deflexæ à generali tramite, qui non idcirco evanescit, aut minus frequens efficitur. Itaque paucorum exceptio propositionem non vitiat; neque opinio aliquorum Deum non agnoscentium magis facit, ut anticipatio, quæ de Deo habetur, naturalis non sit, quàm cæcitas aliquorum lucem non videntium, ut quæ videndæ lucis facultas habetur, non sit naturalis. Ex quo proinde inferre licet, quemadmodum constat esse lucem, quatenus omnes homines, si paucos cæcos exceperis, pro ea, quam habent, facultate lucem & percipiunt, & esse pronunciant : Ita constat sane Deum esse, quatenus omnes homines si paucos Atheos exceperis, pro ea, quam habent, Anticipatione, Deum esse agnoscunt, atque profitentur.

10. de leg.  
1. cæli 3.  
Epist. 117.  
in amator.

Haud abs re proinde & Plato, & Aristoteles, & Seneca, & Plutarchus, & cæteri, quotquot Sapientes habentur, hac, ut firmissima ratione probant Deum existere, *ὅτι πάντες Ἕλληες τε, καὶ Βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι θεός*, *Quod homines omnes tam Græci, quam Barbari Deos esse existimant* : Siquidem manifestum est, quæcumque opiniones aut falsæ, aut arbitrariæ sunt, eas neque esse universales, neque diu perseverare, opinionem verò de Dei existentia eam esse, quæ non modò diffusa sit ubique terrarum, sed ab omni etiam ævo existiterit, neque possit ullum perhiberi tempus, ex quo homines fuisse memorantur, in quo non perinde apud illos vigerit. *Hominiun commenta delet dies*, inquit Cicero, *natura judicia confirmat* : cum verò dies, hoc est, series omnium omninò sæculorum opinionem hanc non

non deleverit, sed potius confirmaverit, confirmareque etiamnum pergat: est-ne cur commentum hominum dicatur, non vero ipsius naturæ iudicium? Neque objicias non eandem semper, aut ubique gentium opinionem de Deo haberi; nam id potius probat, quod intendimus, scilicet existere Deum. Siquidem, quod variaz de Deo opiniones & fuerint, & sint; hoc arguit plerumque & intervenisse, & intervenire hominum commenta; at quod omnes interim, quicumque de Deo varia sentiunt, in eo consentiant, quod Deus sit, ipsa opinio, quod Deus sit, naturæ iudicium esse declaratur. Idem nempe est, ac si requiratur, Sit-ne Sol in Mundo, an-non? Quippe quantumvis variaz fuerint, ac sint de Sole opiniones; dum aliqui faciunt lapidem ardentem, aliqui scapham lucis plenam, nonnulli facem, quæ manè accendatur, exstinguatur vesperi, sexcentaque similia; cum in eo tamen omnes consentiant, quod Sol sit; illa opinionum varietas Solis existentiam non tollit; pari prorsus modo intelligitur, posse quidem plerasque illas, quæ de Deo sunt opiniones, ab institutis, moribus, insomniis hominum pendere; at quod interim Deus sit, fuisse præclare ab Epicuro dictum, *non esse opinionem aut instituto aliquo, aut more, aut lege constitutam*. Præclare verò etiam Aristoteles ad hanc rem, postquam recensuit ea, quæ forent à Majoribus de Diis tradita, & fabulosè ad legum, utilitatisque opportunitatem adjecta, ut quod Dij forent homini-formes, similesque aliorum Animalium, censuit divinè fieri, si id feligatur, quod Dij sint, & primæ quidem substantiæ; neque enim talem opinionem sic posse intercidere, quin semper illius remaneant *οἶον δειψανα* *quadam quasi reliquiæ*, cujus operâ quasi revivifcat.

Ac videas quidem esse nonnullos, quales Plato redarguit (& *loc. cit.* cujusmodi existisse Euripidem meminit Plutarchus, Empiricus Critiam) qui dicant, ut verbis Ciceronis utar, totam de Diis immortalibus opinionem confictam esse ab hominibus sapientibus Reipublicæ causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium Religio duceret. Attamen neq; Critias, neq; Euripides, neq; quicumq; hoc sunt commenti, illis fuere temporibus, ad quæ commentum retulerunt. Nam Minos quidem, & alij Legumlatores memorantur, qui multa de Diis à sese conficta introduxerint, at nemo fuit eorum

rum, quo non fuerit opinio de Diis antiquior, quique proinde aut opinionem de Deo existente introduxerit, & non potius specialē eultum, prout magis conducere fuit arbitratus, invexerit. Unde, & quidem pro Legum-latorum votis, ut homines persuaderentur, esse vim quamdam, & naturam Divinam, quæ omnia pervadens, & omnibus præsens, etiam secretiora scelera cognosceret, eorumque pœnas exigeret; nempe, ne clam etiam illa agerent, ob quæ ignota hominibus, ipsis hominum legibus, ac pœnis obnoxij non forent; verum ut talem persuasionem inducerent, opus non fuit, quippe quæ prius exstiterat, sed fovendam solùm censuerunt, tum fabulis plerumque narrationibus, tum ritibus superstitiosis.

Videas quoque esse, qui dicant cum Euhemero, non alios primùm Deos innotuisse, quàm potentiores, calidioresq; inter homines, qui tyrannidem primùm usurpârint, ut Jupiter, & alij; quod est apud Empiricum. Verum isti quoque ea dicunt, quæ probare haud-quaquam possunt. Neque enim, qui illi fuerint potentiores, atque tyranni in annalibus, aut historiis habent. Quod spectat verò ad fabulas, patet qua fide habendum sit, quod juxta illas traditur; & utcumque homines fuerint, qui Dij haberi voluerint, necesse est, præcesserit de existentia Deorum opinio, quibus conscribi affectârint. Siquidem hæc aliàs opinio non venisset ipsis in mentem, & non induisset eam populus, nisi præ habuisset, ad quam collinearet. Heinc, quod factum est circa Apotheoses Imperatorum Romanorum, idem reputandum est factum circa Apotheoses Jovis, Osiridis, & cæterorum, quibus voluere homines deferre honores divinos; nempe, ut Dij supponerentur, priusquam illi Dij fierent, qui ob egregia merita immortalitate digni viderentur. Quòd Jupiter autem temporis progressu fuerit Rex Deorum habitus, non tam fuit collatio Divinitatis summæ in Jovem, qui homuncio fuerat, cujusque sepulcrum, ex eodem Euhemero monstrabatur in Creta; quàm fuit translatio nominis Jovis in summam ipsam Divinitatem, de qua opinio existiterat apud homines, ante natum Jovem.

Videas rursus esse, qui dicant cum Prodicò, non alios primùm habitos Deos, quàm res vitæ utiles, ut Solem, Lunamq; imprimis, *ἡδὲ, καὶ τὴ θείην, Deos à currendo* (quod Plato notavit) per æthera, dictos;

dictos; itèmq; terram, mare, fluvios; similiterque Cererem, Bacchum, Herculem, alios, à quibus boni quidpiam inductum, aut mali quidpiam abductum fuerit; quod citatus Empiricus, Ciceròque. & alij habent. Sed hæ quoque meræ conjecturæ sunt; neque primorum temporum, quibus hæ res contigerint, ulla apud ipsos exstant monumenta. Etenim, licet Timæus docens primos Deorum emerfisse Oceanum, Salaciam, &c. credendum velit hac de re prisicis illis hominibus, qui sese progeniem Deorum dicerent, suos progenitores nossent, & de rebus sibi notis loquerentur; ut & Plato scripsit, & Cicero interpretatus est: nihilominus id est fabulosius, quàm ut refutationem mereatur; cum & ipsi Diis geniti nullam sui fidem fecerint, aut reliquerint; & exstiterint alij, qui se opposita vidisse, accepisseque fuerint commenti. Heinc, cum nihil sit dicendum de Baccho, Cerere, & cæteris Diis, qui posterius longè vixerunt, & de quibus constat idem esse quod de ipso Iove dicendum, addiderim solùm, ob res naturales, potuisse quidem homines aliquas ipsarum habere in Diis, quòd essent vitæ utiles, sed nempe ob illam anticipationem, quòd natura quædam divina existeret, quæ bona cum esset, prodeffet; ac exinde esse, ut unusquisque illud maximè habuerit in Diis, quod reputavit maximè bonum. Neque verò, tamen si Sol fuerit Deus dictus, *ἄπὸ τῆς ἵεριν*, quod est *currere*, sive *ἄπὸ τῆς ἵεῖαδξ*, quod est *videre*; non idcirco fuit, antè id nomen institutum, credita natura, cui id deinceps tributum sit; eo modo, quo dictum est de nomine Jovis, *τῆς Ζηρός*, quod & Latinis à *juvando*, & Græcè *ἄπὸ τῆς ζῶν*, à *vivendo* deductum constat. Addo autem, cum ipse Sol tam sit, quàm homines antiquus, fieri potuisse ut non parum ad anticipationem contulerit, & utcumque Deus ab initio usq; reputatus non fuerit; heinc saltem haberi, quòd ipsa de Divinitate opinio, sit omni hominum instituto, & more, ac lege vetustior.

Videas postremò esse, qui illud cum Petronio in ore habeant:

*Primus in orbe Deos fecit timor, ardua calo*

*Fulmina cùm caderent.*

Aut illud etiam accinentis alterius:

*Invenit metus ipse Iovem, cui fulmina dextra*

*Assignant, ac tela nigris humensia nimbis,*

A a

Pontan. de  
stell.

Et

*Et cælo resonante, levis per inania curvus*

*Hæc iras Iovis esse canis longævus Haruspex.*

Verùm ista denique mera, ac inutilia figmenta sunt. Quippe non huiusmodi timor opinionem de Deo fecit; sed opinio præhabita, quòd Deus esset, timorem incussit. Nunc etiam, cùm multos ad fulmen, tonitrùque paventis, Deùmque invocantibus vides, putas-ne id faciunt, quòd fulminis metus primam de Deo notitiam mentibus eorum suggerat, & non potiùs velut admoneat, ut Deum, cuius habent notitiam, implerent, rati ipsum posse aut non inducere, aut avertere, quod impendet malum, idque interdum facere, dum vota admittit, precèsque exaudit? Quid ni ergo potiùs ita semper factum? Maneat igitur esse in hominibus insitam quandam, seu anticipatam de Deo notitiam; ipsàmque idoneum esse argumentum, quo existere Deum comproberetur.

Dicendum solùm hæc superest quam ratione ingeneretur huiusmodi Anticipatio, ac primum quidem, dici potest tum ingenerari, cùm mens generatur, seu fit; quatenus est capacitas, sive appetitudo in mente, ut prima quaque occasione ad agnoscendum Deum, sive existentiam naturæ divinæ feratur. Quo loco non Aristoteles modò, & alij, qui volunt mentem esse tabulam rasam, occasione quadam esse opus censent, ut Dei notio exciteretur; sed Plato quoque, & alij, qui volunt mentem ita esse divinæ particulam auræ, ut tametsi omnia esse divina noverit, oblivionem tamen, dum in corpus demergitur, contrahat; neq; nisi variis occasionibus, reminiscenciam adipiscatur, Nos etiam, qui fatemur Deum signasse lumen vultus sui super nos, dum nos ad sui imaginem, & similitudinem fecit, simul fatemur, ad hoc, ut liceat talem vultum agnoscere, occasione nos indigere. Deinde dici propriè potest ingeneratio tum fieri, cùm primum occasione sese offerente, efformatur in mente species quædam, seu imago supremæ cuiusdã, & immortalis, beatæque naturæ, quam censeamus existere. Scilicet talis est *περὸληψις*, *Anticipatio*, seu *Prænotio*, ad quam deinceps respectamus, ut declaratũ suo loco est, seu de Epicuri Criteriis cùm ageretur. Ut de occasione verò dicamus; repetendum est, omnem Anticipationem ortum habere à sensibus, ἢ αἰσθητικῶς, ἢ ἀναλόγως ποῖς αἰσθητικῶς, seu *comprehensione, seu comparatione ad res comprehensas.*

Videlicet

Videlicet cōprehensione gignitur, ac inhæret menti species Equi, qui in visum incidit, seu comprehensus à visu est; comparatione verò species Equi instar montis concepti; quem nempe licet visus non comprehenderit, mens tamen ipsa intelligit, dum Equi comprehensi amplificat speciem, & servatâ quidem proportionem partium, ac referendo caput ad caput, pedes ad pedes, &c. Et ad Anticipationem quidem, quæ comprehensione fit, ratio non exigitur; ipsa enim sponte, & directè creatur. Ad illam verò, quæ comparatione, ratiocinatio quædam intervenit; quippe ea est propriè, quam gigni Epicurus dicit *συμβαλλομένη πῆ τῷ λογισμῷ*, *conferente quidpiam ratiocinatione*. Cùm Epicurus porro dicit *θεῶς λόγῳ θεωρηταίς*, *Deos ratione*, seu mente *cerni*, esse *contemplabileis*; declarare satis videtur Anticipationem naturæ Divinæ non comprehensione per sensum, sed comparatione ex iis, quæ fuerint per sensum comprehensa, creari.

Jam verò ista, quæ per sensus comprehenduntur, occasiones sunt, quæ nos ad formandum de Deo Anticipationem inducunt. Cùm sit autem duplex potissimum sensus, auditus scilicet, ac visus, inserviens ad id muneris; perspicuum est primò, notitiam de Deo haberi posse ex Auditu, quatenus quopiam describente, pronunciantèque esse Deum, is qui audit, format conceptum in mente, prout describi Deum percipit, & assentitur pronuncianti, quem fide dignum arbitratur. Ubi notandum, debere quidem Auditorem habere anticipationem rerum vocibus subjectarum, ut cùm alius dicit Mundi Principem, Conditorum cæli, & terræ, Ens supremum, &c. nôrit quid sit Princeps, quid Mundus, quid conditor, quid cælum, quid alia per sensum comprehensa; sed orationem tamen dicentis, quatenus per aurem comprehenditur, esse proximam occasionem, qua Mens inducitur ut formet notionem cujusdam naturæ, quæ in Mundo sit, ut Princeps in regno; quæ cælum, & terram condiderit; ut artifex domum, & similia. Notandum rursus, tum primùm quidem persuaderi auditorem talem Naturam, seu Deum esse; sed facere id tamen ex quadam anticipationem, qua præjudicavit & viro gravi fidem habendam, & illum, qui dicit, esse virum gravem. Perspicuum secundò, notitiam de Deo haberi posse ex visu; quatenus etiam nullo monente, potest



mens exiis, quæ sunt per visum comprehensa, conceptum de Deo formare, seu tanquam Principe, quo non possit magis Mundus, quàm Respublica carere; seu tanquam Imperatore, quo, ut exercitus, sic Mundus indigeat; seu tanquam Governatore, qui Mundum, velut navim regat; seu tanquam Chorago, qui parteis Mundi, ut chori moderetur &c. Ubi etiam notandum, debere quidem mentem esse omnium quoque hujusmodi rerum anticipationibus informatam, sed considerationem tamen, reflexamve notitiam perfectionis Mundi, partiumque ipsius, esse proximam occasionem, qua mens excitatur, ut Mundi cum aliis rebus comparisonem instituens, notitiam efformet cujusdam naturæ, quæ sit Mundi præses, ut cæterarum præsides sunt. Notandumque similiter, tum primum quid subire illam cogitationem, quod Deus sit, sed subire tamen juxta prænotiones, quibus præjudicatum habet, non esse ordinem sine ordinante, aut simile aliud Effatum, ex quo vim habet ratiocinatio, qua Deum esse argumentatur.

Habes exinde duplicem, ipsamque generalem viam, qua ad cognitionem Dei pervenitur. Altera dici potest Fides, altera verò Ratio. Non quod in priore non possit ea saltè ratio intervenire, quod inferamus Deum esse, quia is, qui dicit, fidem meretur, & in posteriore non possit etiam vir gravis intervenire, qui nos rationis admoneat; sed quod in priore, id, quod nos propriè ad assensionem inducit, sola dicentis autoritas sit, in posteriore sola ratio. Cæterum, cum duplex Autoritas sit; alia Divina, alia Humana; gratiæ Deo habendæ sunt, quod sit dignatus ipsemet sui-ipsius facere fidem, tum Patres primos, ac deinceps alios interdum proprio alloquio instituentis; tum afflatu suo Prophetas, qui aut per seipso, aut per propagatam à se doctrinam nos docerent, erudiens, tum inspiratione in menteis speciali, sui ipsius notitiam imprimens, reparans, aut fovens: his scilicet modis revelari voluit, ex quo est Divina, seu revelata autoritas. Ad Humanam quod attinet; ea quidem etiam donum est Dei, sed generalius, & cujus voluit participes fieri omnes homines, quatenus nulla Natio est, apud quam ob Dei mentionem passim inter homines factam, non liceat statim addiscere Deum, seu naturam divinam esse. Ac putant quidem Ethnici habere se etiam Divinam, quatenus & ipsi

Deorum

Deorum colloquia, Sibyllarum oracula, afflatus in somnis, ali-  
aque prætendunt: Verùm ea non debet reipsâ plusquam huma-  
na existimari, quòd colloquia fabulæ sint, oracula imposturæ,  
afflatus deliria; & vates universè omnes fuerint dumtaxat homi-  
nes, ac paucis exceptis, qui esse insani, simpliciter-ve potuerint,  
& de Deo juxta habitas prænotiones loquuti fuerint, nihil aliud,  
quàm callidè suas, de quibus infra dicitur, imposturas confar-  
cinârunt; illas nimirùm Dei notitiæ, quam & ipsi habebant, &  
esse apud populum receptam nôrant, accomodantes. Utcum-  
que sit duos quoque modos agnoscens Aristoteles, unde homi-  
nes Dei notitiam habuerint, videtur posteriorem eundem cum  
Ratione sic facere, ut prior non aliud, quàm Authoritas sit, sive  
eam divinam sive humanam dicas. Videlicet verba Empirici

*sunt: Dicebat Aristoteles Deorum notitiam apud homines ex duplici ca-  
pitate esse; nempe & ex ijs, qua in anima eveniunt, & ex rebus sublimi-  
bus. Et ex ijs quidem, qua in anima eveniunt, propter divinos in somnis  
afflatus, & divinationes. Quando enim, inquit, anima in somnis per  
seipsam fuerit, tunc propria receptâ naturâ & divinas, & futura predicat.  
Talis verò etiam est, dum in morte à corporibus separatur. Admittit au-  
tem & Poëtam Homerum, ut qui id observaverit. Fecit enim Patro-  
clum quidem prædicentem mortem Hectoris, & Hectorem rursus Achilles.  
Ex hijs ergo, inquit, suspicati sunt homines Deum esse aliquid, quod ex se  
anima simile, rerum omnium scientissimum sit. Ex rebus autem sublimi-  
bus, quoniam homines contemplati, interdum quidem Solem, noctu verò  
tam bene institutum caeterorum Siderum motum, existimarunt Deum esse  
quemdam, qui motus, atque ordinis hujuscemodi causa foret.*

Videri posset Epicurus habere quiddam simile; sed circa ea  
quidem, quæ eveniunt in anima, non ad divinationem, sed ad  
quasdam magnas, continuòque affluenteis imagines recurrit; &  
circa sublimia, eam, quam par fuit, ac operæ-pretium, conse-  
quutionem non deduxit. Et quod ad Imagines quidem spectat,  
illa heic prætereo, quæ habet Vellejus, cum de earum conditi-  
one, & affluxu loquens, docet *in eas intentam mentem, infixamque  
intelligentiam capere qua sit beata natura, & aeterna;* quippe illa erunt  
declaranda inferiùs occasione Appendicis ad primam ex Ratis Sen-  
tentiis, ubi Laërtius citat Epicuri locum ex quo ea videntur à Velle-

*ibid.*

lejo desumpta. Satis illud esto, quod Empiricus ex Epicuri sententia habet : *Ἐκ τῶν κτ' ἐπὶ ὑπνῶν φαντασιῶν ἐπὶ ἀνθρώπων ἐννοίας ἑσακέιναι θεῶν. Μεγάλων γὰρ εἰδῶλων, φησὶ, καὶ ἀνθρωπομορφῶν κτ' ἐπὶ ὑπνῶν παρὰ πλόντων ἑώρασαν, καὶ κτ' αἰθερίας, ἑώραχεν πῶς ποίητος θεῶν ἀνθρωπομορφῶν, Homines ex somniorum visis hausisse Dei notitiam. Magnus enim, inquit, & humanâ formâ imaginibus per somnium incurrentibus, existimârunt esse reverâ aliquos hujuscemodi Deos humanâ formâ pradios* Sic verò & Lucretius de hominibus primis loquens:

*Quippe etenim jam tum Divûm mortalia sæcla*

*Egregias animo facies vigilante videbant,*

*Et magis in somnis mirando corporis auctu.*

Quo loco, cum duo quæri possent; unum, talè-ne facies simulacra Deorum essent, alterum, quomodo ex illis Dijs esse intelligerentur: Constat circa prius, neque Epicurum, neque Lucretium dixisse unquam seu facies, seu simulacra esse Deorum, qui si dixissent, pugnassent sanè cum Deorum immortalitate; quod à Cicerone, & B. Augustino ( dum ita & putant, & interpretantur ) objicitur: Nempè, cum talia simulacra avolare à Dijs deberent, quasi tenues membranulæ, non posset infinito ævo non exhauriri tandem substantia, è qua volebant Deos constare. Censuere ergo potius esse hominum simulacra, seu ea ex hominum quorundam giganteorum, procerorumve corporibus derepta forent, seu calu aliquo formata prout suo loco declarabimus. Ejusmodi quoque possunt videri existisse illa simulacra, quæ Democrito asserta apud Ciceronem, & Epicurum observantur, sed immorandum in hoc non est. Circa posterius, hoc solum dico, existimasse Epicurum, potuisse primos homines non tam in somnis, quam cum inter vigilandum meminissent, apparuisse sibi in somnis præclaras illas imagines; aded grandeis, aded tenuis, aded coherentis; potuisse, inquam intelligere, nihil repugnare, imò oportere, ut exstarent alicubi confimiles ipsis naturæ, quæ, & sensus, seu intelligentiæ capaces forent:

*Hû igitur sensum tribuebant, propterea, quòd*

*Membra movere videbantur, vocèsque superbas*

*Mittere, pro facie præclara, & viribus amplis.*

Et immortales essent ,

*Eter-*

*Æternamque dabant vitam, quia semper eorum  
Suppeditabatur facies, & forma manebat  
( Et manet omnino ) & quod tantis viribus auctos  
Non temerè ulla vi convinci posse putabant.*

Et Beatitudine fruerentur :

*Fortunisque idèd longè præstare putabant,  
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum :  
Et simul in somnis quia multa, & mira videbant  
Efficere, & nullum capere ipsos inde laborem.*

Commentitium porrò est quidem deductam fuisse primam notitiam, anticipationemve naturæ divinæ ex huiusmodi simulacris; sed interim tamen duo tenenda sunt; unum, quomodocumque tandem Anticipatio habitæ fuerit, habitam fuisse aliquam; alterum, undecumque tandem illa attributa intelligentiæ, immortalitatis, beatitudinisque eruantur; ea nihilominus vera esse.

Jam aliud Aristotelis caput, quod *res sublimeis* attinet, est propriè illa altera via, quæ præter Authoritatem superest; atque idcirco non aliud est, quam Ratio illa posterior, quam initio sic diximus ab Anticipatione distingui, ut revocari ad ipsam possit. Non fuisse porrò hanc Rationem ipsi Epicuro ignotam, intelligi licet ex ipso Lucretio, qui præter modum jam recitatum quæsitæ Dei notitiæ, subdit :

*Præterea cæli rationes ordine certo,  
Et varia annorum cernebant tempora verti;  
Nec poterant, quibus id fieret cognoscere causas.  
Ergo per fugium sibi habebant omnia Divis  
Tradere, & ipsorum nutu facere omnia flecti :  
In cæloque Deum sedeis, & templa locarunt,  
Per cælum volvi quia Sol, & Luna videtur,  
Luna, dies, & nox, & noctis signa serena,  
Noctivagæque faces cæli, flammaque volantes,  
Nubila, nox, imbres, nix, venti, fulmina, grando,  
Et rapidi fremitus, & murmura magna minatum.*

Quo minùs excusandus est, quod hæc ipsi non fuerit Anticipationis occasio germanior; ut unâ operâ agnosceret Deum & esse, & primam Causam esse. Sanè verò, cum spectata hac tam  
mira-

tam mirabili rerum facie non esse intellexit, ratiocinatusque est Causam Productricem, & Restrictivam rerum, ne suis quidem præceptis paruit, juxta quæ hæc ipsi consequutio deducenda fuit. Cùm referente enim Cicerone argumentandi principium illi fuerit *ισονομία*, *aquilibrata*, seu *aqualis tributio*, juxta quam uno contrariorum, aut relatorumposito, poni alterum sit necesse; negari profectò non potest, quin mirificus sit ordo in Mundo; quippe Siderum conversiones, vicissitudines tempestatum, successiones generationum, dispositiones, & usus partium; omnia, uno verbo, quæ in Mundo sunt, clamant ordinem, declarantque Mundum esse ordinatissimam compaginem. Quæso igitur, cùm sit Ordinatum, non-ne debet quoque esse Ordinans? Et, nisi heic *ισονομία* valeat, ubi-nam tandem habebit locum? Asserere certè Casum, Fortunamve causam esse ordinatricem, est ipsum principium, seu *ισονομίαν* evertere. Casus enim, sive Fortuna, tum nihil est; tum si quidpiam dici mereatur, res est cæca, expers consilij, ordinis non intelligens, ac potius confusionis parens. An ergo erit *ισονομία*, nisi talis causa esse colligatur ex effectu ineleganti, temerario, iucomposito, & confuso? An verò talis Mundus est, aut agnosci potest, nisi ab eo, qui sit cæcior ipsâ Fortunâ?

Valet porrò principium, & deducta ex illo Ratio, non modò adversus Epicurum, qui saltem aliunde & Deum esse docuit, & Mundum factum voluit; verùm etiam adversus illos, qui & Deum negant, & Mundum esse infectum putant. Quasi cogitare quis debeat, cùm tanta in Mundo dispositio sit, qui disposuerit, neminem fuisse. Qui dispositorem certè profitetur, argumento habet, hanc ipsam, quam observat, dispositionem: at qui inficiatur, argumento caret; cum quicquid demum assumpserit, ipsa semper obstat, ac præponderet dispositio. Excogitabit Mundum habere dispositionem à seipso? Sed nimirum excogitabit; non rem, quam norit, constituet; & assertioni, cujus sit manifesta probatio, opponet figmentum, quod probari non possit. Quomodo enim quis unquam prober aut esse, aut habere Mundum dispositionem à seipso? An qui id dicit, semper fuit; aut accepit ab aliquo, qui ab æterno cum fuerit, potuerit esse testis idoneus, cui dicenti Mundum talem semper fuisse credatur? At nemo etiam est, inquit, qui possit fuisse olim factum,

factum; sive dispositum testari. Id esto. at saltem non est, quod ad testis spectat, facta causa potior; & cum quærenda supersit ratio, is, qui esse Mundi factorem, dispositoremque tuetur, argumento habet innumeras res, quæ omnes concinnam dispositionem obtineant, & nullam tamen à seipsa, sed ab authore aliquo sapientissimo habeant: Qui verò negat, nihil tale habet, & ad summum, proferre id, de quo est controversia, potest. Dicit aliud esse agere de toto, aliud verò de partibus: sed inde quoque ipsi ruina. Quippe alteri argumento erit, quòd si eadem ratio totius, quæ partium, ut nimirum colligat; si quæ dispositio in partibus est, ab alio est; debere quoque ipsum totam illam, quam habet dispositionem habere ab alio. Ipsi autem nullum argumentum suppetet, nisi rursus illud, quod quæritur,umat.

Ut paucis dicam, cum omnis dispositio sit opus rationis, & consilij; debet necessario res disposita esse quid distinctum ab eo, cujus consilium, & ratio est. Quoniam quod ratione, & consilio fit, nondum est; & quod nondum est, id consilio, & ratione agere non potest. Exigitur ergo, ut sit aliud quid, quod rem dispositam præcedat, & consilio, ac ratione polleat, qua ipsam disponat. Itaque, quoniam est in Mundo dispositio, seu opus rationis, & consilij, necesse est, præter Mundum sit aliquid, in quo consilium, & ratio sit, quodque Mundo eam, quam habet, dispositionem præbuerit. Igitur ipsum potius à seipso est, ac proinde etiam necessariò est; quippe, cum semper esse debuerit, neque factum esse potuerit ut esset, à quo pararetur Mundus. Non est igitur à se Mundus, neque quicquid in Mundo est; sed ab illo uno quem dicimus Deum, qui- que proinde dici possit & Causa prima, & Primus Motor, & Fons totius Esse, & Origo omnis perfectionis, & Summum Ens, & Mundi Princeps, &c. Quamobrem & tam est necesse intelligi existere Deum, quam necessarium est Mundi ordinem fieri attendenti perspicuum; *Neque in debere ignosci, ut Sapientis verbis id dicam, qui sap. 13. cum tantum potuerint scire ut possent astringere saculum, non huius Dominum facilius invenerunt: quippe: à magnitudine speciei, & creatura poterat cognoscibiliter creator horum videri. Et Lactantius meritò docet, neminem lib. 1. cap. 2 esse tam rudem, tam feris moribus, quin oculos suos in calum tollens, tametsi nesciat cujus providentia regatur hoc omne, quod cernitur; non aliquem tamen*

esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majore aliquo sit instructum. Porro autem, ut & prior illa ex Anticipatione ducta Ratio, illustretur amplius, & posterior hæc ex ipsius Mundi contemplatione confirmetur uberius, & quæ adversus ipsam solent, aut possunt objici solvantur commodius; res est specialius Capitibus insequentibus deducenda.

*Quæ in hoc Capite dicuntur de Dei natura corporea vide pag. 72. & seq. Quod Deum nihil nec sui, nec alieni curare, nec ira, nec gratia teneri, nihil agere, non esse in mundo, & similia, Vide pag. 107. & seq.*

## P E T R I G A S S E N D I

### ANIMADVERSI O III.

#### De usu Partium in Animalibus.

**V**erum ut modam tandem faciamus, quæstionemque præmittamus, quæ suboriri hoc loco posset de principatu partium, quando ea est intelligenda ex dicendis inferius de ipse ipsa sede r̄s, *partis animæ principis*; age attingamus potius celebrem de usu partium difficultatem, ob opinionem Epicuri, quæ tollerari ab iis non valeat quibus est Divina providentia cordi. Is scilicet apud Laætantium, *Nihil, inquit, in procreandis animalibus providentiæ ratio molita est: nam neque oculi facti sunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes ad ambulandum, quoniam prius hæc nata sunt, quàm esset loqui, audire, videre, ambulare.* & alio loco apud eundem ejus sententia rursus est, *Neque oculos ad videndum esse natos, neque aureis ad audiendum, neque pedes ad ambulandum (quoniam membra hæc prius nata sunt, quàm esset usus videndi, & audiendi, & ambulandi) sed horum omnium officia ex nativitate extitisse.* Heinc proinde Lucretius:

*Illud*

*Illud in his rebus vitium vehebenter, & istum  
 Effugere errorem, vitæque præmeditator,  
 Lumina ne facias oculorum clara creata  
 Prospicere ut possimus, & ut proferre vias  
 Proceros passus, idèd fastigia posse  
 Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari.  
 Bacchia tum porrò validis ex apta laceritis  
 Esse Manûsque datas utraque à parte ministras,  
 Ut facere ad vitam possimus quæ foret usus.  
 Cætera de genere hoc inter quæcumque pretantur,  
 Omnia perversa præpostera sunt ratione:  
 Nil idèd quoniam natum est in corpore, ut uti  
 Possemus, sed quod natum est, id procreat usum.  
 Nec fuit ante videre oculorum lumina nata,  
 Nec dictis orare prius, quàm lingua creata est:  
 Sed potius longè, linguæ præcessit origo  
 Sermonem, multòque creatæ sunt prius aures,  
 Quàm sonus est auditus, & omnia denique membra  
 Antè fuere, ut opinor, eorum quàm foret usus.  
 Haud igitur potuere utendi crescere causâ.*

Nimirum hanc sententiam Epicurus accommodavit suis de Rerum ortu Principiis. Qui enim censuit Animalia casu quodam in prima rerum procreatione genita fuisse, opinatus est consequenter totam membrorum varietatem dearticulationemque ex Atomorum fortè fortunâ ita concurrentium, atque commistarum dispositione exstitisse. Quamobrem neque ullam fuisse intelligentis Naturæ solertiam, quæ cutim, ossa, venas, nervos; quæ caput, oculos, manus, pedes; quæ cetera omnia conformans ad sineis certos, seu functiones partibus congruas respexerit; sed singulas parteis ita delineatas, coadunatasque fuisse quadam materiæ necessitate (talibus nempe, ac tali modo concurrentibus Atomis) ut si nullius deinde usus futuræ participes fuissent. Quippe & naturam Divinam ab hoc ministerio fuisse absolutam, & non præexistisse exemplar, ex cuius intuitu, ac imitatione res perageretur. Porrò, quòd ipsa Animalia spiritum in se continerent (hoc est, queindam veluti florem substantiæ subtilissimum; seu quandam mobilissimarum, ac propter meatus discurrerentium



tium liberè Atomorum contexturam) idè exstitisse pro membri cujusque conformatione, cujusque motum; neque enim potuisse, quæ erant diversimodè conformata, non diversimodè moveri; ut non possunt diversæ tibix non diversos edere, eodem spiritu transcurrente, sonos. Et quia facta intus specialis Atomorum contextura erat anima, eaque sensus capax, idcirco effectum, ut vis animæ certo membro applicita certâ ratione senserit, sicque in oculo viderit, in aure audierit, in nare odorata fuerit. Effectum etiam, ut sensu tamis, ob exsolutionem spirituum, variarumque particularum dissipationem vigente, os apertum contigerit, in quod cibus assumere-tur, qui in subjecto, ac satis capace ventriculo coctus, & per appo-sitos meatus in omneis parteis distributus, jacturam factam refar-ciret. Uno verbo, non membra facta ex destinatione ad usum; sed membris casu sic genitis, oblatum usum arreptum fuisse. Ostendi idem etiam-num in Animalibus tam multis, quæ sponte è terra proveniunt; nam quod ad ea quidem, quæ oriuntur ex semine, naturam, ut jam dictum est, sese veluti quodam habitu do-cuisse, ad faciendum ea, quæ casu semel fecerit; quemadmo-dum aqua per avileum, quem fortè fortunâ excavavit, fluit. Et quoniam stupendum tamen videbatur, quæ possent tanta Anima-lium varietas sic fuisse casu conformata, ut nulli deesset ea delineatio, coordinatióque partium, quæ videri posset necessaria esse ad obeun-dum munera naturæ suæ consentanea; vidimus jam antè respondisse illum innumeras fuisse Animalium formas, quæ initio eruperint; sed paucas duntaxat ex ipsis potuisse nutriri, servari, sese propaga-re; illas putà, quas contigit habere parteis sic constitutas, ut naturæ fuerint accommodatum ad sui ipsarum conservationem, generatio-nemque consimilium, usum. Cæteras enim, quibus aut deessent partes congruæ, aut quæ mutuo incongruas haberent mutuo appo-sitas, illas brevi intercidisse. Hucilla, inter cætera, spectant:

*Orba pedum partim, manum viduata vicissim,*

*Multa sine ore, etiam sine vultu cæca reperta.*

Et,

*Cætera de genere hoc monstra, ac portentia creabat*

*Nequicquam, quoniam natura absterruit auctum.*

*Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,*

*Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.*

Spe-

Speſtat quoque huc, quod ſpeciatiſſime de tendinibus manuunt, dixiſſe tam Epicureos, quam Aſclepiadas refert Galenus. Videtur, inquit, viſiſtis εἴθ' ὅπῃ παχῆς οἱ τένοντες ἐγγύοντο, διὰ τὸ εἶναι, ἢ τὰς ἐνεργείας εἶτ' αὐτῶν σφοδράς, εἴθ' ὅπῃ λεπτοί, διὰ τὸ τῆσδε ἀδυνεῖας, ἀλλὰ ταύτας μετὰ τῶσδε τῶν, εἴθ' ὅπῃ βίῳν χρεῖων ἀναγκάζεσθαι τοίας, ἢ τοίας γίνεσθαι, τὰς δ' ὄγκους τῶν τένόντων τῷ ποσῷ τὸ κινήσεως ἐπεσθαι. Τῶν μὲν γυμναζομένων, ὡς τὸ εἶκος ἀεκτινῶν τε, ἢ παχυμομένων τῶν δὲ ἀεργωμάτων, αἰτῶν φέντων τε, ἢ καπυνομένων. Οὐκ ἐπὶ βέλπον ἡ τῶν μετὰ σφοδρῶν ἐνεργειῶν ἰσχυρῶν, ἢ παχῆς εἶτ' τὰς τένοντας, τῶν δὲ ἀδυνεῖσων ἰσχυρῶν, ἢ ἀρρώστων, εἴτω διαπλασθῶσι φασι πρὸς τὸ φύσει (καὶ ἐν γὰρ αὐτῶν ἢ πῆθῆκοις χυθῶν τοιάτων δακτύλων) ἀλλ' ὡς εἴρηται πρὸς τὸν, ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθῆσαι τοῖς μετὰ γυμναζομένοις πῶς παχύτητα, διότι τρέφονται καλῶς, τοῖς δ' ἀεργῶσι πῶς ἰσχυρότητα χεῖρον ἢ τέτοις τρεφομένοις. Non quia crassi sint tendines, actiones esse validas; nec quia tenues, imbecillas; sed actiones quidem ex usibus vitæ ut tales, vel tales, cogi; ipsam vero tendinum molem sequi motionis quantitatem. Qui videlicet exercentur, bene se habent, & increlescunt, ut par est; qui vero otiosi sunt, non nutriuntur. Quamobrem, non quia melius fuerit vehementiorum functionum tendines fortes, crassosque esse, aut imbecilliorum tenues, debilesque, ita conformatos a natura dicunt (uti que enim Simiis quoque talis formari digitos) verum, ut dictum prius est, crassitiam necessariò exercitatos consequi, eò quòd præclare nutriantur; gracilitatem pigrescentes, eò quòd nutriantur deterius.

lib. I de us. part. c. 21.

Ex quibus constat Epicuro idem placuisse, quod aliis antiquioribus Aristoteles tribuit. Nam, ut nihil dicam de Democrito, quem docet finalem causam ablegasse, & referenda omnia censuisse ad ea, quibus natura utitur (seu materiam nempe, seu efficientis causas) quæ talia quidem, inquit, sunt, sed non tamen sunt alicujus gratia; nihil de ipsomet Aristotele qui agnovisse solum videtur causas τὸ ἔλκος ἢ τὸ κινήσεως, non verò τὰ λόγους, ἢ τὰ τέλει; nihil de Hippocrate qui in libro περὶ σαρκῶν singularum partium conformationem eodem modo quo Empedocles habet; nihil de Anaxagora, quem opinatum ait, esse hominem animalium omnium prudentissimum, quia manus habeat, non verò, ut Galenus addit, datæ illi manus, quia erat prudentissimus evasurus. Ecce quid ille de Empedocle habeat:

5. de gen. an. 8.

5. de gener. anim.

4. de part. an. 10.

1. de usu part. 3.

1. de part. an. 1.

*Autumavit, inquit, multa inesse animalibus, quod sic fieri contigerit in ipsa eorum generatione, veluti Spinam, exempli gratia, hac ejusmodi esse forma: quod illam propter contortionem varîe diffringî*  
 2. Phys. 8. *actiderit. Et postea de aliis simul Philosophis conformationem omnem ad materiæ necessitatem referentibus loquens: Ut Mundum, inquit, generant, sic de animalium, plantarumque generatione sermonem instituunt: Stomachum nempe, & omne cibi, excrementique conceptaculum, dum humor in corpore præterflueret, genitum fuisse, ac naris ex rupto patuisse, cum prætermearet spiritus. Huc alius ille attinet locus, in quo Philosophos eisdem notat: Existit, inquit, dubitatio, Quid vetet agere naturam, non habito finis respectu, aut illius, quod melius est. Quemadmodum Jupiter pluit, non ut frumentum augeat, sed potius ex necessitate. Quod enim sursum elatum est, refrigerare oportet, deinceps verò refrigeratum, & aquam factum, decidere, Casus autem est, dum id sit, auferre ipsum frumentum. Pari ratione, si frumentum, quod in area est, pereat, non ideo pluit, ut illud pereat, sed hoc ex accidenti est. Quare & quid prohibet partem in natura sic se habere, veluti dentes ex necessitate ogiri, & anteriores quidem acutos, secundoque idoneos, genuinos verò latos, & terendo cibo conducentis? Is quippe usus accidit illis, qui propter ipsum facti non sunt. Idemque dici de cæteris, qui alicujus finis gratia esse videntur, partibus potest. Quo loco nota pluvie exemplum videri præsertim ab Epicuro usurpandum, quod ratiocinari sic posse videatur. Tamen si frumentum ex pluvia utilitatem capiat, non sequitur tamen ullam esse causam intelligentiæ capacem, quæ ad hunc finem pluviam disponat. Alioquin enim cur plueret in fruges nihil pluvia egentis? cur æquè in mare, æquè in rupeis, æquè in loca alia, in quæ tam potenter plærumque grassatur? cur pateretur tam multas fruges siti plærumque enecari? an-non mero evenit casu, ut frumentum, quia est fatum quo loco pluit, exinde præficiat? nimirum Planta utitur occasione sibi oblatâ, quæ sive fata illeic non fuisset, sive energiâ caruisset, pluvia nihilominus decidisset. Eodem autem modo, licet oculus colores rerum percipiat, potest tamen non propterea dispositus esse ab intelligente causa, ut videat, aliàs enim, quorsum aliqua Animalia hac parte privasset? cur ea ratione oculos in plærisque sic conformasset, ut vel nihil omninò, vel præ-*  
 vè vi-

vè viderent? cur non oculos etiam in occipiti collocasset, cæteraque similia, quæ videatur Momus non ineptè obijcere? an-non potius casu est factum, ut quia contigit oculum ita conformari, ut luce coloréque percelli, afficique potuerit, lux quoque, & color adfuerint, quæ percellerent, & afficerent, sicque contigerit oculum elicere visionis sensum? sic mammæ formatæ fuisse non videntur, ut infans inde lac sugeret; alioquin enim, cur mares quoque expertes lactis mammas haberent? cur aves illis destituerentur? Verùm quia fœminarum mammas sic lactescere contigit, & aperiri infantibus os; heinc quæsitum illarum usum. Sic neque ad loquendum lingua; vel ex eo indicio, quod muti alioquin pisces linguam habeant, sed quia probatum linguæ motione verberatum aërem sonare; vocesque dearticulare; idè id cepere homines consilij, ut conceptus mentis significarent vocibus, quos aliis rebus eò non destinatis significari perinde constat. Sic ex membris aliis vulgò cætera, speciatim verò genitalia, quæ esse non possunt mulo sterili ad generationem concessa; idque ne quidpiam dicatur de Monstris, quæ Natura intelligens, si generationi præesset, evenire non pateretur: quippe quæ electionis capax, deberet pravam materiam non usurpare formareve indebitè; & seu materiam, seu tempus, seu locum, seu instrumentum, seu alia, nonnisi opportunè complecti.

Deinde, ob illud de tendinibus exercitatione roboratis, videtur id favere Epicuro posse, quòd qui solent nudis ambulare pedibus adèd callosam plantam obtineant, ut nullis scrupis, nullâ locorum asperitate offendantur, & qui vestibus non utuntur, cutim, coriumve sic comparent, ut graviores cæli iniurias nihil omninò, aut parùm sentiant. Quin-multos etiam videre licet, quibus omnes dentes cum deciderint, gingivæ ita obfirmantur, ut dentium duritiem commanducando suppleant. Nisi non sit par credere ista ex usu vitæ potius quam ex ulla naturæ destinatione sic se habere. Et quoniam solet potissimum destinatio manus ad varia munia exaggerari; nonne ut res artificiales usurpantur plerumque commodissimè ad alios usus quàm præconceptos; ita plærumque membra in manum usus non quæsitæ, earum tamen vicem scitissimè obeunt? vidimus certè Dinæ etiam-num pueri fœminam, quæ utroque cubito orba, extremis tamen lacertis cum brevissima carnea appendicula superflite, neret,

neret, & lania cum esset, hædos jugularet, excoxiaret, exenteraret, diffecaret. Vidimus Aquis sextiis advectam ab Agyrra puellam; quæ utroque brachio, & altero crure ab exortu usque destituta, digitis tamen superstitis pedis tum consuere, tum eleganter scribere, tum alia peragere norat. Vidimus Parisiis fœminam ex Belgio, quæ utroque brachio defecta, pedibus tamen lintea, olera, vasa ablueret; foliis lusoriis colluderet, scriberet, sucret, pugionem versaret, cibum, poculumque ori admovent, comam pecceret, cætera id genus munera obiret: & ut hoc unum de cæteris addamus Animalibus, vidimus *Phænicopterum* dolente pedum altero, illius vice uti rostro. Nisi dicamus has quoque parteis ob taleis usus comparatas, & non ipsis potiùs, ubi tales contigerint, taleis usus quæri? ut idem proinde dici posse de familiarissimo omnium membrorum usu videatur. Denique ob illa initio relata ex Lucretio carmina, argumentatus videtur Epicurus, ut quidpiam ob usum fiat aliquem præcognosci debere usum, aut præexistere aliquid, ex quo is usus necessarius, commodusve significetur. Sic nempe ille prosequitur, nisi usus quidam præfuisset pugnandi, indormiendi, sitim restinguendi, futurum non fuisse, ut arma, cubilia, pocula excogitarentur.

*At contra: conferre manu certamina pugnae,*

*Et lacerare artus, sed aræque membra cruore,*

*Antè fuit multò, quàm lucida tela volarent:*

*Et vulnus vitare priùs natura coëgit,*

*Quàm daret objectum parmae læva per artem.*

*Scilicet & corpus fessum mandare quieti*

*Multò antiquius est, quàm lecti mollia strata.*

*Et sedare sitim prius est, quàm pocula, natum.*

Quod idem dici potest de exstructis domibus post cognitum usum, quem antra præbuerunt; deque id genus cæteris; unde & concludit:

*Hæc igitur possunt utendi cognita causa*

*Credier, ex usu quæ sunt, vitæque reperta.*

Idque ut inferatur non potuisse oculum videndi causa fieri, cum nihil esset visum, & ignoratur quidnam visio foret; neque aurem auditus causa; cum & nihil foret auditum, & nesciretur quid esset auditio;

tio; atque ita de aliis. Propterea enim sequitur:

*Illam quidem seorsum sunt omnia, quæ prius ipsa*

*Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis:*

*Quo genere imprimis sensus, & membra videmus.*

*Quare etiam, atque etiam procul est, ut credere possit*

*Utilitatis ob officium potuisse creari.*

Atque ita se quidem illa intoleranda opinio habet. Nunc verò, ut paucis ipsam perstringamus; nihil necesse est memorare quid magni Viri senserint. Imprimis enim Authores Sacri, cum divinas manus agnoscunt, quæ hominem pelle, & carnibus vestierint, ossibusque, & nervis compegerint; longè absunt, ut dogmati adeò prophano adstipulentur. Nonime omnium audi Laëtantium, dum nomine omnium Epicurum impetit. *Quid ais, inquit, Epicure? Si non sunt ad videndum oculi nati, cur igitur vident?* Postèd, inquit, *usus eorum apparuit. Videndi ergo causâ nati sunt, siquidem nihil possunt aliud, quàm videre. Item membra cætera cuius rei causâ nata sint, ipse usus ostendit, qui utique nullo modo posset existere, nisi essent membra omnia tam ordinatè, tam providenter effecta, ut usum possent habere. Quid enim, si dicas aves non ad volandum esse natas, neque feras ad sæviendum, neque pisces ad natandum, neque homines ad sapiendum; cum appareat ei naturæ, officiisque servire animantis, ad quod sunt quæque generatæ? Sed videlicet qui summam veritatis amisit, semper erret, necesse est. Si enim non providentiâ, sed fortuitis Atomorum concursibus nascuntur omnia, cur nunquam fortuitò accidit sic coire illa principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculo, auribus cerneret? Si enim primordio nullum genus positionis inexpertum relinquunt, oportuit ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus membrorum ordo præposterus, & usus longè diversus existeret. Cum verò universa genera, & universa quoque membra leges suas, & ordines, & usus sibi attributos tucantur, manifestum est nihil fortuitò esse factum, quoniam divinæ rationis dispositio perpetuo servatur. Deinde ex Philosophis prolixus est Plato, ut singularum partium usum planum faciat ex destinatione minorum Deorum, quibus ille  $\Delta\eta\mu\iota\sigma\tau\eta\varsigma$  Opifex supremus ut cæteram rerum mortalium, ita humani corporis fabricandi commisit curam. Quo*

loco demiror Galenum tribuere Platoni, ut nostri generis Authores ὡς πῆρ πῆρας φαύλης δημιουργὸς, quasi vileis quosdam opifices extremis cæterorum digitis affinxisse ungueis asseruerit; quippe tantum abest, ut Plato aliquid tale habeat, dum unguium usus memorat; quin potius in tota illa digitorum fabrica αἰτιώτατον διάνοιαν, *causantissimam*, ut sic loquar, *intelligentiam* agnoscit; quam & passim toto tractatu Deum nominat. Aristoteles verò multus etiam est, ut reprehendat Antiquos illos, qui solam materiam necessitatem proficientes, causam finalem diffitebantur; unde & ipse valde laborat ut finalem causam in operibus Naturæ stabiliat, & rationem esse demonstrat, sicut in rebus arte factis, sic in iis, quæ naturâ constant, cuiusmodi Animalia sunt. Unum feligere locum iuvat, in quo postquam exaggeravit absurdum esse suspicere naturalium rerum imagines ob artem, quæ illas effinxit; & non magis suspicere ipsarummet rerum naturalium causas, tum pergit: *Quamobrem viliorum Animalium disputationem, perpensionemque fastidio puerili quosdam sprevisse, molestique tulisse dignum nequaquam est; cum res nulla naturâ sit, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur.* Et quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum vellent, quiddam fortè in casa furnaria quadam, caloris gratiâ sedentem vidissent, accedere temperabant; ingredi eos fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dii desunt immortales: Hoc idem in indaganda quoque natura animalium faciendum est. Aggredi enim quaque sine ullo pudore debemus, cum in omnibus natura Numen, & pulcrum, decorumque insit ingenium. Quippe cum in natura operibus constans illud præcipue sit, ut nihil temerè, vicèque fortuitè à committatur, sed alicujus gratiâ omnia agantur, finis autem, cuius gratiâ quicquam vel constet, vel conditum est, boni, honestique obtinet rationem. Philosophos alios prætereo, ac nominatim Stoicos. Nam Stoici, inquit Laëtantius, animantium fabricam divinam solertia tribuunt. Et Cicero ex eorum mente enumerationem singularum partium sic edisserit, ut tandem concludat: *Ex quo debet intelligi nec figuram, sicutque membrorum, nec ingenij, mentisque vim talem effici potuisse fortunâ.* Et alio loco: *Iam membrorum, id est, partium corporis, alia videntur propter eorum usum à natura esse donata, ut manus, crura, pedes, & ea, quæ sunt intus in corpore, quorum utilitas quantâ sit, à Medicis etiam disputatur.*

Postremò verò ex Medicis ipsis, dubium esse aliquod posset de summo

summo viro Hippocrate ; siquidem describens primariam partium omnium generationem, nihil de illarum Authore, nihil de fine, aut usu habet; sed attingit solum materiæ veluti necessitatem, concursum, & dispositionem fortuitam, ὅτε ἐταράχθη πάντα, cum perturbata essent omnia, variasque sedes peterent. Verùm eodem loco agnoscit ὁ καλόμενος θερμὸν, id, quod calidum appellamus, immortale esse, rerùmque omnium intelligens; ut propterea quasi supponat illius ductu distributa, efformataque omnia. Certè Galenus indicat, Hippocratem, cum non auderet substantiam illius naturæ, quæ nos finxisset, pronuntiare, more tamen hominum omnium appellasse φύσιν, naturam. Et quamvis ille alibi dicat agere naturam ἢ ἐκ διανοίας, non ex intelligentia, ipsamque esse ἀπαιδύτων, & ἐμαθῶσαν imperitam, indoctamque, & rursus aliàs φύσιν πάντων ἀδιδάκτους, naturas omnium ineruditas; attamen videtur eam solam intelligentiam excludere, quæ scientibus, ac volentibus nobis elucescat. Nam alimenti v. g. concoctio, secretio, distributio sapientissimè cum fiat, non dirigitur quidem à nostræ intelligentiæ dictamine; sed necesse est causam intus habeat intelligentissimam, quæ suo modo, nescientibus nobis, opus suum cognoscat, ac perficiat. Quod natura autem dicitur non perita, non erudita, non docta. supplendum est, instruente alio; nam ipsa alioquin esse potest ἀπαιδύτων, ἀπομαθήσ, ἀποδιδάκτων, ex se instituta, gnara, & sciens omnium; ex quo Galenus non ἀπαιδύτων sed ἀπαιδύτων apprimè eruditam legit; cum & ipse Hippocrates subjungat eandem naturam τὰ δέοντα ποιεῖν ea, qua decet, efficere; & Galenus passim commendat, quòd Hippocrates διὰ παντός ἕμνε τινα δικαιοσύνην αὐτῆς, & τὰ εἰς τὰ ζῷα πρόνοιαν, illius justitiam, & circa animalia providentiam. Quod profectò vel ex eo loco intelligi potest, in quo ait Hippocrates Homines suis artibus Deorum opera imitari (ista scilicet opera naturæ) tametsi nesciant quid imitentur, discrimenque esse, quod hominum opera non semper rectè habeant, Deorum opera nunquam malè. Quicquid porrò sit de Hippocrate; Galenus certè ipse tum locis aliis; tum eo præsertim opere, quod de Usu partium inscripsit, sese admirabilem præbuit. Nam totis septem decem libris totus in eo est, ut singularum partium usus explicans, perpetuum quemdam veluti hymnum Opifici illarum canat. Unde & non immeritò; *Attentiosem*, inquit,



lib. 7.  
cap. 14.lib. 17.  
cap. 1.  
bid.

lib. 3. ca. 8.

lib. 10. c. 3.  
lib. 11. c. 8.

ibid.

te mihi jam prabeas, quàm si Eleusini, Samothraciis, aliisque Sacris in-  
 itiareris, & admirabundus propter ea, quæ à Sacerdotibus fierent, di-  
 cerentur te, adstares: cogitesque sacra hac nulla re illis esse inferiora;  
 neque minùs Conditoris animalium potentiam, sapientiam, providentiam,  
 virtutem indicare posse. Nam Eleusina, ac Samothracia, inquit, ali-  
 bi, hac obscurè docent; natura verò opera sunt in omnibus animantibus  
 manifesta. Vide & quò proinde assurgat: Quando igitur in tanta  
 colluvie ἐν βορῆσιν ποσῶν (quo enim alio nomine quis appellet id, quod  
 est ex carne, sanguine, pituita, bileque tum flavatam, tum nigra conflatum?)  
 mens inest aded eximia; quantam cogitare par est illius excellentiam in So-  
 le, Luna, & ceteris Astris? Ac ne quis propterea putet minorem  
 in luto Opificis industriam; seponito, inquit alibi, materia discrim-  
 en, & nudam artem considerato. Ac statim: Quod si ex Solari sub-  
 stantia velis habere oculos, pedes verò ex auro puro, potiusquàm ex osse,  
 & cuti; jam illius materia, ex qua constant, oblitus es. Et illicò:  
 Ut igitur Phidias, si dederis lutum, non repetieris eburneam statuam, ita  
 sanguinem ubi dederis, nunquam Solem accipies, aut hujusmodi aliud splen-  
 didum, & decorum corpus. Divina sunt enim illa, & celestia; nos vero  
 terrena statua: enim verò Opificis ars in utrisque æqualis est. Heic verò  
 nota, cum Galenus Epicuro præferat Mosen, quatenus autho-  
 rem hominis agnoscit, non placere tamen ipsi, quod nos pro-  
 fitemur, posse scilicet Deum ex nulla, aut quavis materia, ac  
 tempore quantumvis brevi quodlibet corpus formare; sed pla-  
 cere potiùs, ut Deus, cum necessitate quadam datæ materiæ  
 alligetur, ac plurima facere possit, optimum semper eligat.  
 Verùm seligamus quod præclare sentit, uti dum exclamat: Quid  
 tu fecisses melius, si Promethei loco constitutus fuisses? itèmq; dum  
 admonet, Horum si quid mente immutes, totam repente utilitatem  
 labefactatam conspicias. Istud porrò habet de dentibus loquens,  
 illolque ex Atomorum fortuito concursu in eruptione oris patu-  
 isse non ferens. Quare, & non sine indignatione. Si quis, in-  
 quit, rite disposuerit duorum & triginta hominum choream, is vir lau-  
 datur, tanquam industrius; postquàm verò natura tam præclare choream  
 dentium disposuit, ipsam non commendabimus? Pergit: Sin velis hoc  
 quoque ad fortuitum Atomorum concursum referri, ut non modò alij den-  
 tium facti sint acuti, alij obtusi; alij leves, alij asperi; alij parvi, alij  
 magni;

magni; sed ipsorum quoque tam felix positio sine arte existerit; age & istud concedatur. Verum quid dicemus de radicibus; cum parvi quidem unam habeant, majores vel duas, vel tres, & maximi quatuor? Nimirum & heic mirabili serie concursus ille Atomorum artificiosum opus confecit, perinde ac praefecto ipsis aquissimo Opifice. Nam & quod Molarium medij quidem maximi fuerint; minores, qui ipsos utrimque circumstant; quomodo hoc quoque Atomorum opus admirabile non sit? Heinc est illud, Si nominare fortunam velis, quod partes omnes animalis tanta aequitate confor at; modò id intelligas, ac concedas te praeter aequum hanc in verbis novationem consecrari; liceat tibi etiam Solem supra Terram intuenti, hanc ejusmodi constitutionem dicere noctem; atque ipsum Solem non lucem, sed si velis, tenebras. Liceat praeterea tibi nunquam ab hac sapientia desistere, quemadmodum ne nobis quidem à nostra inscitia: ut quando partes omnes convenienti sibi constructione justè praeditas comperimus; causam ipsam non fortunam, sed artem esse pronunciemus. Mitto quod postea subnotatà Atomorum Epicuri, & molium Asclepiadis admiranda foelicitate, subjicit, Parùm abest, quin illa majori ratione, quàm Epicurus, & Asclepiades omnia efficiant, quandoquidem, &c. Sed nihil non exscribendum foret, adeò totum opus videretur conscriptum ἐπινοησάντων.

Nobis sufficiat neminem posse oculos habere apertos, animùmque advertere; & non statim agnoscere quàm esse expertem rationis oporteat, ut partes Animalium absque ratione, absque consilio; absque provisione, destinationèque, ad certos usus, certòsque fineis credi possint elaboratae. Utrumque certè magni Viri, foeliciàque nati ingenia; nominati illi Philosophi exstiterint; quod saltem ad hoc caput spectat, illi videntur aut non feridò, diligentèrque attendisse; aut ex praconcepta de se opinione caecutiisse, indulgisseque sibi nimium, cum se posse & pervidere, & explicare considerunt, quemadmodum fortuna caeca, temerariaque id expressisset, quod ipsa res clamat non potuisse fieri, nisi ab oculatissima, summèque sapiente, & industria causa. Ac fuere quidem illi fortè aliquatenus excusabiles, Democritusque ipse imprimis, quatenus censuere non ita vacandum inquisitioni causae finalis, ususve prospecti in concinnandis partibus; quin

observari deberent motus, conditionesque materiæ; quin efficien-  
 tes etiam causæ, specialiave agentia, materiæ conditionibus quo-  
 dam veluti vinculo necessitatis alligata: at non fuere sanè excu-  
 sables, quatenus præterea non agnovere causam, quæ taleis mate-  
 riæ conditiones, taleis motus indiderit; quæ taleis causas, talia  
 agentia ita colligârît, ita disposuerit, ut hæc, illave opera, & ad hos,  
 illosve directa fineis perficeretur. Scilicet perinde egerunt, ac  
 si quis inspecto Palatio affabrè exædificato disquirendum censeat  
 ex qua silva cæsæ trabes; ex qua lapidicina marmora; ex qua fo-  
 dina clavi; è quo saxo cocta in fornace calx, è quo fundo erutum  
 fabulum, è quo flumine hausta aqua, itémque quinam illi fabri,  
 operarii que fuerint, qui materiam ceciderint, comportaverint,  
 dolaverint, subdiderint, intraverint, & singuli quidem ig-  
 nari generalis ductus, ad speciale quisque opus attendentes, ne-  
 que aliud quidpiam omninò morantes, intereà verò ille existi-  
 met nullum fuisse Architectum, qui ædificij molem, ac formam  
 animo præconceperit, qui istam, illamve materiam habendam esse  
 præsumperit, qui his illisque operariis ac fabris hæc & illa mu-  
 nia demandaverit, qui singula sic apparanda, sic aptanda præ-  
 scriperit? sed hisce fabris, operariisque ita forte agentibus, hac-  
 cø materiâ ita fortè unum in locum comportatâ, tale Palatium  
 fortè fortuna ædificatum existisse. Esto verò, non sint Physici,  
 qui materiam, sive principia, ex quibus res fiunt, non curant,  
 qui causarum, seu principiorum efficientium non satagunt, at non  
 idèò tamen sunt non Physici, qui fineis quoque pervestigant,  
 imò, qui fineis sese ultrò oculis, ac menti iugerentis observant, qui  
 illos suspiciunt, & causam, quæ ipsos præstituit mirantur, & lau-  
 dant. Quin etiam, cùm nemo materiam cujusque rei propriam con-  
 ditionesque illius congruas, cùm nemo specialia agentia, singula-  
 reisque agendi modos, quantumcumque haberi velit *φυσικώτατα*,  
 noverit, quippe hæc sunt, quæ prorsus fugiunt humanam perspi-  
 cacious, interim verò germani fines partim in propatulo sint, partim  
 faciliùs adinveniuntur, quidni illi sint commendandi, qui cùm  
 materiam, & agentem causam quantâ sollicitudine possunt,  
 investigare non negligant, constitutum finem præterea requi-  
 tunt, ac tantò magis id arbitrantur muneris esse Physici, quanto ad  
 perfectam

perfectam investigationem causæ Physicæ, interest nosse, temere-ne, an ex certo consilio agat. Non cognoscatur porrò ea causa, quæ in formandis, concinnandisque Animalium partibus ad hos, illosque fineis respexit; siquidem neque eò assurgit humana imbecillitas, ut illius sive naturam, sive agendi modum pervideat: satis est tamen eam necessariò agnoscendam aliquam esse; quam seu Deum dicas, seu Naturam, seu quocumque tamen voces nomine, intelligentissimam esse, sapientissimamque oporteat.

Ac ista quidem, propter illud, quod de Democrito speciatim Aristoteles attigit; nam ad illud de Anaxagora, Divinæ sanè Mentis oblioto, quam omnia initio disposuisse voluerat (sed nempe illa non utebatur, nisi ut Tragædes machinà, ut idem aliàs illi objicit) ad illud inquam, quod de manu dixit, urgere aliud pigeat, quàm quod ipsemet Aristoteles, fufiusculè quidem, sed peregregiè tamen urget: *Consentaneum est, inquit, Hominem præditum esse manibus, quòd sit prudentissimum Animalium. Sunt enim manus usurpandi instrumentum, natura autem solet, quod & homo prudens, unumquodque rei, quæ possit eo uti, attribuere. Congruum scilicet magis est tibiæ peritò dare tibiæ, quàm tibiæ habenti peritiàm tibiæ; sic enim majori atque præstantiori, id, quod est minus addicitur, non verò minori id, quod est majus, atque præstantius. Si hoc itaque melius est, & illa inter, quæ fieri possunt, natura facit id, quod est melius; non sanè est homo, quia manus habet, prudentissimus; sed ut sit animalium præstantissimum, ideo habet manus. Nimirum qui est prudentissimus, multa instrumenta præclare usurpat; manus autem esse videtur non unum instrumentum, sed multa, siquidem instrumentum est, ut rem ita dicam, ante instrumenta. Manum igitur illi, qui est capax plurimarum artium, natura concessit, tanquam instrumentum, quod ad plurima instrumenta utilissimum sit. Enim-verò, qui discunt non bene, sed pejus actum cum homine, quàm cum cæteris animalibus (siquidem illum prædicant incalceatum, nudum, inermemque aduersus vim) ij sanè perperam loquuntur. Cætera enim animalia unico tantum præsidio pollent, idque transformare in aliud non possunt; sed necesse omninò est, ut quasi semper calceata dormiant, eodemque habitu omnia faciant, & neque pleniorè deponere vestem; neque commutare arma singularia, si nacta quæpiam fuerint, valeant.*

Homini

*Homini autem & præsidia sunt multa, & illa variare quoties libet licet. Arma ad-hæc, si quæpiam velit, & sicubi velit, obtinere in promptu est. Manus siquidem ipsi est & unguis, & ungula, & forceps, & cornu, & hasta, & gladius, & quodvis aliud sive armorum, sive instrumentorum genus. Ipsa quippe hæc omnia est, quatenus hæc omnia usurpare potest. Præclare verò comparata natura formaque est manus, quod divisa est, ac multifida; nam in ipsa quidem divisione componendi facultas est; in compositione autem dividendi vis perinde non esset. Licet quoque unâ, duabusque & multifariam quidem uti. Ipsi etiam digitorum flexus sese ad capiendum, premendumque percommode habent, quo sine etiam digitus unus brevis, crassusque, & non prolixus à latere est. Ut enim, si prorsus non adesset manus, neque capiendi facultas foret; sic nisi adesset lateralis hic digitus, ea non se perinde haberet. Nempe is premit infernè sursum, sicut cæteri superne deorsum (id autem oportet sic fieri, si validè quidem quasi nodo stringendum sit) aded proinde ut unus cum sit, multis nihilominus æquipolleat. Est autem brevis propter robur; & quia prolixior nihil adhiberet utilitatis. Extremus porro digitorum merito est brevis, medius autem longus, non secus ac remus navigij medius. Necessè est enim ut quod validè continendum est, corripiatur in circulum sub ipsam potissimum medium. Sed hæc exscripsisse ex pluribus sufficiat.*

Jam verò magnam quid præstitisse sibi videtur Empedocles, cum Spinam esse hac forma dixit, quod illam propter contortionem diffractam esse contigerit. Vetum ut præteream, quod adversus illum Aristoteles objicit; quasi nimirum loquutus foret de quotidiana generatione, qua homo procreat hominem; cum loquutus tamen videatur de prima, ac spontanea generatione hominum, qui semel nati simileis sui creare deinceps potuerint. Age, fingamus, quod ille vult, potuisse è terra prorumpere molem, seu speciem quandam corporis, intra quam foret quidpiam oblongum, durumque, qualis spina est. Demus etiam id fuisse os, demus contortum, demus diffractum: an idcirco tamen potuere fragmenta in vertebra adeo concinnas, adedq; concinnè cohærentes formari? Cumq; facilius foret torqueri ipsa brachiorum, crurumque ossa, cur ipsa tamen non perinde fuere contorta, contracta,

in

in vertebra verſa? & fac illa jam in Embryone contorqueri, atque diffringi; intelligitur-ne poſſe quidpiam, quod ſit vertebra ſimile prodire? ſed de oſſe Spinæ ut loquar; cùm ſoleat iſſis oſſium fragmentis intercreſcere callus rigidus; rigidèque fragmenta revinciens, qui tamen inter vertebra ſuit cartilago potius ſubnata? an non exinde eſt manifeſtum ſpinam fuiſſe & factam oſſeam ad firmitudinem corporis; & diſiſam quidem, ſed cartilaginibus tamen colligatam ad neceſſariam flexilitatem? Potuere-ne verò ex ea diſſractione creari illa foramina ad ſingulas vertebra, per quæ nervi illi jugales prodirent, & in muſculos adjacentes infererentur? An, cum muſculi ſine nervis futuri eſſent inutiles, nervi tanta concinnitate eruperunt ad illos caſu? & ut poſſent, erumpere, medulla non debuit ſpina contineri? Et, ut ea poſſet contineri, non oportuit ſpinam eſſe veluti terebratam, ac eſſe quidem apertam ſupernè, unde illa è cerebro influeret; occluſa infernè, ne effluere illam pateretur? Potuerent quoque in ea diſſractione manere coſtæ incolumes? Et coſtæ-ne eo modo formari, niſi ut fierent quaſi ἀνερόπλις (ſic vocat Ariſtoteles) ἀπὸ καρᾶς, & τῆς τῆλε; ſcilicet ob cordis, pulmonis que, ſine quibus vita non eſt, in columitatem potuerunt? quorſum autem ex ſpina quoque non prodire, quæ peſtoris inſtar concluderent ventrem; niſi ut poſſet fieri ventris, quæ eſt neceſſaria cibo excipiendo, præparandòque, dilatatio? quorſum inſimæ coſtæ decurtatæ, niſi ut poſſet fieri ſtomachi præſertim ampliatio liberior? Potuere-ne etiam vertebra, quæ ad os ſacrum attinent, ſpecialeſ formam accipere, niſi ut oſſis illius partes firmiùs còhærent, & in iis firmari poſſent femora, quæ ſunt toti corpori regendo, movendòque nata? & quæſo, in Inſchio; fieri-ne potuerunt acetabula, niſi ut oſſium femoris apophyſeis exciperent? aut iſtæ fieri apophyſes, niſi ut acetabulis exceptæ in iis moverentur? Et quamobrem os femoris, ut & lacerti, unicum fuit; tibiæ, ut & cubiti duplex, niſi quòd muſculos pauciores paucioribus motibus neceſſarios fulcire debuit?

Sic, ſeu Empedocles, ſeu alij, rem conſectam exiſtimarunt, cùm dixiſſent ventriculum, aliàque conceptacula fuiſſe in humoris perfluxu facta. Sed, ut ſimilia concedamus; Eſto, humor

pervaserit, capacitatem aliquam excavare potuerit; idcirco-  
 tamen potuit facere membranam adedò appositam, qualis est illa  
 stomachi cum suo triplici genere fibrarum? an scitè adedò excavare,  
 infiltrèque totus per œsophagum, nisi fuit priùs formatum? an  
 intestina cohærentia, succedentiàque ita formare, ut non meatus  
 simplices forent, quales aqua per terram cavat, sed exquisitè  
 adedò, ut interiùs, ita exteriùs quoque tornati; ita adipe conve-  
 stiti, ita suo motu præditi, ut illi, quod exercent, muneri esse  
 non possent comparationis? an-non, cùm sine alimento vivere  
 Animal non possit; & stomachus sit excipiendo, apparandòque  
 necessarius, perspicuum est ipsum effectum, non præterfluxu  
 aquæ fortuito, sed actione causæ, quæ ad hoc munus respexerit,  
 quæ os aperuerit, œsophagum interposuerit, intestina ad egeren-  
 dum excrementa subjunxerit? & potest-ne aqua etiam excavasse  
 quadruplicem illum, aut duplicem saltem Animalibus ruminan-  
 tibus stomachum; ac non potiùs causa, quæ providerit, ut ea  
 Animalia, partesolùm altera dentata cùm sint, soliàque dum-  
 taxat decerpta degluriant, cibi molem servant in stomacho am-  
 plo, quousque remansa, detritàque per otium in alio minore con-  
 datur? quod idem proportione est de avium ingluvie dicendum.  
 Cur verò, si post stomachum aqua aperuit intestina, per illa ta-  
 men aqua ore assumpta, & in stomachum transmissa non exit? &  
 cur, si vesica per eam facta est, membranacea est, ac tantopere  
 dilatabilis facta? An-non potiùs ab alia causa, & eo quidem sine  
 est facta, ut defluentem sensim ex venis humorem serosum excipi-  
 at, ac servet, quousque dejicere vaeret? &, non-ne tantò ma-  
 gis ab intelligente causa facta est, quanto ad ingressum ureterum  
 in ipsam valvulæ internè occludentes sunt, quæ obstant, ne urina  
 in ureteres refluat? ipsæ autem venæ aperiri-ne toto corpore pari  
 præterfluxu potuerunt; & non potiùs ea, qua sunt forma, ac di-  
 stributione idedò fieri, ut alimentum ad nutriendum parteis corpo-  
 ris singulas deferrent? quippe nutritio partium qui fieret, nisi  
 forent venæ ad eam destinatæ?

Sic iidem sunt satis fecisse rati, cum dixere naris à spiritu præ-  
 termeante disruptas fuisse. Verum potuerit spiritus aliquam  
 partem effringere; an idedò tamen potuit asperam arteriam formare,  
 illàmque

illamque prius pervadere? Et, cum os ipsum satis patuerit ad eruptionem spiritus; non-ne esse potius ea causa debuit, quæ prospexerit, ut quoniam aliquando os clauditur, apertæ paterent in subsidium nares, quibus interim spiritus induceretur, educereturque? quod si ex sola spiritus vehementia fuere disruptæ; cur non disruptus fuit sursum nasus, potiusquam cum illa deflexione in basin; commoda aliunde, ut cum inductione spiritus odor in olfactum feratur? si fecit aliunde spiritus eruptio hujuscemodi aperturam; cur non ita sursum arteriam aperuit, ut epiglottidem abduceret, & non ipsam relinqueret, quæ appositè adè immisioni cibi, potiusque per arteriam obstaret? proinde certè factum est, ut quoniam epiglottide aves carent, idcirco & cibum non mandant, sed in oesophagum in imo apertum deglutiendo transmittant; & aquam non uno tenore hauriant, sed guttatim trahant, elatoque capite retrò compellant, posticoque in oesophagum, compresso interim arteriæ orificio stillent. Sed & ipsa arteria, nonne cum annellis cartilagineis fuit roborata, idcirco id fuit, ne flaccesceret, & via spiritus, cujus est ad vitam perpetuus itus, atque reditus necessarius, ex meatu collapsu intercluderetur? & cum hi anelli fuere complanati qua parte arteria contingit oesophagum; nonne esse debuit causa, quæ prospiceret, ne annellorum asperitate teneritudo oesophagi, ac alimento potissimum prætervadente læderetur? cumque arteria bronchiis variis ita distribuatur per pulmonis substantiam; nonne arguitur debuisse prius spiritum per os, narisque transire, pulmone difflando, quàm è pulmone efflatum aut os aperire, aut naris diffringere? & quorsum Diaphragma potius non diffregit, & sub medium potissimum, quàm membranaceum est, disruptit? Ipsum verò Diaphragma quamobrem ea fieri contextura potuit, nisi quia cum costæ pulmonem sapientes, neque diffiante illo deduci, neque efflante conduci possent, ut inanitatem intra corpus averterent; id præstari per ipsum Diaphragma oportuit; quod per difflationem premens abdomen nullis costis impeditum posset pulmone cedere; & per efflationem cum abdomine repetere locum relictum.

Sed ista ut mittam; ad quod-nam insomnium referre potuerunt



Philosophi illi præparationem uteri, in quo semen exciperetur; qui tantulus, tantopere, pro ipsius scilicet fœtus incremento; dilataretur; qui maturum fœtum emitteret, qui ipsi elaborando, connutriendoque, tot cotyledonibus, valvularumve osculis afflueret? Et cum deinceps, ac etiam-num in propagatione formetur initio placenta, quæ exterius illis osculis cohæreat, sanguinemque per illa derivatum excipiat, interius embryonem, seu fœtum contineat; quoniam referre illi potuerunt conformata, collectaque ex ea placenta, vasa umbilicalia in embryonis ventrem implantata: nempe ( ut *ἄραχόν* heic taceam ) venam imprimis duplicem, ac in unam ab implantatione coëuntem, quæ sanguinem alimentitium in jecusculum per proprias deinceps venas distribuendum fundat; deinde duplicem arteriam, quæ vitalem sanguinem in duplicem ramum descendens arteriæ pariter distribuendum immittat? idque solùm, donec embryoni exsistenti in utero advenire chylus ex stomacho proprio in jecur non potest; nec sanguis ex proprio corde in arterias; cum hæc tamen deinde vasa, ipsorumque oscula ( uti etiam alia tum ex vena cava, tum ex magna arteria in arteriosam venam ) obturentur, & aperiantur alia, ubi à nativitate alimentum ore in stomachum transmittitur? quod item referre creatum, affluensq; eodẽ tempore lac in mammis maternis, ipsiq; ita comparatis, ut in papillam desinant, ejus figurę atq; molis, quam infans ore excipiat; ejus substantiæ, quam premere, & è qualac exprimere, inq; stomachum transdere œsophago possit? quod eruptionem dentium, dum jam fieri debet ablactatio, cibusq; solidior usurpandus est, & incidendus quidem; quod fieri non posset, nisi qui ex iis sunt anteriores, acuti forent; ac deterendus; quod non posset fieri, nisi plani forent, qui sunt laterales? Ne maxillarum memorem motum, qualem observatum est non fuisse cõcessum. Animalibus, quæ genuinis dentibus carēt. Quid dicam verò de illis adedò mirabilibus cordis valvulis, appositè adedò quæ congruit, necessariumq; est, referatis, & clausis, ut alias & deduximus, & exaggeravimus uberius? Quid de trunco illo descendens arteriæ supposito venæ, donec periculum est ne ob teneritudinem à vertebrarum duritie, & inæquabilitate lædatur; ac de ejusdem emersione, & incubitu, ubi id periculum cessat? Quid de illis tendinibus

tendinibus artificiosè aded per carpum trajectis, & quà in inferiores digitorum articulationes inferendi sunt, aded commodè perforatis, ut ulteriùs tendentibus liberum præbeant transitum? Quid de recurrentibus nervis, aded concinnè per arteriæ aortæ ramos subterductis, secundùm asperam ascendentibus, & laryngi implantatis, ut deducendo, coarctandòque ad varios vocum flexus inserviant? Quid de admirabili illa oculorum fabrica ita præclare ad visionem, rem omnium & pulcherrimam, & jucundissimam comparata? Quid uno verbo de cæteris quæ forent omnia retexenda, omnia attendenda, omnia suspicienda; cùm nulla pars sit, in qua ubi molem, substantiam, formam, connexionem, situm, ac simul officium, usumve consideraverimus, esse captos mente oporteat, nisi agnoscamus nihil esse fortuitum, nihil non provisum; nihil non à solertissima, sapientissimàque causa destinatum. Ac si una quidem, alteràve, aut paucæ tantum essent partes, ex quibus corpus hominis, alteriusve animalis foret; tum esset fortassis minus obstupendum. At esse in ipso, ac una sub cute varietatem propè infinitam partium variè inter se commistarum, durarum cum mollibus, solidarum cum cavis, quiescentium cum motis, fixarum cum fluentibus, excipientium cum subeuntibus, &c. ac nullam tamen ulli esse vel minimo obstaculo; quin imo mutuas esse vices, coadiuvanteisque omnium operas; & sic quidem, ut si cujusquam magnitudinem augeas, vel imminuas, si figuram mutes, si cohælionem solvas, si situm invertas, si in tota demum machina quid moveas, tum omnia pejus habitura, vel etiam pessum ruitura sint: quomodo id tandem stuporem non creet?

I nunc, & dic casu id factum, quod non potuerit fieri sapientius; quòdque, si factum aliter fuisset, in hunc quo jam se habet, modum, ut rectè haberet, restituendum fuisset. Scilicet, ut tibi casu factum detur; singe saltem fieri debuisse ex industria; & agnosces fieri non potuisse præclarius; agnoscendumque idcirco esse industrium potius artificem, quàm temerariam fortunæ manum. Pudendum profectò, si intuens Palatium, quod sit fundamento securum, tecto concinnum, parietum symmetrià congruum, exteriore formâ decorum, interiore commodum,

fenestrarum constitutione salubre simul, & illustre; cunctis denique partibus absolutum, & elegans, dicere non audes fortunâ exstructum, sed arte, & consilio: intuens verò hominis corpus, in quo pedes, oculi, manus: in quo cor, pulmo, cerebrum, jecur; in quo ossa, muscoli, venæ; in quo renes, vesica, alvus; in quo cætera omnia neque exquisitius formari, neque congruentius collocari, neque utilius destinari, neque speciosius exornari quacumque tandem arte potuissent, causam illius reputas cæcam, expertemque consilij? An non, cum oporteat de causa ratiocinari ex effectu, ejusque conditionibus; colligamus necesse est ex scitissimo opificio scientissimum Opificem, & ex usibus tam appositis, causam ad illos destinantem intelligentissimam inferamus: Ac sunt fortunæ suæ interdum vices; non tamen, si pictoris spongia in tabulam temerè impacta equi spumam semel expressit, idè quotquot vides pictas tabulas consimili casu sunt elaboratæ. Et nisi id sit, quâ fronte id dicis de naturæ operibus, quæ tam perfectè, tam constanter, non pinguntur, sed animantur? Nempe Zeuxis, aut Polycletus habetur tibi valde peritus, cum aliquod naturæ opus imitatus adumbratione, superficiè que tenuis fuerit; & Deum, Parentemve Naturam, seu quocumque nomine dicas architectricem illam causam, ignorasse putas quidnam ageret, cum internam, vivam, veramve ac inimitabilem molita fuerit constructionem. Obstupescis Myrmecidas opusculorum fabricatores, nec potes illum satis mirari, qui pulicis corpusculum scitè repræsentaverit; & te in admirationem non rapit ea causa, quæ animalculum tantulum tantâ energiâ donârit; quæ innumera organa in tam exigua materia tam distinctè expresserit; quæ crus ipsius tantulum articulis distinxerit, pilisque, & cute convestierit, quæ os proboscide armârit, & intus ventrem, ac intestina, principèsque parteis disposuerit; quæ venas, arterias, nervos, musculos, spiritus, & cætera tam multa ad nutritionem, sensationem, imaginationem, appetitum, motum necessaria sic concluderit, ut tamen unumquodque horum suam regionem, suumque munus, citra cujusquam alterius interturbationem obtineat? Denique laudas Dædalos, Architas, Heronas, ob solertiam, quâ pauca quædam machinamenta excogitant, parant, componunt,

componunt, suis includunt automatis; & non commendas artificem, qui quot Animalia, tot fabricatur automata, non mortua illa, non brevi à motu impresso cessantia; sed omnia viva, atque durabilia; sed suos ex se motus obeuntia: sed innumeris (non unis paucisque) machinis sic dispositis, ut incomprehensibile sit, quantam in singulis seorsum, quantam in omnibus conjunctim, solertiam, sapientiam, industriam adhibuerit? O stuporem!

Cùm ista porro ipsum præsertim Epicurum attineant; vix necesse est ad ea, quæ ex illo, aut juxta illum objecta sunt, quicquam regeramus, adjiciamusve iis, quæ sunt circa rerum exortum deducta. Utcumque enim materiam rerum Atomose esse concedamus; utcumque ex earum aggerie terram initio constituisse; utcumque formata simul in ea fuisse varia ut cæterarum rerum, sic Animalium semina; utcumque prognata inde Animalia, quæ sese deinceps propalare valuerint; declaravimus tamen taleis Atomos neque fuisse ingenitas, sed à potentissimo Authore creatas; neque terram, quidpiamve aliud ex concursu earum fortuito coaluisse, constituisseque; sed pro Authoris consilio, qui illas sapientissimè in unam molem conduxerit; neque fuisse casu, ut aliarum rerum, ita Animalium per terram creata, respersaque semina, sed Authoris benedictione, tum cùm jussit Terræ, ut Plantas, & Animalia produceret; neque proinde Animalia suborta fuisse temerè; aut fortita fuisse membrorum conformationem fortuitam; sed procreata fuisse qualia Author voluit; ac taleis parteis obtinuisse, qualeis pro seminis cujusque conditione ille disposuit. Heinc sanè plusquam fabula est, membra Animalium sic casu formata, coadunataque extitisse; ac usum illorum non fuisse provisum, sed talem solum contigisse, qualem ea habere deinceps potuerunt. Quippe nullum est, cui si linguam dones, non clamet Providentiam, quâ formatum fuerit, destinatumque ad talem usum. Nos certè ipsum usum, siueve habemus pro invictissimo argumento sapientissimæ, ac providentissimæ causæ, quatenus unaquæque pars ad talem usum ita refertur, ut, cùm ille Animali necessarius sit, tam pars non possit ita formari, quin talis usus consequatur, quàm talis usus consequi, quin pars ejusmodi formetur. At Epicuro, & aliis, non potest non esse argumentatio præpostera; cùm

cùm ex sapiente dispositione insipientem deducunt causam; & ex usu apposito dispositionem temerariam, aut nullam. Ac potest quidem spiritus pro diversitate tibiæ diversos sonos edere; at cùm tibiæ sunt ita conformatæ, ac dispositæ, ut ad pulsandum consonanter desiderari nihil valeat; præclarius-ne argumentetur, qui dixerit tibiæ fuisse fortuna factas, collocatasque temerè; an qui factas, collocatasque dixerit ab artifice agente ex consilio, ac rationem tenente harmonicarum proportionem? Anima oculo applicita videt; verum sanè est; at quænam est ratiocinatio tot illas parteis oculi tam decorè contextas, tam eleganter figuratas, tam appositè constitutas, tam ad visionem necessarias, tam ad aliud inutiles, non esse propter visionem factas: sed oculum fortè fortunà fuisse ex illis compositum, casumque esse, quòd ad visionem, potiusquàm ad aliam functionem reperiatur idoneus? Quasi verò vel unica tunicæ uveæ perforatio trajiciendis rerum imaginibus adedè necessaria, non deberet istis fieri quasi janua inducendæ, admittendæq; sanitati in cerebrum? O quàm mererentur capti oculis seu nati esse, seu fieri, qui muneris adedè eximij Largitorem non contententur! Idem dico de cæteris. Quòd verò multa etiam-num Animalia spontè nascantur, id arguit non esse effœtam naturam, neque exhausta, deperdirave rerum semina; quæ illius Author initio Terræ indidit, & nunc porrò fovet. Quare & cùm hæc Animalia nascantur cum partibus tantâ solertia ad usus sibi consentaneos dispositis, par est causam agnoscere ipsas proinde disponentem. Ad alia autem ex semine propagata quod attinet, verum quidem est edoctam Naturam; sed à suo nempe Authore, qui sic instituerit, qui fieri etiam-num sic velit. Neque natura tramitem servans comparanda est cum torrente, qui sibi viam temerè per campos prorumpens aperiat; sed cum aqua, quæ per canaleis ab Aquilege constitutos fluat. Nihil interrim dico de fabula illa, quòd præter Animalia, quæ & incolumia servari, & propagari potuerint, nata quoque initio fuerint innumera alia, quæ diversimodè imperfecta brevi tempore interciderint: quippe cùm mera sit hariolatio, & molitionem rerum primam, sapientissimàmque dedecere videatur. Illud de Tendinibus exercitatione roboratis, extenuatisve desidia, nihil amplius arguit,

arguit, quam esse Animalium parteis, facultatesque habituum capaceis, quibus operentur expeditius, habeantve sese melius, aut deterius; non probat verò tendines non esse ob motum, tanquam finem, factos; qui spectari sanè cum attractu partium, quibus inseruntur, non possunt, quin, si temerè dicantur inserti, dici quoque debeant temerè illigati funes, quibus antennæ navium, aliæque res attrahi solent.

Exemplum illud Pluviæ, quod ex aliis sumptum usurpari posse ab Epicuro diximus, ad generalem attinet Providentiam, cui fines quoque alij potuere esse propositi, veluti aeris temperies, ac salubritas; manifestatio varietatis & causarum, & effectorum, alicujus spectaculi Meteorologici exhibitio, & alij nobis incompti. Quamobrem, si ex pluvia decedente frumentum proficiat; non id casu fieri dicendum; cum ille sit unus ex finibus pluviæ, & aded quidem appositus, ut alimento exsolvendo, quo nutriendum frumentum est, nihil possit esse conducentius. Quòd si frumentum aliquando aut imbre nimio suffocetur, aut siccitate extabescat; aliæ sunt causæ generali rerum curatori perspectæ, propter quas sic fieri expediat; cum & ordine rerum constituto permittat causas naturaleis sua munera variè obire; neque ob effectum specialem seriem perturbet, ex qua varietas, pulcritudòque Mundi est. Quæ habetudo interim sit, non agnoscere denteis tum inciforios, tum molareis ob commanducationem factos, non multò antè meminimus. Dicitur quoque mox, quàm immeritò illi possideant oculos, qui non agnoscunt oculos fuisse ad videntum concessos. Quamvis enim nonnulli cæci, luscii, strabones, præti nascantur; id generalis est Providentiæ, de qua dicitur posterius. Non suntò verò oculi in occipitio quoque collocati; attamen sufficiunt, qui in facie sunt; cum & conversionem corporis totius habeamus paratissimam; & congruum fuerit oculos versùs eam partem constitui, ad quam & pedum foret incessus, & manuum machinatio. Idem proportionè dicendum de mammis, quas si masculi possident, non illas quidem ad lactandum, sed partim ad ornatum, quod Cicero habet; partim ad regionem cordis communiendam, quod habet Aristoteles: qui & sæpe declarat Naturam, ubicumque id potest commodè, unam,

E e eandemque

3. de fin. 4.  
de part. an.  
10.

eandemque partem destinare ad plures usus; quales sunt, meatus communis urinæ, & seminis; dentes ad mandendum, & articulatim loquendum, &c. Non sunt autem avibus mammæ; quia & lacte non indigent, cum cibis statim solidioribus ob præparationem in ingluvie nutriri valeant; & pectus aliunde carne plurimâ communitum habeant. Idem de Lingua, quâ licet pisces ad loquendum non utantur; utuntur tamen ad sapiendum, deligendumque cibos idoneos; cum & lingua sit una partium, quarum esse potest usus multiplex; & illius ad loquendum usus non obstat, quin homines possint ut rebus externis, sic aliis quoque partibus mentis conceptus significare. Idem de Genitalibus, quæ nisi generi mulorum ad generandum inserviant, inserviunt tamen ad emittendum lotium, ad decorem, & ad monstrandum, quam Natura affectat, prolis cum parentibus similitudinem: ut taceam interdum Mulam parere, imò in Cappadocia frequenter, ut ex Theophrasto Plinius habet. Idem de monstris, de quibus quoque circa generalem providentiam dicetur. Illud verò de callo pedum, de firmitudine gingivarum, de industria mutilatorum; id demùm commendat eandem providentiam, quæ parteis creavit eâ dispositione, ut vel munirentur adversus injurias, vel partium, quæ deficiunt, officium, functionemque supplerent. Certè, cum, ut mox dicebamus, possit eadem pars ad plures usus destinari, æquum profus est reputare, ne hosce quidem pedum, rostri, cæterarumque partium usus, fugisse consilium Authoris-consultiissimi, qui & partibus aptitudinem, & ingenio solertiam utendi concessit. Postremò Sophisticum est, extitisse membra ante usum, cum tamen si fuerint ante usum præstitum, non fuerint tamen ante usum provisum. Unde quicquid sit de humana solertia occasionem excogitandi ex perspectis prius rebus desumente, Divinus tamen Opifex, ut materia præexistente ad operandum non indiget; ita neque ad destinandum externo ullo exemplari: quippe, qui immensâ pollens perspicacia, non minus intelligit ea, quæ non sunt, quàm ea, quæ sunt; & ex proprii intellectus fecunditate habet, tum ut futurum opus cōcipiat, tum ut de scopo illi provideat. Ac ista de his dixisse sufficiat.

P E T R I

## P E T R I G A S S E N D I

## ANIMADVERSIO IV.

*Regere Deum speciali cura Humanum  
genus.*

**R**estat specialis Providentia, quam Deus erga homines gerit, & de qua fuit nobis seorsim dicendum ob speciales difficultates, quæ circa ipsam excitantur. Ecce enim Epicurus, & alij evertere eam argumentis hujusmodi aggrediuntur. Primum ex eo desumitur, quod Deum supponunt neque iratum fieri, neque propitium posse; ne coargui possit, quod aut imbecillus, aut indigens sit. Habet hoc textus antè citatus ex Epistola ad Herodotum, & post præmissam ratam illam Sententiam, *Quod Beatum, aternumque est, id nec habet ipsum negotij quicquam, nec exhibet alteri;* verba hæc subjiciuntur; *Itaque neque irâ neque gratiâ tenetur; quod qua talia sunt, imbecilla sint omnia.* Heinc proinde sunt decantata illa ex Lucretio carmina

*Omnis enim per se Divûm natura necesse' est  
Immortali a vo summa cum pace fruatur  
Semota à rebus nostris, sejunctaque longè.  
Nam privata dolore omni, privata periculis,  
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri  
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.*

Sic apud Senecam, Deus, inquit Epicurus, *nihil agit, nec magis illum beneficia, quam injuria tangunt:* Et apud Ciceronem, Dî, inquit Epicureus, *neque propitij cuiquam esse solent, neque irati.* Ac ut verbis etiam Lactantij rationem deducam: *De Schola, inquit, Epicuri est, sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem.* Nam cum putaret Epicurus alienum esse à Deo malum facere, atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumq; nascitur, ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat consequens esse, ut si habeat iram Deus, habeat & gratiam. *Itaque ne vitium concederet etiam virtutis fecit expertem.*



Affine est huic argumento, quod Deus nos sinat agere res nostras, minimèque attendat ad preces, quas ad ipsum profundimus; atque adeò omnia seu bona, seu mala, non aliter, quàm duce fortunâ, aut nostrâ prudentiâ eveniant. Id declarat passim Lucretius exemplis, ut cùm irrita esse docet vota, quæ fiunt pro fecunditate, suscipiendisque liberis :

lib. 4.

*Nec divina satū genitalem Numina quoiquam  
Absterrent, Pater à natis ut dulcibus unquam  
Appelletur, & ut sterili Venere exigat ævum,  
Quod plerique putant, & multo sanguine mæsti  
Conspargunt aras, adolentque altaria donis,  
Ut gravidas reddant uxores semine largo,  
Ne quicquam Divūm numen, sortis que fatigant.*

Itèmpro salute, à nautis :

lib. 5.

*Summa etiam quom vis violenti per mare venti  
Induperatorem classis super æquora verrit,  
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis  
Non Divūm pacem votis adit, ac prece quæsit  
Ventorum pavidus paces animasque secundas?  
Nequicquam, quoniam violento turbine sæpe  
Conreptus, nibilo fertur minùs ad vada leti.*

Quo loco alluisse videtur ad protritum illud Diagoræ responsum, qui dicenti cuidam amico, cùm venisset in Samothraciam: Tu, qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint. Ita sit, inquit, illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in marique perierunt. Ita refertur à Cicerone, qui & postquàm subiecit narrationem hanc, idèmpre, cùm ei naviganti vectores ad versa tempestate, timidi, & perterriti dicerent, non injuria sibi illud accidere, quò eundem in illam navim recepissent, ostendit in eodem cursu multas alias laboranteis, quæsritisque, num etiam in iis navibus Diagoram vebi crederent. Tum sensu planè Epicureo (scilicet sub persona Bottæ) Sic enim sese res habet, ut ad prosperam, adversamve fortunam qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil interfit.

3. de nat.  
Do.

Aliud argumentum (quod etiã Academici adversus Stoicos urgent) non est illi absumile, quod visum est jam antè urgeri circa animalia

malia, cæterâsq; res noxias, quas non modò Deus initio fecerit, sed & scaterere jam patiatur. Non repeto heic Lucretiana illa carmina: *lib. 5,*

*Præterea genus horrifèrum, natura ferarum,*

*Humano generi infestum, terræque, marique, &c.*

Adnoto solùm locum illum ex Academicis Ciceronis: *Cur Deus omnia nostri causâ cùm faceret (sic enim vultis) tantam vim nutricum, vi-* *lib. 4:*

*perarumque fecerit? Cur mortifera, ac perniciofa tam multa terrâ mari-  
que disperserit? Quippe ad hunc præfertim locum respexisse videtur*

*Lactantius, cùm hæc edisseruit: Sed Academici contra Stoicos disse-* *lib. de Ira*  
*rentes solent querere, cur si Deus omnia hominum causâ fecerit, etiam mul-* *Dei, ca. 13.*

*ta contraria, & inimica, & pestifera nobis reperiantur tam in mari, quàm  
in terra? Quod Stoici veritatem non respicientes ineptissimè repulerunt.*

*Ajunt enim multa esse in gignentibus, & in numero animalium, quorum  
adhuc lateat utilitas, sed eam processu temporum inveniri, sicut jam plura  
prioribus sæculis incognita, necessitas, & usus invenerit. Qua tandem utilitas  
potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri, qua homini molesta,  
& perniciofa sunt? an medicina in his aliqua latet, que si est, inveniretur  
aliquando? Nempe adversus mala: cùm id illi querantur, esse omnino ma-  
lum. Viperam ferunt exustam, in cinerèsq; dilapsam mederi ejusdem be-  
stia morsui; quantò melius fuerat eam prorsus non esse, quàm remedium con-  
tra se ab ipsa desiderari. Affinis quoque huic argumento est ipsa  
naturæ imbecillitas, quàm Plinius copiosè deducit, & subindi-  
cata est à Lucretio citatis illis carminibus:*

*Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis*

*Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni*

*Vitæ auxilio, &c.*

Quippe exinde arguitur, tantùm abesse, ut Deus gerat specialem curam hominum, ut providere potiùs videatur animalibus cæteris cura aliqua specialiore. Sed audiatur Plinius, qui postquam dixit hominis causa videri naturam cuncta alia genuisse, pergit:

*Magna, & sæva mercede contra tanta sua munera: ut non sit satis asti-* *lib. 7. in*  
*mare parens melior homini, an tristior no verec fuerit. Ante omnia, unum* *præfas.*

*animantium cunctorum alienis velat opibus: cæteris varia tegumenta tri-  
buit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas,  
squamas, vellera. Truncos etiam, arborèsq; cortice interdum gemino  
à frigoribus, & calore sutata est. Hominem tantum nudum, & in nuda humo  
nat ali*

natali die abjicit; ad vagitus statim, & ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lacrymas; & has proinùs vita principio. At Hercule, risus precocis ille ante quadragesimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, qua ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexu. Itaque infeliciter natus jacet, manibus, pedibusque devinctus: flens animal, cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob causam, quia natum est. Heu demerentiam, existimantium ab his initiis ad superbiam se genitos! Prætereo alia: observo solum hanc exclamationem ed tendere, ut vanitatem coarguat, quâ sic provifum nobis existimamus, ut cætera omnia nobis subiciantur, ac nostro fato sint etiam sublimia illa corpora, quæ alio loco conderans, Non tanta, inquit, cælo nobiscum societas est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque Siderum fulgor. Et eodem fine Seneca: Non nos causa sumus Mundo hyemem, æstatemque referrendi. Suas ista leges habent, quibus divina exerceantur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur. Hoc loco posset commemorari, quod Cæsar apud Lucanum,

—— Nunquam se cura Deorum  
Sic premit, ut vestra vita, vestraque salutis  
Fata vacent.

Sed argumentum tamen præcipuum, quo permotus Epicurus hanc Providentiam est inficiatus, fuit indicatum illud à Synefio, ac Origene, & adnotatum à D. Ambrosio his verbis: *Occurimus opinioni eorum, qui videntes sceleratos quosque divites, latos, honoratos, potentis, cum plerique justorum egeant, atque infirmi sint, putant vel Deum nihil curare de nobis, vel si scit omnia, iniquum esse judicem, ut bonos egere patiantur, abundare improbos.* Verùm Lactantius magis explicatè: *Videbat, inquit, Epicurus bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, carorum amissiones; malos contra beatos esse, augeri potentiâ, honoribus affici. Videbat innocentiam minùs tutam, scelera impunè committi, Videbat sine delectu morum, sine ordine, ac discrimine annorum savire mortem; sed alios ad senectutem pervenire, alios infanteis rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentia flore, immaturis funeribus extinguì; in bellis potius meliores & vinci, & perire. Maximè autem commovebat, homines imprimis religiosos gravioribus malis affici; iis autem, qui aut Deos omninò negligere, aut non pie colere, vel minora incommoda evenire, vel nulla.*

Itaque

lib. 2. cap. 8  
2. de Ira.  
17.

in encom.  
calvis.  
I. con. Cels.  
I. offic. 13.

lib. 3. cap.  
17.

Itaque ex his Epicurus divinam Providentiam tollens ita argumentabatur, quod attineret quidem ad mala, ut est apud eundem Lactantium, *Aut Deus vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neq; vult, neque potest; aut & vult, & potest.* Si vult, & non potest, *de ira Dei,* imbecillus est, idèq; non Deus, Si potest, & non vult, invidus; quod aequè abominum à Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillus est, idèque neque Deus. Si vult, & potest, quod solùm Deo convenit, unde ergo mala? aut cur illa non tollit? Quod spectaret verò ad bona, quæ eveniunt improbis, ea causabatur, quæ Plutarchus innuit eo libro, qui est de serò à Deo punitis. Quippe ad Epicuri mentem ita Patrocles interloquitur: *Iampridem eum indignatione audiebam Euripidem asserentem iniunctari Deum; hanc quippe esse ejus naturam. Enimverò nullam ad rem. Minime autem omnium decet Deum esse segnem in malos, qui ipsi sanè segnes non sunt, neque maleficientia sua diem producunt: sed celerrimo impetu suis abrepti passionibus ad flagitia incitantur. Ultio quippe, quæ maleficium quàm proximè sequitur, ut ait Thucydides, illic viam intercludit iis, qui malitia bonos successus plerumque habente utuntur. Siquidem nihil æquè spe frustrat, animòque frangit injustè affectum, nihil aequè ferocia, atque audacià improbum auget, ac justa vindicta dilatio. Econtrà verò supplicia, quæ facinora confestim excipiunt & maleficia futura inhibent, & consolantur summopere illos, qui sunt passi injuriam. Itaque mihi etiam Bianthis dictum molestum, saepe id mecum repetenti quod malo cuidam dixisse fertur: Non metuo, ne non sis daturus pœnas; sed ne ego id non sim visurus. Etenim quid utilitatis rediit ad Messenios, cum ante interfecti sunt, quàm de Aristocrate sumptum est supplicium? Et statim: Aut quod solatium Orchomeniis, qui proditione Lyeisci liberos, amicos, & familiaris amisserant; cum morbus longo post tempore Lyciscum in vasis, corpusque ejus depastum est?*

Hæc eadem propemodum sunt, quæ Ciceronianus edidit *3. dena. De.* Cotta. Verùm ubi inter cætera quæsiuit, *Cur omnium crudelissimus tandiu Cinna regnaverit? subjicit: At dedit pœnas. Prohiberi melius fuit, impediri que, ne tot summos viros interficeret, quàm ipsum aliquando pœnas dare. Summo cruciatu suppliciiisque Q. Varius homo importunissimus periiit; sed quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conservari melius fuit, quàm pœnas sceleris Varii pendere. Tum aliis exemplis recentis pergit: Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum,*

lum, qui temporibus illis prado felix habeatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tandiu viveret. Et ut luculentius ostendat, ne tardè quidem scelerum pœnas dare improbos, affert exemplum Dionysij, cujus facta impia (ac speciatim in Jovis, Æsculapiique statuas) postquam enumeravit, subdit: Hunc igitur nec Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero, diuturno quæ morbo insabescentem interemit; atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidæ rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam, & legitimam, hereditatis loco filio tradidit; scilicet postquam duodequadraginta annos tyrannus fuit opulentissima, & beatissima civitatis: quod paulo ante notaverat. Postea verò ad responcionem, quam afferebant Stoici, Eam vim Deorum esse, ut etiam, si qui morte pœnas scelerum effugeret, expetantur ea pœna à liberis, à nepotibus, à posteris, insurgit: O miram aequitatem Deorum! Ferret-ne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset? Nempe Bion ad Plutarchum dicebat, Deum, qui in liberis improborum scelera puniret, ridiculum esse, præ medico illo, qui nepoti, aut filio propter morbum avi, aut patriæ, medicinam adhiberet, & Q. Claudius apud Agellium. Nam hac maxime versatur Deorum iniquitas, inquit, quòd deteriores sunt incolumiores, neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare. Ne longum faciam, Epicurus, qui apud Plutarchum videtur dixisse πῶς ἢ ἄπερ τῆ τῆ Θεῶ Φροντὶδι τὰ καὶ ἀνθρώπων οἰκονομῆται, τῆ μὲν κίβδηλον ἀτυχεῖ τὸ ἢ ἀσέτιον τὰν ἀνθρώπων πᾶσαι; Qua ratione, si cura Deo res humanæ sunt, malis est bene, & bonis malè? videtur illud Telamonis fuisse imitatus, qui uno versa, inquit Cotta, locum totum conficit, utrum Diæ homines negligans,

loc. cit.

lib. 17. cap. 2

1. plac. 7.

loc. cit.

lib. 13.

lib. 1.  
in Rufin.

Nam si curent, bonis bene fit, malè malis: quod nunc abest.

Danaë certè, quæ Leontij Epicuræ filia fuit, legitur apud Athenæum, cum ad supplicium duceretur, dixisse, non injuriâ Deos à multis contemni. Nam quod meum, inquit, maritum servavi, hanc mihi gratiam rependunt Diæ; Laodice autem, quod maritum suum interfeceris, maximo in honore est. Et Claudianus profitetur se ea de causa interdum probasse Epicuri sententiam. Primùm siquidem exorditor:

Sepe mihi dubiam traxis sententia mentem,

Curarent Superi terras; an nullus inesset

Rektor, & incerto fluerent mortalia casu

Deinde

Deinde verò post allatum in Providentiæ gratiam argumentum ,  
subjicit in oppositum :

*Sed cum res hominum tantâ caligine volvi  
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,  
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat  
Religio, causaque viam non sponte sequebar  
Alterius, vacuo qua currere semine motu  
Affirmat, magnumque novæ per Inane figuræ  
Fortuna, non arte regi, qua Numina sensu  
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.*

Denique Momus apud Lucianum: *Non sanè per æquitatem, æquum* in Io. Træg.  
*est irasci Epicuro, neque ejus discipulis, disciplinæque successoribus, si talia  
de nobis senserunt. Quid enim de nobis sentire ipsos quæpiam putet, cum tan-  
tam in vita perturbationem cernunt? Bonos quidem negligi, & in pauper-  
tate, morbis, & servitute consumi; homines autem scelere omni conta-  
minatos, honore, & divitiis præcellere, & melioribus imperare. Sacrile-  
gos verò non puniri, sed delitescere; insontes autem interdum cruci affigi,  
& suffibus cadi. Quæ cum videant jure de nobis ita sentiunt, ac si nihil om-  
nino simus. Quò facit illud Ovidii:*

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso;  
Solicitor nullos esse putare Deos.*

Itèmq; illud :

*Marmoreo Licinus tumulo jacet; at Cato parvo;  
Pompejus nullo: credimus esse Deos?*

Et hætenus quidem est illa Epicuri impietas, ob quam sancti Pa- adv. gent. 47  
tres fuere illi summè infensi. Ferre non potuit Tertullianus asse-  
ri ab illo, *esse Deum otiosum, & inexercitum, & ut ita dixerim, neminem  
rebus humanis. Ac rursus: Qualem Valentiniани Byton Deum suum finge-  
bant, infinitis retrò sæculis maximâ, & altissimâ quiete, in otio plurimo pla-  
cida, & ut ita dicam, stupentis divinitatis. Miratus est, ut antè diceba-  
mus, D. Augustinus, potuisse illum gloriâ florere Athenis, unde  
expulsi alij, qui non æquè gravia peccassent, veluti Anaxagoras.  
fabulatum dicit D. Athanasius, & Salvianus addit etiam delirasse,* adv. Valent  
7.  
18 civit. ut  
1. de gub. c.  
Dei.  
lib. de incar.  
Verb.  
*quando ut voluptatem cum virtute, sic Deum cum corpore conjunxit. Verum,  
ne in istis recensendis hæream; agnovere etiam Ethnici, ex nega-  
ta Deo rerum humanarum providentia Religionis nervos penitus  
incidi,*

Y. de na.  
Deor.

incidi, ac virtutes omneis, quæ cum Religione societatem habent, penitus intercedere. Omnium nomine Cicero: *Sunt, inquit, Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos, Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? qua sanctitas? qua religio? Hac enim omnia pure, ac caste tribuenda Deorum Numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii, neque possunt nos iurare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit: Quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est. Quibus sublati perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio, atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, iustitia, tollatur.*

Cæterùm, cum ex ante dictis constet Deum suâ providentiâ res universas attingere; manifestum quoque videtur tantò Deum specialius providere hominibus, quantò ipsis majorem sui, quàm cæteris rebus notitiam impressit. Etenim cæteræ res omnes ad spectabiles instinctu solum quodam cæco Authorem suum consistuntur; homines autem expressam habent Authoris sui notitiam, ipsiusque beneficentiam erga se disertè agnoscunt. An-non igitur æquum est, ut quoniam est specialis quædam inter Deum, hominésque communio, concedamus Deo specialem erga homines providentiam; Et cum ipsa Cælestium rerum contemplatio, totiusque naturæ perferutatio ad ullum genus aliud animantium pertineat; nonne est dicendum & cælos, & cætera omnia propter hominem comparata esse? Ad quid enim tantus decor Univerſi, nisi esset Homo, qui consideraret, ipsoque perspecto, hymnum Authori caneret? An aliquam aliam naturam videmus, quæ ædificium hoc tantum conspiciens, in Architecti sapientissimi admirationem perinde rapiatur? An tam speciosum spectaculum exhibere Deo visum est, nec providere de Spectatore? Itaque si Choragus jam aded præclaram exhibet scenam; debet ipsi cura hominum spectantium potissimum incumbere. Quid heic proinde memorem tum mirabilem fabricam, contexturamque corporis, tum eminentem

eminentiis facultates, quas observamus in Anima? tametsi enim Bruta quoque plurima nobiscum communia possideant; cum Deus nihilominus ad præcipuos sineis præcipuè respiciat, necessarium profectò est, ut ad hominem præsertim attendat, in quo ipsa quoque organa corporea functionibus animi, quibus nullæ esse possunt illustriores, vult inservire. Quid memorem etiam principatum illum, quo voluit ipsum hominem præeminere cæteris rebus; quando utcumque imbecillus primâ fronte appareat; apparet tamen attendenti, ad hoc natus, ut imperet; seu faciem ejus erectam spectes, seu solertem illam, ac providam mentem, quâ universa sibi submittit, dum omnia, quæ in Mundo sunt, vel ad usum vitæ necessarios refert, vel ad genera varia voluptatum?

An heic indicem, quod inter agendum de Animi immortalitate dicetur, cum necesse sit Deum esse justissimum, nihil æquius videri, quàm ut provideat homini de statu immortalitatis, in quo scilicet post interitum ea consequatur præmia, vel supplicia, quæ plerumque dum est in vivis, non assequitur; cum & vir bonus sæpenumerò opprimatur malis, & malus bonis plerumque affluat? An adjiciam tacitum sensum, quo nemo, quantumvis in Deum, ejusque Providentiam impius, non urgeri se experitur, cum nunquam possit ut verecundiam, sic conscientiam deponere, quæ est semper illi plusquam mille testes? Omnino enim heinc efficitur, ut impressa sit nostris animis anticipata notio, quâ Deum res nostras curare sentiamus. Et videtur ea quidem in prosperis rebus potissimum obliterari, uti à Lactantio observatum est: *Nam tum maximè inquit, Deus ex memoria hominum elabatur, cum beneficiis ejus fruente honorem dare divina indulgentia deberent; verùm excitatur statim in adversis, nullumque majus, atque præsentius, quàm ex ipsa solatium est. At verò, pergit ille, si qua necessitas gravis presserit, tum demum recordantur; si belli terror infremuerit; si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit; si sæva tempestas, si grando ingruerit; ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus, ut subveniat, oratur. Si quis in mari vento saviente jactatur, hunc invocat; si quis aliqua vi afficitur, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per ejus divinum Numen, atque unicum nomen, hominum sibi misericordiam querit.*



Ut dicamus autem de iis argumentis, quæ proposita prius sunt; illud imprimis, quod de Ira, deque Gratia objicitur, ita potest excipi, ut argumentari etiam quasi *ad hominem* adversus Epicurum possit. Ecce enim fateatur Epicurus, juxta ante-dicta, esse in Deo, *non corpus, sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sanguinem*: Quid ni igitur similiter fateatur esse in Deo, non Passiones, sed quasi Passiones? atque ad eum non irasci illum, sed quasi irasci; non teneri gratiâ, sed quasi teneri; quatenus scilicet id præstat, castigando improbos, quod hominum vulgus solet facere, dum iræ succumbens ulciscitur, facitque injuriam; & bene afficiendo bonos, quod homines faciunt, dum capti alicujus indole gestiando lætantur? Et sanè, si potest Vir sapiens, ut suo loco observabitur, famulum peccantem increpare, & corrigere, ac animo tamen quieto constare: si sine gestiente lætitiâ egenti benefacere, ac ita se quoque habere erga miserum, ut nihil opis prætermittens, quò minùs illum sublevet, dolorem tamen fractâ mente non sentiat, seu ipsa affectione misericordiæ non perturbetur: erit-ne minor in Deo virtus, ut punire fonteis, gratificari indigentibus, afflitis succurrere, nisi imbecillitatem tectetur, ac faciat simul suæ sapientiæ felicitatisque jacturam, non possit; An in Deo esse non poterit, quæ est in Iudice animi sedatio; qui ubi de damnando reo agitur, usurpare potest illud Senecæ, *Procedam in Tribunal, non furens, nec infestus, sed vultu legis*; & illa *solemnia verba, severa magis, gravique, quàm rabida voce concipiam*; & *agi jubebo non iratus, sed severus. Et cum cervicem noxio præcidi imperabo*; & *cum parricidam in suam culeo*; & *cum mittam in supplicium militare, & cum Tarpeio proditorem, hostemve publicum imponam, sine ira, eo vultu, animoque ero, quo serpentes, & animalia venenata percutiunt. Iracundia opus est ad puniendum? Quid? Tibi videtur lex irasci his, quos non novit, quos non vidit, quos non futuros sperat? Illius sumendus est animus, quæ non irascitur, sed constituit.* Sic ille. Et certè est Iustitia virtus, quâ si ira temperetur, non perturbatio illiberalis, sed zelus laudabilis fit. Quò magis Deus potuit in sua felicitate servari, dum meritis pœnis agenteis præter jus, & æquum homines excipiet.

Est verò etiam aliud argumentum *ad hominem*, quo quæri ex Epicuro potest, Deus ne (quilibet-ve Deorum in Intermundiis illis, aut,

T. de Ira 16

aut, ut Lucretius vocat, *sedibus quietis*, degentium) voluptate afficiatur quapiam, seu aliqua re delectetur, an-non? Nam si nulla delectetur, & ne suam quidem felicitatem cognoscat, ac sentiat, Marpesia est cautes, neq; ulla in eo felicitas intelligi, magis quam in lapide potest. Sin delectetur; perspicuum est, delectationem esse affectionum, seu passionum unam; atq; idè non omnem omnimodo acceptam passionem alienam esse à divina natura; ac istam quidem tantò minùs, quantò est quasi flos, ac veluti coronamentum omnis actionis elicite secundum naturam. Porro, si in Deo delectatio est; quanam, amabò, esse major, quam quæ ex Beneficentia percipitur, potest? Quomodo autè potest Deus uberiùs, magnificentiusq; suam testari beneficentiam, quam toti Mundo providens, ac speciatim hominibus, qui sint hujus beneficentiæ, Providentiæque intelligentes? Verùm homines quidem experiri hujusmodi beneficentiam, seu largiti Deum illis beneficia, planum fiet in Ethicis, maximèque ex Seneca, cujus inter cætera verba illa sunt, *Neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit.* 4. de benef. cap. 4. Et statim; *Non dat Deus beneficia, unde ergo ista, quæ possides, quæ das, quæ negas, quæ servas, quæ rapis? Unde hæc innumerabilis, oculos, aureis, animum mulcentia? Et postea. Infra sunt nobis omnium Ætatum, omniumque Artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Et natura, inquis, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, & Divina Ratio toti Mundo, & partibus ejus inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc Authorem rerum nostrarum compellare; & Iovem illum Optimum, Maximum ritè dices, & Tonantem, & Statorem, &c. Et mox; Ergo nihil agis, ingratiissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed natura, &c. Sed hæc pluribus suo, ut dixi loco; quod ad istum spectet, præclare Lactantius, *Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet, si seccantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia?* cap. 5. cap. 6. cap. 7.*

Hæc interim verba revocant in mentem non id modò, quod adversus Marcionem habet Tertullianus; nam, *si aliquem, inquit, de Epicuri schola Deum affectavit Christi nomine titolare, ut quod beatum, & incorruptibile sit, neque sibi, neque aliis molestias præbet (hanc enim sententiam removens Marcion, removit ab illis se reverentiam, & judicium vices)*

aut in totum immobilem, & stupentem Deum concepisse debuerat, aut &c. ac iterum, Sed Marcion principalem suæ fidei terminum, de Epicuri scibola agnoscat dominum inferens hebetem, nec timeri dicat eum, &c. verum etiam id, quod Maximus Tyrius, dum Philosophos cum Poëtis circa opiniones de Deo comparans, Epicurum habet circa hanc sententiam quovis Poëta socordiozem, dissolutiozem, Numinisque imperitiozem, & postquam ipsam fabulam dixit, quæsitque, in cujusmodi Voluptatibus, versari Deum putet, subdit, *At ne Sardanapalus quidem negotio vacabat, qui degeret licet clausis foribus, & in calato recubans lecto, mulierum chorum circumstantem haberet, nihilominus de salute Nini, deque Assyriorum felicitate consilia habebat. Tibi-ne ergo videtur Iovis, quam Sardanapali voluptas languidior? ὦ μύθων ἀπίστων; O incredibileis fabulas!* Dicit porro etiam fabulas Plutarchus, qua occasione ipsi Epicurei Providentiam μύθων, fabulam dixerunt: ac fatuum subinde pronuntiat, quod illi fuere argumentati adversus Empedoclem Dæmonas inducentem, *Non posse illos (quod postea adnotabitur) pravi, & visiosicūm sint, felicis, longævósque esse, quod pravitati insit mala cecitas, & ad afferentia interitum propensio;* ut liceat proinde fatuum dicere, quod pari ratione argumentabantur commotionem illam, quæ per iram sentitur, rendere ad dissolutionem.

Ad alia ut accedam, tamen si nos Deus sinit res nostras agere; non minus idcirco illi curæ sumus. Quippe, qui naturâ sumus liberi, idcirco nos, quæ maxima ipsius benignitas est, frui patitur libertate nostra, ac nos interea procul dubio versus meliora dirigit. Etenim vices parentis gerit, dū ludicras exercitationes liberis permittens, præmia etiam, ac pœnas addit; neque est dubium, quin velit omnibus generosè se gerere. Hinc verum quidem est fortunam respectu nostri sæpe injici; sed illa in tamen ipse moderatur. Verum quoque prudentiam nostram quidpiam interdum conducere, at tamen ipse nos illâ donavit, spectaculoque suavissimo nos illâ utentis observat. At qui preces nostras sæpe non exaudit, ut dum steriles pro fecunditate, nautæ pro salute supplicant, & vota concipiunt. Sed videlicet neque parens, quicquid filij precantur, tribuit. Quod possint verò tam pij, quam impij eadem jactari tempestate; quod possint aliquando mali evadere incolumes, tabellâque appendere, & boni aliquando pereant, neque tabulæ illorum votivæ cernantur;

ad

4. benef. 4.  
loc. cit.  
lib. 1.  
lib. 5.

dissert. 29.  
de vat. def.

ad id spectat, quod mox dicitur de viris malis, quibus bene; & de bonis, quibus malè est. Interea, quod spectat ad vota, nihil videtur posse appositè magis, quàm illud Poëtæ attexi, nisi, quòd Deum debuit, non Deos dicere,

————— *Si consilium vis,*

*Permittes ipsis expendere Numinibus, quid  
Conveniat nobis, rebùsque sit utile nostris;  
Nam pro jucundis aptissima quaque dabunt Dii.  
Carior est illis homo, quàm sibi. Nos animorum  
Impulsu, & magna, cæcàque cupidine ducti  
Conjugium petimus, partumque uxoris, at illi  
Nòrunt qui pueri, qualisque futura sit axor.*

*Juvenali  
Sat. 10.*

Illud de animalibus, cæterisque noxiis rebus non aliis verbis solvere lubet, quàm ipsius Lactantij. Is nempe, postquam improbat quæ dicebantur à Stoicis: *Brevius igitur, inquit, ac verius respondere potuerunt in hunc modum. Deum cum formasset hominem, velut simulacrum suum, quod erat divini opificij summum, inspira vit ei sapientiam soli, ut omnia imperio, ac ditioni sua subjugaret, omnibusque Mundi commodis uteretur: proposuit tamen ei & bona, & mala, quia sapientiam dedit, cujus omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisquam eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere, ac vitare, quæ mala sunt. In vicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrumque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit sapientia, & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posses, sic etiam mala, quæ caveret. Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem possit; tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? Cum quocumq; porre extenderit manum, id natura aptum, & commodum sit; ut si quis velit apparatusissimam cænam infantibus, qui nondum sapiant, apponere, usq; id appetent singuli, quòd unumquemq; aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, & quicquid sumperint, id illis erit utile, ac salubre. Quid igitur nocebit eos, sicuti sunt, permanere, & semper infantem, ac nescios esse rerum? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiã venenata, decipiuntur utiq; per ignorantiam boni ac mali, nisi accedat his sapientia,*

tia, per quam habeant malorum refectionem, bonorumque delectum. Vides ergo magis propter mala opus nobis esse sapientia, quæ nisi fuisset proposita, rationale animal non essemus. Hæc ille, quibus atteri posset, quæ præclare habent inter Sanctos Patres, Augustinus, Bernardus, alij; sed partim illa ob via sunt, partim hæc sufficere possunt.

De opif.  
Dii. 3.

Sic feligere etiam juvat præcipua aliqua ex iis, quæ idem Laërtius ad objecta illa de imbecillitate responder: Is nimirum postquæ eadem prope omnia, quæ sunt recitata ex Plinio proposuit, solvere illa aggreditur, ac cætera inter, sic habet: *Libet igitur interrogare istos divinatorum operum reprehensores, quid in homine deesse, quia imbecillior nascatur, credant? Num idcirco minus educuntur homines, num minus ad summum robur ætatis provebantur? Num imbecillitas, aut incrementum impediatur, aut salutem, quoniam quæ desunt, ratio deprehendit? Tum enumeratis incommodis variis, quæ cæteræ quoque animantes, ac volucres potissimum in educandis fœribus subeunt, ait: Num ergo ineptissimus sit, si quis putet malè cum volucris egisse naturam? Primum, quod bis nascantur, deinde, quod tam infirmæ ut sint quasi per laborem cibus à parentibus nutriende. Prosequitur: Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora præmittunt. Quæro igitur ab ijs, qui conditionem pecudum sua præferunt, quid deligant, si Deus bis de ferat optionem? Vtrum malint, humanam ne Sapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Quid optent? quid eligant? Scilicet non tam pecudes sunt, ut non malint vel fragiliorem multo, quàm nunc est, dummodò humanam, quàm illum irrationabilem firmitatem sine ratione. Quare nihil est tam repugnans, tamque contrarium, quod nunquodque animal, aut ratio instruat necesse est, aut conditio nature. Et rursus, postquam rationis commoda pertexuit, addit; Nam cum fragilis, imbecillisque nascatur (homo) tamen & à mutis omnibus tutus est, & ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiam si vim cali fortiter patitur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quàm natura mutis; quoniam in illis neque magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quò minus aut opprimantur à nobis, aut nostra subiecta sint potestati. Concludit: Potest-ne igitur aliquis, cum videat etiam boves, & vacas, aut equos, aut elephantes cum immanissimis corporibus,*

*ac viribus servire homini, queri de Opifce rerum Deo, quòd modicas vi-  
reus, quòd parvum corpus accepit; nec beneficia in se divina pro merito  
æstimat? Quòd est ingrati, aus, ut verius loquar, insani. Melius igitur  
Plato, ut hos, credo, ingratos reselleret, natura gratias egit, quòd homo na-  
tus esset.*

Hic facere posset, quòd deducimus aliàs, perversitatem esse  
nostram, quæ & palatum, & corium nostrum delicatum fecit, ut  
præclara naturæ dona nobis non sufficerent. An dominium in  
cætera sic immeritò affectemus, ut etiam corpora cælestia socie-  
tate nobiscum devincta nostra causa motus suos obeant, ex ante  
dictis colligitur, & declarari ex Cicerone potest, qui exposito  
hominum dominio in cætera omnia. *Quid verò, inquit, hominum  
ratio, nonne in cælum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos  
Astrorum curus, obitus, cursusque cognovimus. Ab hominum genere fini-  
tus est dies, mensis, annus; defectiones Solis, & Luna cognita, prædictaq;  
in omne posterum tempus, quæ, quanta, quando futuræ sint. Et statim  
post: Iam verò circuitus Solis, & Luna, reliquorumque Siderum, quan-  
quam etiam ad Mundi coherentiam pertinent, tamen & Spectaculum homi-  
nibus præbent; nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, & ad ra-  
tionem, solertiamque præstantior. Eorum enim cursus dimetati, matu-  
ritates temporum, & varietates, mutationesque cognovimus; quæ si homi-  
nibus solis nota sunt, hominum causa facta esse judicanda sunt.*

Difficilis superest locus circa bona, quæ viris malis; & mala  
quæ bonis eveniunt. Verùm qui seriò attenderit, mirabilem quo-  
que agnoscat circa bonorum, malorumque distributionem, pro-  
videntiam. Nam quòd spectat quidem ad Bona, quæ contingere  
improbis dicuntur; vide imprimis, an non rectè Jamblicus  
existimet illa ipsis esse verè mala, ad eum modum, quo omnes  
cibi in depravato stomacho ut vitiantur, sic mali sunt? Cùm ni-  
hil certè sit verè bonum præter unicam virtutem, aut quòd vir-  
tute temperatù in nostrum cedit commodum; clarum est pravos  
homines, ut virtutis expertes sunt, sic neque fortunæ quæ dicun-  
tur bona, eà, quâ par est, animi moderatione excipere. Unde  
& illorum possessio perturbationes plurimas in animis ipsorum  
creat; & nullam unquam voluptatem liquidam, ac sinceram  
parit. Ex quo fit, ut illis contingant non vera, sed fucata bo-  
na,

na, quòd cortice tenuis sint vera, & nihil solidi intus contineant: sicque qui illa possident, videantur indigni à Deo iudicati, quibus solidiora darentur; uti præfectura popinæ, non militiæ, tribuitur iis, qui degeneres, & ignavi sunt.

Deinde, ne existimes improbos, quòd his bonis affluent, propterea esse felices dicendos. Ut enim taceam, improbitatem tortorem esse continuum, & ut ille sapienter dicit, malitiam semper veneni sui partem maximam bibere, quòd malus quisque nocte, dièque suum in pectore testem gestet, ac se iudice (quæ prima est ultio) nemo nocentium absolvatur; quæso te, quam multos citare possemus, qui vivi dedere pœnas scelerum? Pleni sunt libri exemplorum, plena experientia; adeò ut verius nihil dici sive à Sone, sive à Poëta potuerit, quàm neminem dicendum esse felicem ante obitum. Ac objicitur heic quidem Dionysius, quasi is felix diem obierit: Verùm quibus ille angustiis vexatus tyrannidem ad mortem usq; exercuerit, demonstrat tum anxietas factò Damoclis declarata, tum dissidentia illa perpetua, quam Cicero alias describit. Prætereo autem, quod adnotatum à Valerio Maximo est, illum, quas pœnas effugerat vivus, dedecore filij rependisse mortuum. Etenim tametsi filij non videantur plectendi pro parentibus; nihilominus ista quoque ultio pertinet ad ipsos parentes, quatenus fore præsentiant, ut à posteris pœnæ exigantur; quod Plutarchus quoque subnotat. Ut nihil interim dicam de suppliciis, quæ scelesti saltem post interitum non effugiunt: cùm sit consensus omnium gentium manere eos illa apud Inferos.

Ad hæc, quod speciatim attinet ad illos, qui in Deum, ac Providentiam sese contumeliosè gerunt, vel supplicia vivos illos non destituunt, vel paratæ pœnæ in Inferis sunt, vel, ut deesse cætera putes, ipsi in sese satis torquentur, dum continenter à propria conscientia ita percelluntur, ut nunquam possint conquiescere; uti vel argumento est, quòd nulli, vel rari ad extremam usque ætatem, quemadmodum observat Plato, in ea sententia perseverent. Testis esse præ aliis potest qui & memorandus quoque aliàs est, Bion ille Boristhenites, de cujus pœnitentia carmina perpulcra sunt apud Laërtium. Idque ne interim memoriam eam consolationem, quâ se isti spoliant, & quâ pij viri afficiuntur,

ciuntur, dum confidunt, ac sentiunt adesse sibi parentem, qui prospiciat, qui dirigat, qui ipso mortis tempore immortalem Animum in felicem transferat statum. Profectò credibile est celebrem illum Diagoram, cum Deos, devotâsque ipsis derideret imagines, haud in ea fuisse tranquillitate, quâ fruebatur antequam in Atheismum incideret; fuerat enim priùs, ex Empirico, ad superstitionem usque religiosus.

Postremò, cum Deus permittit evenire bona improbis, ac serò illos afficit pœnis; id videtur, tum ipsorum-met, tum proborum etiam causâ facere. Ipsorum quidem; quoniam Deus, cum optimus sit, videtur illos concessis bonis ad virtutem allicere; cum sic in semet possint redire, ut his adjuti subsidijs, postmodum honestè se gerant; aliunde verò ipsos tolerare, & non quoties peccant, sua fulmina in eos mittere, ut occasionem, tempusque habeant quo in se descendant, atque respiscant. Videre certè licet permultos, qui ex flagitiosissimis in optimos evaserint. At Bonorum causa; quoniam & exemplo divino mansuescere discunt, & ex improborum sævitia eximîæ cujusdam virtutis exercendæ ansam excipiunt; & solatio vertunt, quòd cum illi, qui prospera utuntur fortuna, expectent catastrophem, ipsi confidunt fore, ut olim in meliorem transcribantur sortem.

Quod ad mala spectat, quæ accidunt Bonis; id etiam imprimis notandum, non ea, quæ mala videntur, esse illis reverâ mala, quòd eo affectu omnia excipiant, ut omnia ipsis bene vertant. Heinc enim fit, ut quicumq; intus, ac in animo vera bona possident, & flagitia, ac scelera, ut verè mala devitare student, cætera quæ que, dum ingeruntur, non modò frontè hilari, imperturbatiq; excipiant, sed plerumq; etiam occurrant, provocent, & ultrò accersant. Quot enumerare enim possumus excellentis virtute Viros, qui profusè volentes neglexère imperia, abjecère divitias, suscepère exilia, appetière carceres, subièrè mortem? Et putas istos conqueri potuisse, si necessitate quadam fuissent à Deo destinati ad perpetuandum similia? Deinde ergo, non est, quod credas infelices illos esse, qui sic mentem Deo subjiciunt, ut quicquid sibi acciderit tolerare valeant non inviti. Nam si amittunt externa bona, nihil suum amitti sentiunt: Si cruciantur in corpore, vasculum



lib. de Pro-  
videntia.

tundi existimant; at meliorem illam sui partem injuriis patere non putant. Et paucis, ut Olympi vertex intemeratus nubibus, nimbos, & tonitrua sub pedibus calcatur; sic illorum animus patiens serenitatem suam tuetur, incommodaque omnia, ut ex alta quadam arce despicit. Hinc est, cur Seneca non putet infeliciorem Regulum in cruce, quam Meccenatem in pluma; & commendatâ illius patientiâ, deductâque hujus anxietate, non dubitet, quin plures nasci, quam Meccenates, Reguli velint. Sed vide etiam exempla egregia in Mutio, Fabricio, Rutilio, Socrate, Catone, quibus haud ab similes fuerunt cæteri illi, quos adjicit Cotta, præter vexatos à Cinna, & Vario. Quo loco tacere non possum, quod Seneca habet præsertim de Rutilio, *quem qui damnaverunt, inquit, causam dicent omnibus sæculis; qui que a quiete animo passus est se patria eripi, quam sibi exilium.*

Ad hæc proinde, non est, quod objicias, satiùs videri, non vexari bonos, quam scelerum pœnas dare improbos; quippe & boni ipsi viri dignam ducunt gloriam, testationemque virtutis, quæ tanti emi debeat. Sic habent; Deum hac ratione gerere in se paternum affectum, quod non ad mollitiem, sed ad tolerantiam instituat; quodque proinde ij repententur, qui dignum divinis oculis spectaculum præbeant. Scilicet putant adversa omnia virtutis esse exercitamenta; & ut generosæ Athletæ, tum majores animos assumunt, cum gravius certamen suscipiunt; ac parum abest, quin fastidio habeant, cum infortunio leviori luctari. Pudet tyrones semper esse, & effusionem proprii cruoris non spectare intrepidè. Pudet viros non agere; cum etiam olim pueri apud Lacedæmonios parentes suos hortarentur ad admoventum verbera sæviora, quò illis fidem suæ constantiæ luculentiorrem facerent. Pudet, si aurum igne probetur; nec ipsi specimen virtutis, dum graviore casu urgentur, exhibeant; si tempestate invalescente, clavum non ritè teneant; si ventis Sagitantibus, non firmiores radices agant. Denique est sanè, quod secum bene agi existiment; ad eum modum, quo bene de se Imperatorem mereri putant, qui struendis insidiis, explorandis viis, dejiciendo præsidio, conscendendo muro destinantur. Nimirum unà cum labore, & periculo crescit gloria, neque is meretur coronam, qui

qui non antè certaverit. Prætereo autem, ut poenæ post mortem ignavos, & scelestos manent; sic fortes, & bonos manere delicias. Prætereo etiam quæ huc possent ex dicendis inferius circa Temperantiam, Fortitudinemque transferri: Jam enim hisce de rebus satis.

---

C A P U T IV.

*De Prima Materia, sive de Principiis concretarum in  
Universo rerum.*

**N**unc, ut ea, quæ suscepimus hæc subjicienda, resumamus; quia imprimis Sensu manifestum est, in Rerum natura multa fieri, & multa quoque interire: ideo Mente tenendum est, opus ad hoc esse materia, ex qua res gignantur, in quam resolvantur. Nempe, ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil abit. Nam si aliquid ex nihilo fieret, posse quidlibet undeliber nasci, tanquam feminibus non egens; & si illud, quod interit, in nihilum occideret, perirent prorsus omnia, tanquam non in superstibus iis, in quæ dissolverentur.

Deinde, quia dum genitæ, factæve alicujus rei nosse naturam affectamus, illud primum requiritur, siue ea unum quid, simplexque, an verò compositum ex aliquibus, quæ ipsa simplicia, prioraque sint; constat nihil genitum, factumve, unum, simplexque esse posse; quippe cum parteis habeat, ex quibus coaluerit, & in quas rursus dissolvi possit: quæque & priores proinde, simplicioresque sint; & si ipsæ adhuc compositæ fuerint, constare censeantur ex iis, quæ sint demum primæ, simplicissimæque.

Rursus itaque notum est, corporum, alia esse Concreciones, seu mavis, concreta, compositave corpora: alia ex quibus Concreciones, compositave corpora fiunt. Hæc autem, si prima, simpliciaque sint, prima rerum materia sunt, dicunturque Principia, & à recentioribus etiam Elementa.

Hujusmodi autem Principia, seu omnium prima, simplicia, in-

composita corpora (sive malis, corpuscula) esse debent, & insectilia, nullave vi resolubilia: & hac ratione immutabilia, sive in seipsis mutationis omnis expertia. Nimirum, si futurum est, ut in Concretionum dissolutionibus omnia in nihilum non increscant; sed consistat, perseveretque plena quædam, seu vacui experta, solidaque adeò natura; quippe, quæ talis cum fuerit, non habeat qua parte, aut quomodo fissuram admittat, sicque dissolvatur.

Quamobrem & necesse est, ut ea, quæ dicuntur Principia compositorum corporum, sint naturæ, ut plenæ, solidæ, immutabilis, ita omnino insectilis; unde & Atomos dicere solemus. Dicitur nempe Atomus nobis, non quod minima sit, hoc est, quasi punctum (magnitudinem enim habet) sed quod non possit dividi, cum sit patiendi incapax, & inanis experta: adeò ut qui Atomum dicit, dicat id, quod & plagæ securum est, & pati nihil potest; quodque invisibile quidem propter exiguitatem sit; sed indivisibile tamen, propter sui soliditatem.

---

## C A P U T V.

*Dari in natura rerum Atomos, quæ sunt concretorum corporum Principia.*

**C**Æterum dari Atomos allata ratio satis convincit; quoniam cum Natura nihil ex nihilo faciat, redigatve in nihilum, oportet quidpiam superesse in Concretionum dissolutione, quod in-exsolubile sit. Sanè enim, si adhuc exsolubile, divisibileve dicas, necesse erit, subdividendo perveniatur tandem ad aliquid, quod sit solidum, divisionisque incapax: quippe cum neque ipsa Natura infinite exsolvat, sed in aliquo ultimo consistat: neque dari ulla corporis in infinitum divisio possit.

In corpore certè finito non possunt partes infinite, neque magnitudinis neque multitudinis accipi, neque adeò potest intelligi in ipso peragi non modò illa in infinitum divisio, quæ in  
minus

minus fit, seu quæ per partes semper minores, ac eadem quidem divisionis proportionem semper servata procedit; verum illa quoque in infinitum progressio, quæ fit non per semper minores, sed per æquales, seu *aliquotas* vocatas partes procedendo. Siquidem, cum partes ut possint divisioni progressionique in infinitum sufficere, admitti infinitæ debeant: quomodo tandem esse infinitæ in finito corpore possunt?

Illi profectò, qui semel dixit, esse in quapiam re partes numero infinitas, intelligere amplius, declarareque non licet, qua sit ratione finita ea, de qua loquitur, magnitudo; quoniam sive aliquantæ (æqualesve inter se) sive inæquales (semperve minores) sint partes, quæ re ipsa debent in ea reperiri, ut possit divisio, progressiove in illas infinitè fieri; manifestum est magnitudinem, cujus partes sunt, quæque ex iis constat & componitur, debere re ipsa esse infinitam.

Et cum aliunde Magnitudo finita manifestè habeat extremum, extremamve partem, captu, ostensumque facilem; nisi hæc quidem pars per se, & ut extrema spectari valeat; non licet sane, tamen si eam subdividamus, intelligere ullam aliam, quæ extrema potius habenda sit; cum illa nimirum dividua pari ratione sit futura. Quare & fiet, ut ulterius, consequenterque versus extremam in infinitum procedendo, perveniri nunquam, vel cogitando possit ad partem, quæ extrema sit, neque ad eam unquam ut vel minimum spatium percurri progrediendo valeat.

Hicce adde, quod nisi superessent in exsolutionibus corpuscula ad eam solida ut nulla vi exsolvi possent, non posset satis capi discrimen, quod inter Corpus, Inanèque est; utpote quod corporis, infinitè tenuando, nihil, quod denique resisteret, subesset. Quo pacto aliunde omnia imbecilla, seu mavis mollia efficerentur, neque omnino fieri durum quicquam posset: quippe cum soliditas sola fundamentum sit duretæ. Neque est, quod idcirco hæreas, quasi, cum Atomi fiant solidæ, fieri ex illis posse non videantur res molles. Siquidem molles possunt fieri sola intermissione Inanis, in quod partes pressæ sese recipiant, tactuique eedant.

Adde & tam multiplicem in Natura constantiam, ut in prove-  
hendis

hendis semper Animalibus ad certas usque virium, incrementi, ac vitæ metas; in imprimendis semper iisdem singulorum generum discriminibus, & notis, quæ præstitura sanè non esset, nisi Principiis uteretur certis, & constantibus; atque aded dissolutioni, mutationique non obnoxiiis.

## P E T R I G A S S E N D I

## A N I M A D V E R S I O

*Quid sit, & qua necessitate Materiale Principium, Materiave prima exigatur.*

**D**ictæ huc-usque fuere duæ res Mundum veluti transcendentes; quando & *Locus* patentior est, & *Tempus* diuturnius, quàm *Mundus*. Nunc, ut aggrediamur dicere de iis, quæ generatim omnibus, quæ in *Mundo* sunt, rebus conveniunt; agendum est hoc, & sequente *Libris* de duobus generalibus rerum omnium Principiis, uno *Materiali*, altero *Efficacitate*, ut potè sine quibus fieri, constarè que res nulla possit. Prius una voce *Materia*, Posterius *Causa* dici solet: Et vide, ut conjunctim de iis *Seneca*, *Dicunt*, inquit, *Stoici nostri* duo esse in rerum natura, ex quibus omnia sunt, *Causam*, & *Materiam*. *Materia* jacet iners; res ad omnia parata cessatura, si nemo moveat. *Causa* autem, id est ratio, materiam format, & quocumque vult, versat. Ex illa varia opera procedunt. Esse ergo debet aliquid unde fiat, deinde à quo fiat. Hoc *Causa* est, illud *Materia*. *Omnis Ars* imitatio est natura. Itaque, quod de *Universo* dicebam, huc transfer. *Statua* & materiam habuit, qua pateretur, & *Artificem*, qui materia daret faciem. Ergo in *Statua*, *Materia* as fuit, *Causa* *Artifex*. Eadem conditio rerum omnium est. Ex eo constat, quod sit, & ex eo, quod facit. Neque verò *Stoici* modo, sed cæteri quoque *Philosophi* ita fenserunt; quippe ne *Aristotelem*, *Platonem*, & cæteros speciatim citem, id intelligi universè de cæteris potest, quod *Cicero* habet, dum, *De Natura*, inquit,

*Epist. 65.*

*Acad.*

*ita*

ita dicebant, ut eam dividerent in res duas, ut altera esset Efficiens; altera autem, quasi huic se præbens, ea, qua efficeretur aliquid. In eo, quicquid efficeret, vim esse censebant; in eo autem, quod efficitur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque. Neque enim materiam ipsam coherere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia, &c. Ut paucis dicam, hæc duo sunt, in quorum investigatione Physici semper maximè, quòd ex ipsis maximè pendeant, quæ sunt Naturæ opera, incubuerunt.

Sed de Principio quidem Efficiente, seu causa libro insequente: de Materiali, seu Materia differendum in isto est. Prænotandum tamen, cum *Principij* vox videatur utrique propriè convenire ( ut enim materia dicitur Principium, ex quo aliquid fit; sic Causa Principium, à quo aliquid fit ) usu tamen quodam evenisse, ut attribueretur præsertim materiæ; & non modò quidem singulari numero, sed numero etiam multitudinis; exinde enim factum est, ut *ἡ ἀρχὴ*; de Principiis agere, seu τῶν ὄντων ἀρχαῖς rerum Principia inquirere, intellectum vulgo acceptumque fuerit de Materialibus Principiis. Sanè & Aristoteles, dum quæ sint germana habenda principia definiens, Oportet, inquit, Principia neque ex se invicem esse, neque item ex aliis, ex ipsis verò esse omnia, non alia principia, quàm Materialia intellexit. Probanda interim definitio, observandumque, dum dicitur, debere ex Principiis esse omnia, indicari causam, cur principia sint; dum vero non debere, neque ex se invicem, neque ex aliis fuit, indicari, quamobrem sint prima. Quanquam neque dicenda forent esse propriè Principia, si priora haberent, neque prima forent. Præclare videlicet Plato, *Principij*, inquit, nulla est origo; nam ex Principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla alia ex re nasci potest; neque enim esset id Principium, quod aliunde progigneretur. Cum Materialia porro hæc Principia Initia quoque, & Primordia dicantur, tum plerisque etiam familiare fuit, ut *Elementa* dicerentur, Quod non fuerit autem probata omnibus nuncupatio, factum ex eo fuit, quòd vox *Elementi* fuerit primitùs attributa Igni, Aëri, Aquæ, Terræ, hoc est, quatuor corporibus, quæ omnes deinceps non probârunt dici prima Principia, quia in se mutuo transmutarent, fierentque ex se invicem; ac etiam ex aliis prioribus forent. Ejusmodi autem fuere Stoicis;

i. Phys. 5.

in Phadr.

H h

qui

qui aliundè etiam, cùm vellent principia debere esse generationis corruptionisque expertia, talia non habuere Elementa, quæ esse futurum reputârunt, ut in conflagratione Mundi generali corrumpèrentur; quod à Laertio proditum est. Fuere & Plutarchus, aliique, qui in Thalete reprehenderunt, quòd Principium, & Elementum habuerit quasi Synonyma: Tametsi, ut prima dicuntur principia, ne intelligantur secunda, quæ sunt ex primis, simplicibusque, & inconcretis composita; sic & non incongruum videtur prima Elementa dicere, ne intelligantur vulgaria Elementa, aliave concreta ex primis; ut voces proinde Synonymæ habeantur. Ita certè egit Lucretius; cùm & prima Elementa dixit, & cum literis ea comparavit, quæ Syllabarum, dictionùmque, quasi Elementorum secundorum, respectu, Orationis totius Principia, Elementave prima sunt. Egit & Galenus, quatenus rem explicuit, resolvendo Syllabam *STRA*, quousque perventum ad *A*, cujus simplex sit, & incompositus sonus.

Nb. I. & 2.

comm. I. in  
lib. de nat.  
hæc.

Utrumque sit, seu ea Principia, seu Elementa prima lubeat dicere, ipsa eadem sunt cum ea, quam dicimus Materiam primam. Tametsi enim Aristoteles dici prima Principia non modò Materiam, sed etiam Formam, & Privationem velit; non congruit hoc tamen traditæ ab ipso Principiorum definitioni, ut deducendum posterius est. Ut quadamtenus autem declaretur quæ prima Principia, quam Materiam primam dicamus, ecce in Homine, v. c. Materia, seu principia, ex quibus constat, dici possunt caput, thorax, venter, brachia, crura, minoresque etiam partes, ex quibus quasi contextus est; at non sunt hæc prima, quia constant & ipsa ex prioribus, ut putà ex carnibus, visceribus, ossibus, medullis, membranis, nervis, &c. sed neque ista sunt adhuc prima; priora enim illis sunt, ex quibus, formata, concretaque fuere semen, chylus, sanguis; quæ ne sunt quidem adhuc prima; cùm priora illis sunt alimenta, ex quibus deducta, fruges, fructus, vinum, & alia. Neque verò hæc adhuc prima; fuere enim procreata ex Terra, ex Aqua, & ut volunt etiam ex Aere & Igne. Cùmque sint qui velint esse hæc tandem Prima, quia non constat Terra, nisi ex particulis; quarum quælibet Terra fit; & Aqua  
alia

aliæque consimiliter; sunt tamen qui velint & ista, & alia constare ex aliquo falso, aliquo acido, aliquo pingui, quæ Sal, Mercurium, & Sulphur vocant, quæ cum resolvi ulterius non valeant; ideò debeant prima censerì. Porrò tamen sunt, qui contendant ista resolvi posse ulterius in ea ex quibus tum ipsa, tum universè omnia constant corpuscula minutissima, Atomos vocata, quæ quia resolvi amplius non valeant, ideò sint denique habenda pro prima Materia, seu primis Principiis, primisve Elementis rerum. Atque ex hoc est cur memoratus Galenus postquam retulit ex antiquis Philosophis Empedoclem, Parmenidem, Melissum, Alcmaeonem, Heraclitum, adjicit aliàs Prodicum, conscripsisse libros de Natura singularibus, ac fuisse etiam, qui plures, plurimos autem Epicurum; subjiciat, qui fecit initium librorum ab illa inquisitione; Πόπερον ἐν τῇ ἀπλῶν ἐστὶν ἡ τῶν φύσιν ὄρεῖν ὀπληρῶν, ἢ σύνθετον ἐκ τίνων ἑαυτῶ περιπέρων ἀπλῶν, ἀπ' οἷ μετ' αὐτῶς τὰς παλαιὰς ἐπιπέπων ὀνομασίαν συχθεῖα, *Illud ne, cujus naturam in venire admittimur, unum quidpiam, simplexque sit; an verò compositum ex aliquibus, quæ ipso priora, simpliciaque sint, quaque Recentiores vocare Elementa consueverunt.*

loc. cit.  
I. de Elem.

Haud abs re porrò prima Materia (Principiorumve, seu Elementorum, ex quibus omnia primò componuntur, aggeries) appellata est Græcis ὕλη, quæ vox *Sylvam* significat, quoniam ut Sylva, arborumve aggeries, est respectu lignariæ Artis, quasi prima Materies, ex qua lignea omnia opera conficiuntur; sic Naturæ rerum materia est veluti Sylva, ex qua omnia Naturæ opera depromuntur, ac fiūt. Videlicet ut Artifex assumpto ex Sylva trunco arboris ipsum format in statuam, aliudve opificium; sic naturale agens assumptam materiæ portionem format in plantam, Animal, aut aliud naturale corpus. Unde & facile intellectu videtur primò, quemadmodum truncus, tamen si sit lignum, nullam tamen ex se habet formam lignei opificij, ut puta nec statuæ, nec januæ, nec mensæ, nec scamni, nec lecti; & neque statuæ hominis aut equi; neque hominis hujus, aut illius, &c. sed indifferens est ad quamcumque formam, quam Artifex induxerit; accipiendam; sic naturalium rerum materiam, tamen si sit corpus; ex se tamen nullam habere corporis ullius de-



minati formam; hoc est, non hominis, non bruti, non plantæ, non lapidis, non rei alterius; sed indifferentem esse, ut omnem, & quamlibet formam, quam naturale agens induxerit, accipiat. Deinde, quemadmodum truncus potest quodvis ligneum opificium evadere, dicique aded esse quodlibet opificium potentiâ; ita posse materiam evadere corpus naturale quodlibet, dicique aded esse potestate corpora omnia; tamen actu nunquam, nisi unum (& succedenter quidem, sive unum post aliud) sit. Nimirum, ut truncus unam adeptus formam, non potest nisi illa destructa, aliam assequi; sic neque materia unam habens formam, non potest, nisi ex illius deperditione, aliam obtinere. Possent res forte percipi clariùs comparando materiam aut cum massa cære, quæ impressione varia sigilla; aut cum massa æris, quæ fusione varias facies succedenter accipit; verum tamen res satis liquet. Ad hæc, quemadmodum opificium habet à trunco, ut ligneum sit, à forma, ut sit tale opificium ligneum, veluti janua, potiusquam scabellum; sic quodlibet opus naturæ habere à materia quidem, ut corporeum, seu corpus sit; at verò à forma, ut tale corpus, veluti homo, potiusquam equus.

Itaque Materia est corpus, cujus per totum Mundum diffusi omnia, quæ dicuntur corpora specialia, Cœli, Sidera, Aër, Aqua, Terra, Lapides, Metalla, Plantæ, Animalia, ac generatim cætera, portiones quasdam obtinent, sed sub diversis tamen formis, quæ faciunt illorum inter se discrimen. Neque verò te quicquam moveat, quod materiam corpus dicamus, cum dicatur tamen Aristoteli *neque esse quid, neque quantum, neque eorum quibus Ens determinatur, aliquid*; quippe hoc quoque dictum Aristoteles cum iis, quæ sunt mox deducta cohæret. Est enim materia ex se quidem corpus; at non ex se tamen Animal, aut Planta, quæ sunt ex genere Substantiæ illi intellectæ nomine *Quid*; non magnum, aut parvum, quæ ex genere Quantitatis; non calidum, aut frigidum, quæ ex genere Qualitatis: atque ita de generibus, Categoriisve cæteris, quas ille facit species Entis, seu quibus vult Ens additis differentiis determinari. Pari certè modò dici potest truncus non esse ex se neque statua, neque sedile, neque ullum eorum, quibus lignum determinatur, opificiorum. Cæterum  
verò

6. vel 7.  
met. 3.

verò Aristoteles videtur abundè rem subolfecisse, cùm eodem loco dicit Materiam ita esse substantiam, ut, *nisi ipsa substantia foret quæ alia foret, fugeret nos*; ac rursus, *videri maxime substantiam subiectum primum*, seu Materiam esse. Ex quo proximè fit, ut ne videatur quidem ex Aristotelis esse mente, quòd reputare vulgò solent esse materiam *prope Nihil*. Ecquo verò jure talis reputetur; cùm ipsa sit potiùs, à qua unaquæque res habet suam molem, consistentiam, crassitudinem, corpulentiam, quam si adimas, nihil ampliùs res sit, secùs ac si solam ademeris formam? Quod putant certè ipsam formam esse quoque substantiam, substantiæque partem, adeòque etiam corporis; id præter ipsius Aristotelis mentem faciunt, ut ex Interpretibus Græcis constat, nominatimque ex Alexandro, qui esse formam rem incorpoream declarat. Et dicit quidem Aristoteles esse formam quoque; *ἡ σίαν*: sed hoc nomine non Substantia, quæ ad rationem corporis generalem attinet: sed Essentia, quæ ad specialem determinati corporis confert. Quo modo figura Mercurij est quidem de essentia statuæ, qua Mercurius repræsentatur; at non est tamen de substantia, cujusmodi est æs, lapis, aut lignum dumtaxat. Verùm hac de re postmodum uberiùs. Addo solùm illos ex Scholasticis Interpretibus videri rem propriùs animadvertisse, qui tamen si materiam spoliârint formis cæteris, reliquere ipsi nihilominus, quam & dixerunt formam Corporeitatis; quippe à qua habeat ut corpus sit, & cum qua formis cæteris subsit.

1. de An. 4  
7. & 12.  
Met. 2. de  
an. 1. & 2.

Cum heic observandum interim videatur, quæ sit Corporis universè sumpti natura, seu nota, res penè tamen confecta ex iis manet, quæ superius attigimus, cum circa Rerum divisionem memoravimus Epicurum, & cum ipso Lucretium Universum, seu naturam rerum in Corpus, Inanèque partiri. Exinde enim habetur corpus ita ab Inani distingui, ut cum Inane sit molis expers, intactile, incapax actionis, passionis, resistentiæ; Corpus sit mole præditum, tactile, actionis, passionis, resistentiæ capax. Et quamvis aliundè sit nobile genus substantiæ incorporeæ, quæ & Spiritualis, Intellectualisque solet appellari, & Deo tribuitur, cui competit actio, & Angelo etiam, Rationalique Animæ, cui utriusque actio, & passio; adhuc tamen corpus à genere hoc incorporeo

differt, quòd & mole sit præditum, & ratione molis tactile, ac  
 resistentiæ capax. Nempe & hoc innuit Christus Dominus, cum  
 corpore licet gloriosus, probari voluit digito esse se corpus, non spi-  
 ritum; & nemo abnuat, quod ait Lucretius,

lib. 1.

*Tangere enim, & tangi sine corpore nulla potest res*

Quod Epicurus porrò, quid sit corpus describens, corporisve  
 notionem tradens, dicit apud Epicurum, κατὰ ἄτροισμον σχή-  
 ματος τε ἢ μεγέθους, καὶ ἀνπτυσίας, καὶ βάρους, τὸ σῶμα νε-  
 νοῦσθαι, *Intelligi corpus ex congerie figura, magnitudinis, resistentiæ*  
*(seu soliditatis, ac impenetrabilitatis mutuæ) & gravitatis;*  
 attinet id quidem præcipuè ad primorum corporum, sive Ato-  
 morum notionem, quippe easdem-met illis proprietates, quas  
 heic deducit, tribuit: verùm attinet quoque ad notionem secun-  
 dorum omnium concretorumve corporum, ut quæ non aliunde,  
 quàm ex ipsis constent. Sanè etiam quod Aristoteles ait illos,  
 qui Inane asserunt, esse omne corpus ἀσπόν *Tangibile* existimare; id  
 tam de illis primis simplicibusque còrporibus, quàm de postero-  
 ribus, seu concretis, compositivè est intelligendum; ex hocque  
 est illa apud Lucretium Antithesis, qua convenire dicitur

4. Phys. 7.

lib. 1.

*Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.*

Et cùm Epicurus conscripserit librum περὶ ἀφῆς, *de Tactu*, videtur  
 omnind in illo egisse de Tactu, non ut sensus est Animalis propri-  
 us, sed generalius, ut est contactus duorum quorumcumque, seu  
 simplicium, seu concretorum corporum, secundum superficies  
 sibi occurrentium, & quam mox dici audivimus, ἀνπτυσίαν, *re-*  
*sistentiam, seu impenetrabilitatem mutuam* experientium. Prætereo  
 autem vulgò quoque admitti duo quælibet corpora non posse in  
 eodem simul loco esse, quòd dari non possit mutua dimensionum  
 utriusque penetratio; idque idè esse, quia unaquæque dimensio  
 certum locum occupans illi exæquetur, ipsùmque compleat, ne-  
 que idem locus capax sit duplicis simul complementi. Qua ra-  
 tione verò fiat, ut corpus molle ad tactum cedat, ut vinum aquam  
 in se admittat, ac cætera ejusmodi citra penetrationem fiant, pro-  
 priis locis dicendum est.

Ep. ad He-  
rod.

Atque hoc quidem loco nihil est necesse probare dari corpora;  
 quando, ut ait Epicurus, καὶ αὐτὸ ἡ αἰσθησις ἔστι πάντων μακτυρεῖ,

ipse

*ipse maximè attestatur Sensus, ac id imitatus Lucretius*

*Corpus enim per se communis deliquat esse*

*Sensus; quo nisi prima fides fundata, &c.*

lib. I.

Verùm prætereundum non est Corpus, quo de heic agimus, Naturale dici ad Mathematici discrimen. Scilicet materia, tamen ex se sit corpus indeterminatum, hoc est non istam potius, quàm illam formam habeat, aliquam tamen semper habet; & quia forma dicitur Natura, quatenus est principium, & ratio distinguendi corpus, cui inest, à cæteris omnibus, tribuendique ipsi ut tale sit, unde & corpus dicitur esse talis naturæ, seu habere talem naturam; heinc efficitur, ut & materia formam habens, & quod ex materia, formaque resultat, seu constat, dicatur *Corpus naturale*. At verò, quia Materia, ac per ipsam corpus omne naturale, cæteras inter proprietates præditum est Magnitudine, Quantitatè, quæ extensione, dimensionè trina, ut puta longitudinis, latitudinis, & profunditatis consistit; ideò Geometra, Mathematicusve proprietatem hanc deligens, ipsam à materia mente separat, separatamque considerat & de separata demonstrationes texit: Et quia dimensio profunditatis reliquas duas complectitur, talisque est, qualis inesse intelligitur; ideò ipsa quoque appellatur corpus, sed Mathematicum tamen, seu Geometricum, & de genere quantitatis, non item verò de genere substantiæ, seu materiæ, à qua intelligitur mente, considerationè abstractum. Heinc est proinde, cur dici audias spectari à Geometra lineam, quasi longitudinem expertem latitudinis, & superficiem, quasi latitudinem, quæ sit expertis profunditatis; tamen in re ipsa, hoc est in materia, materialive corpore, nulla longitudo sine latitudine sit; nulla latitudo sine profunditate. Sed hac de re etiam aliquid inferius. Adde heic solum magnitudinem, extensionem, seu Quantitatem, quod ad rem ipsam attinet, comitem esse materiæ adèò individuum, ut, vi quidem naturæ, inseparabilis ab ea sit, quòd videri possit nihil esse aliud, quàm ipsa materia quatenus extensa, considerationè, prout non est in puncto, sed partibus extra partibus habet, ac est longè, latè, profundè que diffusa. Possè eam nihilominus virtute Divina secerni, & Sacra Fide edocemur, & res aliàs dicenda est.

Intel-

Intelligi porrò ex his jam videtur, quæ sit materiæ, Principiorumve materialium necessitas. Scilicet, quia res naturales variis inter se formis distiguuntur, & formæ esse per se non possunt, sed alicui materiæ, corporive necessariò infunt; ideo necessarium est prorsus, ut materia sit communè corpus, quod omnibus Mundi formis substernatur. Cùmque omnis res naturalis esse debeat molis, magnitudinis, quantitativè alicujus, ratione cujus tangere, tangi, agere, & pati valeat, materia ex hoc quoque necessaria est, sine qua moles, magnitudo, quantitas esse nulla potest. Et ut rerum formæ per generationem, corruptionemque variè commutentur; necesse est profectò, ut materia sit, quæ quasi commune subjectum, ut unam amittit, quam sustentaverit, sic aliam excipiat, quàm pariter sustentet. Ex quo aliunde intelligi potest, cur Materia esse ingenerabilis, incorruptibilisque dicatur. Nam formæ quidem adveniunt, abeuntque, oriuntur, & intereunt, corporaque adeò specialia, & quatenus talia generantur, & corrumpuntur, at ipsa interim materia ingenita manet, atque incorrupta, ac tanta adhuc est, quanta initio fuit. Potest & rursus intelligi magnitudinem, sive Quantitatem sic esse Materiæ coævam, ut neque ageatur neque minuatur; sed cum Materia simul aut maneat, aut transeat; aut rareseat, aut denseseat; aut addatur, aut detrahatur, ac interim semper alicubi exstet. Cæterùm & quia Materia in rerum successione & generationum corruptionumque serie, est semper omni forma prior, omni forma posterior, tanquam prævia, fœcia, & superstes cuilibet formæ, sumta exinde fuit Effati illius occasio, quod Sartyricus expressit illo carmine;

*Perf. sat. 3.* De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Fuisse verò Effatum admissum ab omnibus Physicis testatur Aristoteles cùm in primo Physico docet esse κοινὴν δόξαν communem sententiam, ὡς ἡ γὰρ κοινὴν ἡ δένος ἐκ τῆ μη ὄντων, quod ex nihilo nihil fit. Et mox Fieri quidpiam, ἐκ τῶν μη ὄντων ex non Entibus impossibile est, Physicique omnes in hanc opinionem ὁμογενῶμονες consentiunt. Ac alio loco, Id maximè inquit, veriti sunt semper, qui philosophati sunt primi, ne gigni quidpiam assererent ex nihilo præexistente. Unde & Cicero, Eris aliquid, inquit, quod ex nihilo oriasur, aut in nihilum subito occidas?

*cap. 4.*

*1. de gen. 3.*

*2. de divin.*

occidas? *Quis hoc Pytheus dixit unquam?* Responderi posset, dixisse apud Empiricum Xeniadem Corinthium, expressa enim verba sunt, *Καὶ ἐν τῷ μὴ ὄντι ὅτι πᾶν τὸ γενόμενον γίνεσθαι, καὶ ἐν τῷ μὴ ὄντι πᾶν τὸ φθαρμένον φθαρέσθαι, Quicquid fit, ex nihilo fieri; & quicquid corumpi in nihilam* (fortèque ex hoc est, cur Aristoteles in *Metaphysicis*, opinionem esse dicat *χερὸν ἀπάντων fere omnium non simpliciter omnium Physicorum*) verùm explicari id potest eo modo, ac sensu, quo ipse Aristoteles fieri aliquid docet ex non-ente; non illo quidem simpliciter, quasi aut nulla præexistente, aut nihil sui conferente materia; sed non-ente per accidens, videlicet ex privatione adjuncta ipsi materiæ, ea ratione qua Musicus ex non-Musico aliquis evadit.

Sed enim verò, quia nemo uberius, quàm Epicurus, aut qui ipsum est imitatus Lucretius hujuscemodi Effatum deduxit, id quid sit subjiciendum est. Præmittit ergo Epicurus in Epistola ad Herodotum, *Ex nihilo nihil fieri, in nihilum nihil abire*: Rationem autem subjicit, *Nam, si aliquid, inquit, ex nihilo fieret, posset quilibet undelibet nasci, nullatenus nempe seminibus egens: & si illud, quod interit in nihilam occideret, perirent prorsus omnia, tanquam non superstitibus iis, in qua dissolverentur.* Quo loco id, quod est in textu *πᾶν ἐν παντί*, quilibet undelibet, non quilibet ex quolibet reddo, quoniam vox illa *ἐν παντί*, habitudinem potius loci, quàm materiæ significat; ut hic nimirum sensus sit, posse hominem v. c. indiscriminatim prodire ex visceribus mulieris, vaccæ, canis, arboris, lapidis, terræ, aquæ, aëris, ignis, Solis, Lunæ, Inanis ipsius, si ad illius originem materia nihil conferat; quoniam non major in uno loco (quicquid in eo denique sit) quàm in alio est dispositio, ut ex nihilo quidpiam procreetur. Hac certè de causa Lucretius priorem Effati partem, seu *Ex nihilo nihil* probaturus inde exorditur;

*Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus*

*Omne genus nasci posset, nil semine egeret.*

*E mare primum homines, è terra posset oriri*

*Squamigerum genus, & volucres erumpere Cælo,*

*Armenta, atque aliæ pecudes, genus omne ferarum*

*Incerto partu culta, ac deserta teneret.*

*Nec fructus iidem arboribus constare solerent,  
 Sed mutarentur; ferre omnes omnia possent;  
 Quippe ubi non essent genit alia semina quoique,  
 Qui posset mater rebus consistere certa?  
 At nunc seminibus quia certis quidque creatur,  
 Inde enascitur, atque oras in luminis exit,  
 Materies ubi inest quousque, & corpora prima.  
 Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,  
 Quod certis in rebus inest secreta facultas.*

**Con firmat verò id ex statis temporum effectibus :**

*Præterea, cur Vere rosam, frumenta calore,  
 Viteis Autumno fundi suadente videmus;  
 Si non certa suo quia tempore semina rerum  
 Cum confluxerunt, patefit, quodcumque creatur,  
 Dum tempestates adsunt, & virvida tellus  
 Tutò res teneras effert in luminis oras?  
 Quod si de nihilo fierent, subitò exorerentur  
 Incerto spatio, atque alienis partibus anni.  
 Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genit alia  
 Concilio possent arceri tempore iniquo.*

**Itemque ex naturali incremento rerum :**

*Nec porrò augendis rebus spatio foret usus  
 Siminis ad coitum, è nihilo si crescere possent.  
 Nam fierent juvenes subitò ex infantibus parvis,  
 E terra que exorta repentè arbuta salirent;  
 Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando  
 Paulatim crescunt, ut par est, semine certo,  
 Crescendòque genus servanti, ut noscere possis  
 Quæque sua de materia grandescere, alique.*

**Quo proinde pertinet illud de alimenti necessitate :**

*Hùc accedit, uti sine certis imbribus anni  
 Latifcos nequeat fetus submittere tellus :  
 Nec porrò secreta cibo natura animantium  
 Propagare genus posset, vitæque tueri.  
 Ut potius multis communia corpora rebus  
 Multa putes esse, ut verbis Elementa videmus,*

Quam

*Quam sine principiis ullam rem existere posse.*

**Rursus etiam ex definita rerum naturalium magnitudine, atque duratione:**

*Denique, cur homines tantos natura parare  
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent  
Transire, & magnos manibus dirvellere montes,  
Multaque vivendo vitalia vincere sæcla;  
Si non materies quia rebus reddita certa est  
Gignundis, è qua constat quid possit oriri?  
Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est,  
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ  
Aeris in teneras possint proferrier auras.*

**Ac demùm ex iis, quæ humanâ industriâ proveniunt :**

*Postremò quoniam incultis præstare videmus  
Culta loca, & manibus meliores reddere sætus :  
Esse videlicet in terris primordia rerum,  
Quæ nos sæcundas vertentes vomere glebas,  
Terraique solum subigentes cimus ad ortus.  
Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore  
Sponte suâ multò fieri meliora videres.*

**Ad posteriorem Effati partem, In nihilum nihil, quod spectat, sic illam proponit Lucretius,**

*Huc accedit uti quodque in sua corpora rursùm  
Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res :*

**Ac rationem, paucis interpositis, sic deducit,**

*Prætered quæcumque vetustate amovet ætas,  
Si penitus perimit, consumens materiam omnem;  
Unde animale genus generatim in lumina vitæ  
Redducit Venus? aut reductum Dædala tellus  
Unde alit, atque auget generatim pabula præbens?  
Unde mare, ingenui fontes, externaque longè  
Flumina suppeditant? Unde æther Sidera pascit?  
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt  
Infinita ætas consumse ante-acta, diesque.  
Quod si in eo spatium, atque anteaëta ætate fuere,  
E quibus hæc rerum consistit summa refecta,*



*Immortali sunt naturâ prædita certè,*

*Haud igitur possunt ad nilum quæque reverti.*

Ostensum fuerat jum antea res in nihilum non interire, ex vi, quæ necessaria est, ut unaquæque dissolvatur :

*Nam si quid mortale è cunctis partibus esset,*

*Ex oculis res quæquæ repentè crepta periret :*

*Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus*

*Discidium parere, & nexus exsolvere posset.*

*At nunc æterno quia constant semine quæque,*

*Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,*

*Aut intus penetret per inania, dissolvâtque,*

*Nullius exitium patitur natura videri.*

Deinceps verò ostenditur ex eo, quodd non una vis ad dissolvendum omnia sufficiat :

*Denique res omneis eadem vis, causâque volgò*

*Conficeret, nisi materies æterna teneret*

*Inter se nexus, minùs, aut magis endopedita;*

*Tactus enim leti satis esset causa profectò.*

*Quippe ubi nulla forent æterno corpore, eorum*

*Contextum vis deberet dissolvere quæque.*

*At nunc inter se, quia nexus principiorum*

*Dissimiles constant, æternâque materies est,*

*Incolumi remanent in corpore, dum satis acris*

*Vis obeat, pro textura quouisque reperta.*

*Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes*

*Discidio redeunt in corpora materiai.*

Et quia res pleræque sunt, quæ dum dissolvuntur, ita ex oculis, manibusque evanescent, ut prorsùs perire videri possint, subjicitur:

*Postremò pereunt imbres, ubi eos pater æther*

*In gremium matris terrai præcipitavit.*

*At nitidæ surgent fruges, ramique virescunt*

*Arboribus; crescunt ipsæ factûque gravantur.*

*Heinc alitur porrò nostrum genus, atque ferarum:*

*Heinc lætas urbes pueris florere videmus,*

*Frondiserâsque novus arvis canere undique silvas,*

*Heinc fessæ pecudes pingues per pabula læta*

Corpora

*Corpora deponunt, & candens lacteus humor  
 Uberibus manat discentis. Hinc nova proles  
 Artubus infirmis teneras lasciva per herbas  
 Ludit, lacte mero mentis percussa novellas.  
 Haud igitur pereunt penitus quæcumque videntur;  
 Quando aliud ex alio reficit natura, nec ullam  
 Rem gigni patitur, nisi morte adjutam aliend.*

Cæterum, cum istud Effatum, ex nihilo nihil; in nihilam nihil, ad-  
 mitti valeat in Epicuro, Philosophisque cæteris, quatenus intra  
 naturæ vireis, & quasi metas consistitur; intolerabile tamen est,  
 quatenus ab illis extenditur etiam ad Divinam vim, juxta illud  
 videlicet.

*Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam.*

Quippe Author Naturæ legibus Naturæ non adstringitur, ac infi-  
 nita pollet vi, qua distantiam illam quasi infinitam superet, quæ  
 interjacet inter aliquid & nihil. Quare & haud abs re propterea  
 Sanctorum Patrum aliqui Philosophos illos damnarunt, & Hæ-  
 reticorum Patriarchas dixerunt, quod Hermogenes, aliique ipsos  
 imitati censuerunt non ex nihilo, sed ex materia creatum Mun-  
 dum: & cæteros inter, Lactantius præclare id improbens,  
 quod speciatim Cicero, & Seneca dicant: *Ut faber cum quid  
 adificaturus est, non ipse facit materiam, sed eâ utitur, ita divina  
 providentia materiam præstare oportuisse, non quam ipsa faceret,  
 sed quam haberet paratam, excepit in hunc modum: Faber sine  
 ligno nihil adificabit, quia lignum ipsum facere non potest, non posse autem,  
 imbecillitatis est humana. Deus vero facit sibi ipse materiam, quia potest,  
 posse enim Dei est, nam si non potest, Deus non est. Homo facit ex eo,  
 quod est, quia per mortalitatem imbecillus est, per imbecillitatem definita,  
 ac modica potestatis. Deus autem facit ex eo, quod non est, quia per ater-  
 nitatem fortis est, per fortitudinem, potestatis immensa, qua sine ac modo  
 caret, sicut vita factoris. Quid ergo mirum, si facturus Mundum Deus,  
 prius materiam, de qua faceret, preparavit ex eo, quod non erat; quia ne-  
 fas est Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso vel ex ipso sint omnia.  
 Nam si est aliquid ante illum, & si factum est quicquam non ab ipso, po-  
 testatem Dei, & nomen amitteret. Sic ille.*

Vide etiam Petri Gassendi Animadversionem secundam. p. 107.

## CAPUT VI.

De Atomorum proprietatibus, Magnitudinèque  
imprimis.

Cum omnes porrò Atomus videantur ob expositam soliditatem, uniusmodi, eiusdemque naturæ esse; habent tamen quædam Coniuncta, sive proprietates, & qualitates quasdam quibus differre inter se possint. Huiusmodi autem solummodò sunt, Magnitudo, Figura, & Pondus; & si quæ præterea cum ipsâ figura cognationem habent necessariam, uti Asperitas & Lævor. Nam color quidem, calor, frigus, & qualitates cæteræ non Atomis congenæ sunt, sed concretorum propriæ, ortæque ex ipsis Atomorum partim coniunctis, partim eventis, de quibus postea dicendum est.

Attingo heic solum, si color, v. g. ipsis inesset Atomis, fore ut tam esset intransmutabilis, quàm ipsæ; sicque constantes ex Atomis res, quæ uno essent colore, non possent illum commutare, & apparere alio; secus ac observamus fieri. Mare etenim spumescendo albescit, coloris aliàs cærulei, qui profectò, si illi inesset propter cæruleas Atomos, converti in album colorem non posset. Quod enim dicunt aliqui, *fieri contraria ex contrariis*, id adeò repugnat, ut candida potius de nullo, quàm de atro colore sint exortura. Melius censent qui rerum materiam ut varietatem subire colorum, qualitatùmque aliarum possit, debere esse earum expertem tuentur; eo modo, quo oleum destinatum odoribus eiusmodi deligitur, quod sit maximè inodorum.

Ut de singulis verò Atomorum proprietatibus quidpiam attingamus; dum illis attribuo imprimis Magnitudinem; non quantamlibet sanè eam intelligo; neque enim Atomus vel maxima est tanta, quæ cadere in visum possit; verùm, quæ licet sit  
infra

infra Sensum, aliquantula tamen sit (neque enim si Atomi puncta essent, carerentve omni magnitudine, posset ex ipsis ullum corpus magnitudinis cujusquam compingi) unde & fit ut soleam dicere de Atomo quod sit parvum quid; videlicet, quasi non omnem, sed proceram solum magnitudinem ab ea excludendo.

Neque verò obstare debet, quòd Atomorum magnitudo non percipiatur Sensibus: cùm fateamur necesse sit, res, quæ Visum fugiant, innumeras esse. Licetne enim videre ventum, calorem, frigus, odorem, vocem, aut corpuscula, quibus appellentibus hæc sentiuntur? licetne corpuscula humoris, quibus vestes in litore suspensæ uvescunt, expansæ serescunt? licetne ea, quæ deturuntur ex annulo diutiùs gestato; ex vertente cardine; ex fulcante vomere; ex lapide, quem gutta cavat, quem incedentium gressus deminuit? licetne ea, quibus Planta aut Animal increscit pubescens, tabescit senescens; aliàque id genus?

Non est interim reputandum esse Atomos omneis ejusdem magnitudinis: nam alias quidem in iis majores, alias minores exiitere, rationi magis consonum est; & hac re admittenda, plurimum, quæ contingunt circa passiones Animi, circaque ipsos Sensus, reddi causa potest.

Posse autem etiam infra Sensum, magnitudinum varietatem incomprehensibilem dari, vel ex eo potest intelligi, quod Animalcula quædam sint, quorum tertia pars, si divisa intelligantur, Visum fugiat; & nihilominus ipsis compingendis necessaria sit partium incomprehensibilis multitudo. Quot enim, quæso, existent oportet ad conficiendum intestinum; ad conformandum oculos: ad componendum artus; ad contexendum Animam; ad constituendum parteis universè omneis, sine quibus intelligi Animal, quod vivat, quod sentiat, quod moveatur, non potest?

An possit, quasi rudi exemplo, varietas illa comprehendi ex ramentis illis pulvereis, quæ Solares radij fenestris trajecti demonstrant? Cum enim citra taleis radios, cæca omnia pleræquæ sint, trajicientibus tamen radiis, innumera corpusculorum multitudo ita apparet, ut majorum simul, minorumque diversitas maxima appareat. Ac non dico quidem, ut aliqui putant, hujusmodi corpuscula esse Atomos (quippe cùm in minimo eorum multæ contine-

contineantur Atomorum myriades) utor dumtaxat eorum similitudine, ut cùm tota Atomorum quasi natio visui quantumlibet acuto impervia, & quasi cæca sit, intelligamus illam radiis Rationis ita illustrari, ut & Atomi Mentè pervideantur, & competere ipsis concipiamus magnitudinum varietatem.

Ex hoc autem fit, ut quemadmodum in magnitudine grandi, ac mensurabili, accipimus quidpiam, quod, ut sit communis mensura, habeat rationem minimi, cujusmodi est pes, digitus, aut granum: & in magnitudine sensibili accipimus etiam aliquid, quod habeatur minimum ad Sensum, ut animalculum dictum *A-cari*; ita in magnitudine intelligibili, qualis est Atomi, accipere aliquid liceat, quod in illa habeatur quasi minimum; qualis esse in Atomo potest angululi apiculus.

Id tamen discriminis est inter minimum *Mensuræ*, & minimum tam *Sensus*, quàm *Mentis*, quòd illud sui repetitione intelligatur posse toti magnitudini cœquari; ista verò intelligantur ceu puncta quædam individua, quæ aut termini sint magnitudinum, aut quasi quædam copulæ partibus sic interjacentes ut respectus quosdam dumtaxat ad parteis heinc inde copulatas habeant, tamen si ejusmodi sint ut ab ipsis initium mensurationis fieri possit; quippe etiam in Atomo dimensiones quasdam Mentè fieri nihil prohibet.

Quanquam cum esse in Atomo parteis dicimus, copulatasve intelligimus, non est res ita accipienda, quasi illæ sejunctæ aliquando fuerint, & in unionem postea cœerint; sed facimus, ut declaremns esse in Atomo veram, & ex partibus constantem magnitudinem: tamen si aliunde id habeant à concretis rebus discrimen, quòd ipsæ earum partes possint designatione sola, non idem separatione distingui; quippe cum naturali, individuo, perpetuòque nexu cohæreant.

## CAPUT VII.

## De Atomorum figura.

**A**D Figuram, quæ terminus magnitudinis est, quod spectat; necesse est imprimis eam esse in Atomos multiplicem; sive Atomos esse inter se diversimodè figuratas. Nimirum id ex eo arguitur, quòd ex iis contexta naturalia omnia, homines, feræ, volucres, pisces, plantæ, &c. diversimodè figurentur; & non modò quidem spectatis ipforum generibus, sed singulis etiam eorundem speciebus, sive individuis; neque enim duo ulla sunt aded similia inter se, in quibus, si attenderis, non discrimina aliqua, quibus inter se differant, agnoscas.

Deinde, cùm sint figurarum in Atomis species numero incomprehensibiles; sunt enim rotundæ, ovatæ, lenticulares, planæ, gibbæ, oblongæ, turbinatæ, hamatæ, læves, asperæ, hispidae, tetrahedricæ, pentahedricæ, hexahedricæ, &c. tam regulares, quàm irregulares, absque ulla determinatione Intellectui possibili; non sunt illæ tamen numero simpliciter infinitæ habendæ. Nam, non essent quidem rerum concretarum tot hæc, tantæque discrimina, si in Atomis, ex quibus texuntur, ejusmodi foret figurarum diversitas, quæ Animo comprehendi posset; at non possunt tamen infinitæ simpliciter esse Atomorum diversitates, nisi quis fortè in Atomis concipiat magnitudinem, non quæ infra sensum consistat, verum, quæ reipsâ infinita sit. Siquidem in magnitudine, superficieve magnitudinis, quæ finita sit, intelligi diversitates, quæ sint infinitæ, non possunt.

Tertio autem tamen si species figurarum infinitæ non sint; sunt tamen in unaquaque figuratone, figuræve specie Atomum numero infinitæ simpliciter; hoc est, infinitæ sunt orbiculares, infinitæ ovatæ; infinitæ pyramidales, &c. quoniam alioquin Universum multitudinem Atomorum infinitum minime foret, ut declaratum jam ante est; nisi Atomum, quæ sunt inter se figuratone similes, numero infinitæ simpliciter forent.

Kk

Adno-

Adnotandum vero, licet angulosæ, hamatæque Atomis sint, non esse tamen cur quispiam illas deteri posse, aut frangi putet; quippe tam anguli, & hami, quàm media ipsa corpuscula uniusmodi naturæ sunt, & pari ut solitate, sic necessitate tenentur; adeo ut nulla planè sit vis, quæ stringere Atomum, aut secundum totam, aut secundum parteis, etiam ad usque apices, possit.

*Vide Pag. 93. & seqq. ubi fuit rejecta Universi infinitudo, sumpta ut ex Inanis magnitudine, sic ex multitudine Atomorum.*

## C A P U T V I I I.

### *De Gravitate, seu Pondere, ac multiplici motu Atomorum.*

**D**ENIQUE ipsis Atomis Gravitationem, Pondusve attribuo, quòd cum in motu, connisive ad movendum perpetuo sint, necesse sit ipsas moveri interno illo impetu, qui Gravitatis dici, seu Pondus mereatur.

Distinguendus verò imprimis occurrit in ipsis Atomis motus duplex: unus ipsiusmet gravitatis, sive ponderis, quo Atomus nempe suoapte nutu fertur: alius ex ictu, seu reflexione, quo scilicet Atomus una in aliam impacta repercutitur. Et qui motus quidem Gravitatis, seu Ponderis est, primariò concipitur is, quo Atomus ad lineam, sive ad perpendiculum fertur: tali motu videlicet moventur omnia, quæ gravia sunt. Verùm, quia si omnes Atomus ad lineam, deorsumve, & quasi è regione ferrentur, fieret, ut nunquam altera alteram posset attingere; ea de causa necesse est declinare Atomos perpaulùm, & quo nihil possit fieri minus; ita enim effici poterunt complexiones, & copulationes, & adhæSIONES Atomorum inter se; ex quo & effici possit Mundus, omnesque partes Mundi quæque in eo sint.

Cum dico autem fore, ut alioquin Atomus se mutuo non attingerent, neque adeò coirent, idcirco est, quòd nullum sit in Universo,

Universo, tanquam infinito existente, Medium, in quod tendant, ut coire proinde possint; sed concipi dumtaxat possit, juxta ante dicta, regio quædam sursum, ex qua, absque ullo initio, Atomi omnes sua gravitate, quasi imbris guttæ, hoc est, motibus, quantum est ex se, parallelis adveniant; altera deorsum, in quam omnes absque ullo termino iisdemmet motibus ferantur.

Motu autem ex reflexione intelligi potest fieri, tam cum Atomus magnis intervallis resulter, quam cum spatiis brevibus pulsa repulsæ, quasi concutitur, palpitæve. Ex quo etiam fit, ut dum contingit Atomos incurere in complexionem, conventumve plurium sibi mutuo obstantium, seseve mutuo irretientium (quod maximè fit in concretionibus ubi videntur quiescere) tunc tamen adhuc sint irrequietæ & quantum possunt, ac prout sunt longiùs, propiusve mutuo distitæ, agitationem, sive speciem palpitationis obtineant, deflexæ nimirum, repressæve à cæteris, quæ talem complexum, cœtumve constituunt.

Causa verò hujusce non modò longioris resultantiæ, sed pressioris quoque agitationis, seu quasi palpitationis intestinæ, & continuæ in ipsis concretionibus, est partim quidem natura Inanis, quod etiam inter corpora compactissima interceptum Atomos singulas aut ex toto, aut ex parte à se mutuo dirimit, neque eas sistendi, firmandique vim habet: partim vero soliditas ipsis Atomis competens, quæ scilicet præ collisione, repercussionèque palpitationem efficit, quantum quidem ipsam complexio instaurari motum ex collisione patitur.

Cùm Ponderus vero, seu gravitas sit in Atomis quasi ingenitus quidam vigor, sive energia, &, ut jam dixi, impetus, quo sunt ad motum comparatæ; idcirco assumendum est moveri Atomos (& utrovis quidem, hoc est, seu ponderis, seu reflexionis motu) continenter, ac per omne ævum. Scilicet principium, ex quo fieri ista cœperint, nullum est; utpote existentibus non Atomis modo, sed etiam Inani ad utrumque motum inserviente, perpetuis.

Est autem etiam assumendum, Atomorum motum, in quo nihil occurrit, quod retundendo ipsum deflectat, ejus esse pernicitatis, ut quodlibet cogitabile spatium conficiat momento, hoc est, tem-



pore inexcogitabiliter brevi (videlicet debent etiam radii Solis, qui purum per spatium non meant mobilitate præcellere.) Dico autem, in quo nihil rerundens occurrit; nam alioquin frequens retusio speciem tarditatis; immunitas à retusione speciem celeritatis subit.

Neque vero propterea Atomus, quæ retusiones patitur varias, ad hæc, illàque complura loca iis pervenit temporibus, quæ discernere Mente liceat; quippe illa discernere in potestate Mentis nõ est. Quin-etiam contingere potest, ut sensibili tempore accepto, eadem Atomus, tametsi variis deflexa retusionibus, ita feratur, ut undecumque ex spatiorum immensitate adveniat, non liceat nobis designare aliquem locum, seu terminum, quem non tempore illo superârit. Quippe talis esse ea retusio potest (hoc est tam patum frequens, parumque deflectens) ut ipsa quoque æmuletur quadamtenus celeritatem competentem motui, qui est retusione immunis.

Assumendum postremo & hoc est, Atomos esse æqui-velocis, quãndiu per Inane feruntur, neque quicquam est, quod earum impetum retundat. Neque enim graves velocius ferentur, quàm leves reputatæ; cum nihil utrisvis, quod obster, occurrat: neque item parvæ, quàm magnæ; cum sit trajectio omnibus pro magnitudinis ratione æquè libera, donec nihil est, quod iis impingatur. Neque vero etiam celeritate differunt motiones, quæ aut sursum, obliquè propter collisiones, aut deorsum propter gravitatem ingentam fiunt: siquidem quãndiu Atomus neunram in partem cohibetur; tandiu viam tener, ac celeritate quidem cogitationi æquiparanda, quousque aut extrinsecus pulsa, aut gravitate propria adacta, in referentis impetum, resistantiamve incurrat.

Quin-etiam, quod ad concreciones, compositave corpora spectat, cum sint Atomus suapte natura æqui-veloces, non idcirco una dicitur esse celerior alterâ; quasi quæ Atomus in concrecionibus sunt, & communi earum motu abripiuntur, ferantur aliquando in unum locum sensibili quodam, ipsoque continuo, successivovè tempore, ut dum talis motus est segnis, aliquando (sive in unum, sive in plura, ac diversa loca) temporibus ferantur adeo brevibus, ut sola ratione possint percipi; ut putâ, dum motus rapidissimus est;

verum

verum dicendum solum est, quomodo cumque Atomi ferantur cum ipsis concretionibus, exagitari interim illas intestinis, creberrimis, sive potius innumeris, sensumque adeo fugientibus repercussionibus, donec ipsa motus corporis totius, in quo sunt continuïtas, successiove talis evadit, ut in sensum cadat.

Scilicet quod adopinamur de motu Atomorum inconspicuo, quasi tempera ratione percepta possint illius continuïtatem, successionem partium perniciosissimam assequi, nusquam verum est; sed id potius, quicquid Mente contemplamur, dum in ipsam rei naturam attendimus, verum est habendum.

Vide Animadversiones Gassendi Pag. 93. ubi circa Vniversum aternitas Atomorum, Inanisque rejecta est.

C A P U T IX.

*Atomos, non item vulgaria Elementa, aut Homœomera, esse prima Principia Rerum.*

**H**ISCE circa Atomos præmissis, edisserendum jam videretur, quomodo ipsæ sint Principia, primæ rerum materies: sed quia exsequi id non licet, dum simul de Generatione, & Corruptione disseratur; neque istud prosequi fas est, quin prius de rerum Qualitatibus; & prius adhuc de ipsis causis illas creantibus fuerit actum: ideo satis est hoc loco adnotare, Atomos ideo esse Principia, primamve rerum materiem, quod sint illud primum, simplicissimumque, ex quo contextuntur, quæ oriuntur omnia; illud ultimum, ac simplicissimum, in quo, quæ intereunt, omnia resolvuntur.

Primum autem, ac Ultimum dico: nam præter alias moleis grandiores, ex quibus potest proxime magis, id, quod gignitur, coalescere; aut in quas resolvî, quod corruptetur; sunt moleculæ, sive mavis, concretiunculæ quædam perexiles, quæ factæ quibusdam perfectioribus, indissolubilibusque coalitionibus, sint quasi rerum semina diu perdurantia: adeo proinde, ut dicantur res

etiam gigni ex feminibus, verumtamen non tanquam primis quòd ipsa sint adhuc ex prioribus, putà ex Atomis: & dicantur pariter res dissolvi in hæc semina; at non tanquam in ultima; quoniam ipsa quoque exsolvi ulterius in Atomos possint.

Addo autem quatuor vulgaria, quæ admittuntur Elementa, Ignem, Aërem, Aquam, Terram, dici quidem posse Principia, sed non tamen prima: Materiam quoque, sed non primam, quippe cum Atomos priores, ex quibus & ipsa contexantur, habeant.

Et qui unicum quidem Elementum pro principio ponunt, volunt ex ipso, rarefactione, condensationeque tria cætera fieri, & ex iis postea cætera: sed, quo pacto, si unum sit, & nisi aliquid misceatur, gigni aliquid poterit? nam ex igne quidem v. c. rarefacto, condensatòque, nihil aliud, quàm ignis languidior, validiorque creabitur.

Ac ut preteream illos, qui id docent, Inane non admittere, sine quo tamen neque rarefactio, neque condensatio potest fieri; ij animadvertere non videntur, non posse dici ignem mutari extinctione in aliquid aliud; quoniam illud, quod simplex est, nisi in nihilum abeundo, mutari non potest; aut certè, si admittant aliquid commune manere, quod priùs ignis, postea sit aër, cum illud quidem prima sit, communisque materies; primam ipsam materiem non esse ex se neque ignem, neque aërem, sed ipsas potiùs Atomos, quæ certà ratione constitutæ, ignem; certà, aërem conficere possint,

Qui autem plura, aut etiam omnia æquè primò admittunt, id incommodi prætereà patiuntur, quòd illa contraria statuentes, aut se invicem peremptura, aut nunquam coalitura inducant.

Ac fuit quidem Physicus, qui generari omnia censuerit ex corpusculis quibusdam tenuissimis, quæ & appellavit *ὁμοιομερῆ* *Similaria*, seu quasi *partes similes*, intellige genitis rebus; adeò ut illa, v. c. ex quibus res calidæ fiunt, calida sint; ea ex quibus carneæ, carnea; ex quibus sanguineæ, sanguinea, atque ita de cæteris: verùm, si principia ejusdem naturæ cum ipsis rebus genitis sint, poterunt ergo pari ratione, ac illæ, alterari, qualitate sive amittere, sicque & mutari, & quod naturæ simplicis sint, in nihilum abire.

Ut taceam, si esse calida oportet, quòd aliquid calidum fiat, quasi nisi ex similibus non gignantur similia, debere ergo esse & ridentia,

ridentia, ut fieri ex ipsis ridens Animal valeat; flentia, ut flens; aliàque id genus.

## C A P U T X.

### *De Prima, & radicali Concretionum Causa; hoc est, de Agente, sive Efficiente.*

**S**EQUITUR jam de Causis dicamus; quando ad aliquid faciendum necessaria est non modò materia, ex qua, sed etiam causa à qua fiat. Unde & fit, ut dicere causam, nihil sit aliud, quàm dicere id, quod in rei productione Agens, sive efficiens est.

Non est porò eorum, quæ fiunt, alia causa prima, & radicalis requirenda, quàm ipsæ eædem Atomis, quatenus sumt eo præditæ vigore, ob quem moventur, aut in connisu ad movendum continuo sunt. Neque enim absurdum est facere materiam actuosam; absurdum potius facere inertem; quoniam qui talem faciunt, & ex ipsa tamen fieri omnia volunt, dicere non possunt, unde ea, quæ fiunt, suam efficiendi vim habeant, cùm habere aliunde, quàm ex ipsa materia non valeant.

Itaque, ut primæ moleculæ ex Atomis coalitæ habent in se energiam quandam, seu sese movendi, ac agendi vim, constantem nempe ex singularum Atomorum vigoribus, sed variè tamen modificatis, prout Atomorum sese invicem irretientium aliæ huc, aliæ illuc feruntur: ita grandiores etiam moles contextæ ex minoribus, habent aliquam, eamque pro illarum varietate modificatam: ac unumquodvis denique ex corporibus naturalibus ex suis constans molibus, moleculis, & Atomis, specialem habet energiam, seu sese movendi, ac agendi vim certa ratione modificatam. Ita scilicet motus, sive actio à principiis usque ascendit, & exit.

Notandum nihilominùs est, cùm Atomis omnes æquè-velociter moventur intra ipsas tamen Concretiones, eas, quæ angulosiores, hamatioresve sunt, intricari, ac præpediri sicque veluti inertiores, segnioresque fieri, quàm lævigatiores, atque rotundiores: quare

quare & energiam, seu agendi vim, quæ est in concretis corporibus, ex istis potissimum esse. Et quia tales sunt, ex quibus ut ignis, atque Anima, ita & generalius qui appellantur Spiritus, constant: inde sit, ut quæ est præcipua in corporibus energia, sit ex ipsis spiritibus, qui ut libertatem discurrendi, sic dominium intra illa habent.

Cum omnis vero effectio, aut actio, qua aliquid fit, aut ab interno sit, aut ab extrinseco principio; constat res quidem artificiales, quarum materia iners est, & merè passivè se habet, debere totam sui effectioem ipsi effectori, agentive externo: at res naturales, tametsi mutantur partem aliquam sui, sive principium quoddam agendi ab authore extrinseco; debere tamen sui effectioem principijs intra se contentis, ut à quibus interius secundum omnes sui partes digerantur, & conformentur.

Prætereo autem ipsam quoque Agentis externi actionem à propriis esse internisque principiis, quæ ipsam actionem eo semper vertant, atque dirigant; quo impetus plurium, ac validior tulerit. Quippe etiam in ipsis Animalibus, ubi actio quæpiam voluntaria est, idcirco ipsa talis est, & illuc potius, quàm alio fertur, quia & occurrit Animo species illuc potius, quàm aliò vocans; & ipse pro imperio, quo regit contentos in corpore spiritus, illos eò, non aliò ducit, & cum ipsis ea, quibus insunt, membra.

*Quod heic prima Causa naturalis solum, non & Divina agnoscitur, intelligitur refutatam à Gassendo Paginà 107. ad 147.*

## C A P U T XI.

*De Motu, qui idem cum Actione, Effectiove est; ac de  
Fortuna, Fato, Fine, & Sympatheticis,  
Antipatheticisque Causis.*

**N** I H I L interim necesse est excusum, quòd Causæ Actionem sive effectioem cum Motu confundam; siquidem notum est utramvis idem esse cum ipso motu, ac addere solum eam connotationem, quòd ad rem sive actam, sive effectam terminetur.

Motum

Motum autem, non alium sanè, quàm qui sit migratio de loco in locum, intelligo, quique plærumque dicitur & Latio, & Motus transitus, & Motus localis. Nempe his modis nominant ad discrimen illius Motus, quem & Mutationem, & Alterationem aliqui solent dicere; eum putà, quo res aliqua immutata manens secundum internam naturam, mutari, aut altera fieri ab iis creditur, ob alicujus qualitatis, ut caloris, aut frigoris acquisitionem, vel amissionem.

Enimverò hujusmodi sive Mutatio, sive Alteratio, non species est motus à motu locali, transitusve dicto distincta; sed cum motus localis, sive transitus ipsum genus sit, hæc mutatio, seu alteratio aliud nihil est, quàm quædam ejus species, ea videlicet, qua mobilia intervallis feruntur partim brevissimis, partim inconspicuis. Siquidem, quod corpus concretum secundum qualitatem mutatur, omninò mutatur locali, & transitivo motu Atomorum, corpusculorumve qualitatem creantium; idque sive loco, siveq; in ipso corpore transponantur, sive introrsum subeant, sive extrorsum migrent.

Exempli causa, ut ex dulci fiat aliquid amarum, aut ex albo nigrum; oportet moleculas, seu corpuscula, quæ ipsum constituunt, transponi, & alium vice alterius, ordinem suscipere: hoc autem non contigerit, nisi ipsæ moleculæ motione transitus moveantur. Et rursùs, ut ex duro fiat quid molle, & ex molli durum, oportet eas, ex quibus constat, particulas secundum locum moveri: quippe illarum extensione mollitur, & condensatione durefcit. Quo fit ut Motus mutationis aliud genere à transitus motu non sit.

Sed ut ad Motum qui sit Causæ, Efficientisve proprius, redeam, observare licet quibuscumque rebus nomen causæ tribuitur, idcirco tribui, quod exferant motum. Nam Fortuna quidem, quæ aliquibus causa est, non alio modo admitti potest, quam quia idem est cum per se mota, & agente causa, connotatque solum effectus connexi cum eo, qui ab ipsa intenditur, ignorationem. Aliàs profectò tantum abest, ut congruum sit illam Deam facere, quod vulgus facit hominum (neque enim quicquam à Deo inordinatè peragitur) quin-etiam ne sit quidem aliqua, etiam instabilis, reputanda causa.

L I

Ipsum

Ipsam quoque Fatum esse aliud non potest ab ipsis moventibus, & agentibus per se causis, quatenus nexæ inter se sunt, & posteriores à prioribus pendent. Quanquam hæc connexio, atque dependentia necessitatis ejus non est, quam Physici quidam inducere solent. Quippe nulla est in Natura hujusmodi necessitas; cum eam abrumpat motus ille declinationis Atomorum, de quo paulò ante dictum est, quatenus nec tempore certo, nec regione loci certa intercurrit.

Finis quin etiam dicitur causa; sed videlicet, quia efficit quidpiam, & non efficit, nisi quia movet. Movet, inquam, missa in Animam specie, quæ trahat alliciatque, invisibilibus quidem, sed Physicis tamen quibusdam quasi hamulis, & catenulis, quibus plerumque cum Animo pellicitur & ipsum corpus. Intelligitur certè nullam posse hujusmodi attractionem fieri, nisi per quasdam resilitiones, implexionesque Atomorum fiat.

Adeò proinde, ut etiam quæcumque dicuntur vel per sympathiam, vel per antipathiam fieri, ea peragantur per Physicas causas, hoc est, per quæpiam invisibilia quidem, sed quæpiam tamen organula, quibus intercedentibus res aliquæ adinvicem tam attrahantur, aut repellantur, quam attrahuntur, repellunturque illæ, quæ id ab organis grandibus, sensibilibusque patiuntur.

Quippe, ut exemplo rem dicam, qui putemus fieri, ut Leo Galli conspectum ferre non valeat, sed illo viso statim aufugiat? nisi quia sunt in corpore Galli corpuscula quædam, quæ cum sint spiculorum instar Leonis oculis immissa, ita ejus pupillas interfodiunt, ita acrem dolorem præbent, ut contra constare, ac durare, quantumlibet ferox, rapidusque non possit. Nihil verò simile creant in oculis nostris ea corpuscula ob texturam diffimilem, ut intelligetur ex iis, quæ sunt de Sensibus differenda.

CAPUT

## CAPUT XII.

*De rerum Concretarum Qualitatibus generatim.*

**Q**UOD jam spectat ad Qualitates, quibus res concretæ insigniuntur, notum est comprehendi hocce nomine omnia tam Conjuncta quàm Eventa rerum; sed Conjuncta potissimum, sive ea sint propriè Conjuncta, hoc est, in corpore concreto, donec perseverat, constantia, & ab eo, nisi cum ipsius pernicie non separabilia; sive impropiè, & laxiùs sumpta, hoc est, quasi media inter propriè dicta Conjuncta, & Eventa; quòd nempe insint quidem ut illa, sed horum tamen instar adveniant, & abeant: adsint, & absint corpori, citra illius corruptionem.

Solet autem statim de ipsis requiri, juxta id, quod antè insinuatum est, qui fiat, ut sint in rebus Concretis, cum non sint tamen in Atomis, ex quibus res Concretæ constant? Et quòd illæ quidem Atomis non insint, declaratum jam ea ratione est, quòd qualitas omnis inexsistens Atomis, ut Magnitudo, Figura, ac Pondus, sic ipsis naturalis sit, ut non magis possit, quàm ipsa Atomorum substantia mutari; idque, quia in ipsis Concretionum dissolutionibus remanere necesse est quidpiam solidum, ac indissolubile, quod præstet, ut omnes, quæ contingunt mutationes, neque in nihilum, neque ex nihilo fiant.

Itaque respondendum est, creari Qualitates in rebus concretis, tum ob factam transpositionem Atomorum nunc pauciorum, nunc plurium, quæ in uno situ qualitatem unam, in alio aliam exhibeant; tum ob factam de novo aliquarum accessionem, & præ-existentium aliquarum discessionem; ex quo iterum qualitates varientur, seu aliæ, quàm priùs appareant.

Etenim sicut literæ variam sui exhibent speciem, non modò quæ variâ figurâ, sive formâ sunt, uti A, & N; sed etiam, quæ eadem, si in iis varietur aut situs, aut ordo; situs, ut in N, & Z; ordo, ut in AN, & NA: ita non modò Atomis, quæ diversæ figuræ sunt (adde & molis, atque motionis) ad afficien-



dum diversos sensus, exhibendumque in hoc colorem, in illo odorem, in alio saporem, in alio aliud, sunt comparatæ: sed etiam, quæ ejusdem sunt, si inter se situm, ordinemve commutent, ita sensus afficiunt, ut quæ unum colorem, v. c. nunc exhibebant, mox exhibeant alium; veluti jam innuimus circa aquam maris, quæ in statu placido cærulea, in commoto alba apparet; resque trita est de columbæ collo, quod prout ad lucem variè collocatur, insignem colorum varietatem subit.

Et, sicut non modò diversitas fit, dum literæ eadem, quæ unam dictionem componunt, ita transponuntur, ut diversas formas exhibeant, sed maximè etiam dum ipsis aut aliquæ adduntur, aut detrahuntur aliquæ: pari modo necesse est colores, odores, qualitates alias variari, dum non modò Atomis eadem situm, ordinemque commutant, sed etiam dum illis quædam accedunt, quædam decedunt, ut constare potest vel ex ipsa rerum mollesactione, induratione, crudifactione, maturatione, cæterisque hujusmodi.

Ut paucis dicam, quemadmodum magni circa literas, refert, cum quibus, & quali inter se situ, ac ordine sint, quando tam exiguo literarum numero significamus Cælum, Terram, Solem, Mare, Flumina, fruges, arbuta, animanteis, cæteraque innumera; sic permagni refert circa Atomos cum quibus, & quo positi sint; quibus intervallis, & connexibus; quos inter se motus aut dent, aut accipiant; quippe cum hoc modo omnium sicut rerum, ita qualitatum, quæ in illis sunt, exhibere varietatem valeant.

Verum, ut res paulò specialius dicatur, videntur imprimis qualitates quædam suboriri ex Atomis, quatenus spectantur secundum substantiam, ac sunt in eo inter se situ, ut Inane amplius, parciusve interceptum, exclusumve habeant; quædam vero ex iisdem creari, quatenus sunt suis illis tribus proprietatibus præditæ; & nonnullæ quidem juxta singulas, nonnullæ juxta congeriem plurium.

CAPUT

## CAPUT XIII.

*Qualitates ex Atomis spectatis secundum, substantiam,  
ac Inanis interceptionem.*

**A**C primo quidem modo oriuntur Raritas, & Densitas. Scilicet manifestum est neque quidpiam densum fieri posse rarum, nisi quatenus ejus Atomum (partesve ex quibus contextitur, contextæ ipsæ ex Atomis) ita a se invicem distrahuntur, ut in vastiorem locum diffusæ, plura, amplioraque in ipso inania spatiola intercipient: neque item quidpiam rarum fieri densum, nisi quatenus ejus Atomum, partesve ita coarctantur, ut in locum redactæ augustiorem, inania in ipso spatiola pauciora, contractionave comprehendant. Taceo verò esse quoque manifestum, pro ratione intercepti copiosioris, pauciorisve inanis, ærem, v. c. aut lumen rarum esse intelligi; saxum autem, ferrum, & alia horum de genere, esse densa.

Oriri & cum istis videntur Perspicuitas, & Opacitas. Siquidem unaquæque res tanto, cæteris paribus, est magis perspicua, quanto rarior est; tanto opacior, quanto densior: quoniam rarior est radiis lucidis, visibilibusque patentior; densior verò obstantior. Dico tamen cæteris paribus; quoniam alioquin corpus densius, quemadmodum vitrum, habere meatulos inaneis ita in directum positos potest, ut radij facilius per ipsum, quam per corpus rarius, ut brassicæ folium, cujus meatuli à corpusculis variè permixtis sint intercisi, trajiciantur. Nempe ipsi quoque radij percinduntur, nisi recta foramina, cujusmodi vitri sunt trahent.

Rursus oriuntur Fluiditas, Liquiditasve, & Firmitas. Siquidem non alia de causa videtur corpus fluidum esse, quam quia Atomum, particulæve ex quibus constat; & spatiola inania intercepta habent, & dissociatæ mutuo sic sunt, ut sint immobiles inter se, ob spatiolorum non resistantiam. Neque etiam videtur quid firmum alia esse de causa, quam opposita; Atomis nempe, seu partibus

partibus ita se pressè tangentibus, mutudque cohærentibus, ut pari ratione emoveri non valeant; cùm & tales haberi possint, ex quibus magis hamatis, & quasi ramosis, ipsum corpus arctè compactum teneatur. Ut speciatim aqua, liquida cùm sit, firmetur in glaciem, dicetur inferiùs.

Ad-hæc, & quæ ex istis dependent, Humiditas, & Siccitas. Humiditas nempe fluoris est species, hoc superaddens solummodo, quodd humidi partes corpus aliquod contingentes, aut in ipsum penetrantes, adhærescere ipsi valeant, unde & humectum, madidumve reddant. Siccitas verò firmitatis est species, id solum addens, quod siccum corpus humiditatis expers sit.

Præterea, quæ cum his cohærent Mollities, & Durities, quæ aliunde etiam cum raritate, & densitate congruunt, prout cæteris paribus unumquodque corpus tanto mollius est, quanto rarius; tantò durius, quantò compactius; quod quidem jam ante insinatum est, cùm de soliditate Atomorum. Cæteris, inquam, paribus; quoniam lutum molle, pumex durus est, ob cohæsiorem majorem partium cavitates intercipientium, resistentiumque tactui, neque valentium cedere in cava alioquin postica.

Sunt & quæ rursus ex his dependeant, ut Flexilitas, Tractilitas, Durilitas, aliæque ex mollitie; oppositæque ex duritie; sed indicasse abundè est.

#### C A P U T XIV.

### *Qualitates ex Atomis, spectatis secundum proprietates singulatim sumptas.*

SEcundo autem modo, & quatenus quidem Atomorum proprietates singulatim attenduntur; ipsa imprimis cujusque rei Magnitudo, Quantitas, Moles, non aliunde est, quàm ex coactervata magnitudine earum Atomorum, ex quibus contextitur. Constatque aded augmentationem, deminutionemque corporum ideo

ideò fieri, quòd Atomi quocumque adveniunt, donent ipsas res augmine, undecumque abeunt, imminuant.

Prætereo autem, quatenus Atomi majores, aut minores sunt, fieri posse quas dicimus Hebetudinem, & Subtilitatem; ac reddi causam exinde posse, cur ignis fulmineus penetrantior sit, quàm noster è tædis; quorsum lumen pertranseat cornu, à quo imber respuitur: & consimilia plurima.

Ipsa aliunde Figura rerum, nisi à figura Atomorum pendeat (cum pendere tamen videatur in omnibus rebus, quæ eadem figura constanter nascuntur) at generatim saltem verum est, unumquodque corpus ideò figurari, quia constat ex partibus terminatis, figuratisque; figura enim terminus est.

Sic verò, tamerfi ex Lævore, & Asperitate, quas dixi figuræ Atomorum esse cognatas, non sequatur necessariò fieri, ut res læves ex lævibus, asperæ ex asperis sint, universe tamen nihil potest esse læve intelligi, nisi cujus partes ad minimas usque lævigatæ sint; asperum, nisi cujus sint asperatæ.

Heic nota posse tam ex figura, quàm ex magnitudine causam reddi, cur vinum per colum perfluat facilè, olivum autem tardum cunctetur. Nempe, quòd possit oleum constare non ex majoribus modò, sed etiam ex magis hamatis, perque plicatis inter se Atomis.

Pondus denique, seu Motrix facultas, quæ unicuique rei inest, non potest aliunde oriri, quam à pondere seu mobilitate Atomorum. Cùm id verò dictum jam sit, adnotandum heic solùm est, ut omnes Atomi sunt graves, nullæ leves, ita omne concretum corpus esse grave, nullum leve, sive quod non sit ex se comparatum ut deorsum tendat.

Ac objicitur quidem statim Ignis; verùm, cùm is non desinat habere propensionem deorsum; ideò tamen contendit sursum, quòd ab aëre ambiente eo compellatur: eo modo, quo videre licet, quanta vi tigna, trabeisque, res alioquin graves, humor aquæ respuat, & quòd merisimus magis altum, eò quasi cupidius revomat, ac remittat.

Ex quo fit proinde, ut ea, quæ levia dicimus, non absolutè levia sint, quasi sponte contendant sursum, sed comparatè solummodò,

modò, hoc est, quatenus minus gravia sunt, & à gravioribus, quæ præ ipsis se deorsum premunt, extruduntur. Adeo ut, cum Terra gravissima sit, Aqua gravis minus, Aër adhuc minus, & Ignis omnium minimè; Terra quidem sursum, & procul à medio pellat aquam, Aqua aërem, Aër ignem; at si subductam supponas Terram, aqua ad medium accessura sit; si aquam, aër; si aërem, ignis.

## C A P U T X V.

*Qualitates ex Atomis, spectatis secundum proprietates  
conjunctim acceptas.*

**A**T verò acceptis conjunctim proprietatibus Atomorum, & commistis præsertim, variatisque iis, de quibus dictum hætenus, raritate videlicet, densitate, & cæteris, oriuntur rerum facultates, quæ activæ, & motivæ cum sicut, id à pondere, seu mobilitate Atomorum habent; & cum hæc hoc modo, illæ illo agant, id habeant oportet, tum à speciali Atomorum magnitudine, & figura, tum à vario inter ipsas ordine, atque positu; tum à laxitate, compressione, connexionione, sejunctione, &c.

Hujuscemodi autem sunt non modò in ipsis Animalibus facultates Sensuum, Visus, Auditus, Olfactus, Gustatus, Tactus, quibus scilicet possunt res sensibilibus percipere; verum in ipsis quoque rebus ipsæmet vocatæ qualitates sensibiles; eæ nimirum sunt in rebus facultates feriendi, & affiendi certo modo Sensus, ad hoc, ut ab iis percipiantur; utputa color, & lux Visum, sonus Audium, odor Olfactum, sapor Gustatum; calor & frigus præcæteris, Tactum. Quo fit, ut dicturi de illis posterius, omittet hæc istas non debeamus, de quibus egisse ut operæ pretium, ita compendium futurum sit.

Atque ut à Colore exordiamur, agi sanè de eo non potest, quin copulanda ipsi Lux sit; quoniam sine luce colores sunt nulli, colorumque adeò varietas ab ipsa non esse tollitur; unde & apud Inferos  
nigra

nigra esse omnia dicuntur. Cùm sint verò in tenebris res omnes a què excolores; sunt nihilominùs in ipsiis, ipsarùmve superficiibus dispositiones extremarum particularum variæ, ob quas lux affusa ita variè modificetur, ut cum hac modificatione reflexa in oculum, varios in illis colores exhibeat; utputa album, ex. gr. cùm pupilla quoddam genus plagæ, ictùsve excipit in se; nigrum, cùm aliud, &c.

Nempe, cum colores non sint cohærentes corporibus, sed juxta quosdam, respectu visus, ordines, positusque gignantur; non gignantur tamen, nisi ad superficialem illorum dispositionem accedat lux, tanquam complementum, seu pars coloris aliqua; neque seclùs à hac parte video, quí dicere liceat, corpora, quæ in tenebris inconspicua sunt, colorem habere.

Et sanè, cum non modò ipsum columbæ collum, cauda pavonis, & similia colores varios pro vario ad lucem positu exhibeant, verum etiam cæteræ res coloribus aliis, aliisque apparent, prout in aliis, aliisque statuuntur lucis gradibus; quidni liceat intelligi ipsam esse univèrse lucem, cujus adventu res induant, abitu amittant colores?

Lux interim ipsa, cum nihil aliud sit, quàm substantialis quædam effluxio à lucido corpore, visibilis per se non est, sed in ipso solum colore, quatenus illius est pars; neque enim per purum, liquidumque medium conspicitur, neque cum seu in lucido, seu in illustrato corpore conspici putatur, ut quid distinctum conspiciatur ab ipso, sive lucidi, sive illustrati colore. Neque denique ipsa Umbra illius privatio, alio modo est, quàm quia simul privatio est coloris in re umbrefacta, quæ eà semper proportionè colorem, quæ & ipsam lucem amittit. Qui fiat porrò quamobrem umbra, tamen si mera privatio sit, moveri tamen appareat, in Canonica dictum est.

Sonus nihil aliud est, quàm effluxio tenuissimorum corpusculorum, ab usque loquente, resonante, aut quomodocumque strepitum edente, emissa, ac idonea, quæ in aurem subiens, Auditum efficiat.

Et quod sit quidem corporea effluxio, ex eo probatur, quod sensum moveat, & ipsum quidem aut demulcendo, aut asperando:

M m

uti-

utique ob corpusculorum lævorem, aut asperitatem; quòd & per aërem moveatur, & corporibus solidis impactus, resiliat, unde & Echo fit; utique ob ipsam corpusculorum soliditatem. Quòd & imminuatur, & confusus evadat: utique ob corpusculorum diductionem in transitu per septum densius; cæteraque hujusmodi.

Quòd si requiras quamòbrem Sonus eò, quòd lux, speciesve coloris non potest, pertingat, ut cùm loquimur clausis foribus: causa est, quia lux, colorisve imago non nisi in directum potest tendere; at Sonus potest etiam per ductus obliquos sese insinuare. Scilicet, quòd dum excitatur, prosiliat in moleculas, quæ fursùm, deorsùm, prorsùm, retrorsùm, dextrorsùm, lævorsùm, & quolibet versùm flectantur; eo modo, quo ignis scintilla dissultat interdum in scintillulas; quæ quoquo versùm dirigantur.

De Odore idem dicendum: Effluxio enim quoque est; quæ ab odora re excedens & quoquoversum diffunditur, & adjectus ad naris, ipsum Olfactus sensum movet; atque ipsum quidem aut deliniendo, aut compungendo. Est proinde & ipse corporeus, & magis etiam, quàm ipse sonus: quippe cùm & segniùs perspatium incedat, & non tam procul perveniat, & non per ea septa penetret, quæ per ipse Sonus.

Circa Saporem, id discriminis est, quod licet constat in corpusculis re, quæ dicitur sapida, contentis; ea tamen in distitam linguam, palatumque non exeant, sed tum solum, cum res sapida linguæ admoveretur, in illam sic subeant, ut texturæ ipsius applicentur, aut leniter, sicque sensum suavem faciant; aut asperiter, sicque insuavem creent.

Ad Calorem, & Frigus quod spectat, is quidem sensus, quem exprimunt, ad Tactum referendus est; sed cùm ad Tactum propriè pertineant ex enumeratis qualitatibus plures, veluti durities, mollities, humiditas, siccitas, aliæ, quæ rei tactilis ad manum, partemve aliam corporis, applicationem exigunt; hæ tamen duæ sentiri possunt, non modò, cùm calida, frigida ve res manui, alterive parti applicatur; verùm etiam, cum distita, & in ea quidem distantia est, ut in ipsam transmittere corpuscula ex se quædam possit.

Nempe

**F** Nempe ipse quidem potissimum Calor effluxio est corpusculorum, seu Atomorum mavis, quæ sint mole exiles, figurâ rotundæ, motu celeres. Etenim, quæ exiles sunt, nullum est corpus adeò compactum, ut non invenient poros, per quos in illud subingrediantur: quæ orbiculares, tum facile moventur, tum se quoquo versus insinuant; quæ celeres, tum rapidè impinguntur, & in corpus subeunt, tum aliis, aliisque succedentibus sic urgentur, ut per totum penetrent, & si pergant agere, partes illius secernant, exturbent, ac totum denique dissolvant. Tales quippe sunt effectus caloris, & ignescens potissimum (neque enim ignis aliud est, quàm calor intensus) erga universa corpora; ac in Animali solum additur ipse doloris sensus, qui ex divulsione, solutionève continui est.

Frigus autem, est quidem etiam effluxio; verùm Atomorum, quarum sit moles grandior, figura angulosior, motus segnior. Scilicet, cum sint contrarij effectus, debent principia esse contraria; ac ejusmodi quidem, ut cum calor disgreget, atque dissipet, frigus compellat, constipètque; ac in Animali quidem cum speciali sensu id faciat, quatenus subiens in cutis poros, tum facibus corpusculorum caloris corpuscula reprimat, introrsumque abigat; tum angululis vellicat, discerpitque, quæ prætervadit.

## C A P U T X V I .

*De eis Qualitatibus, quæ habentur rerum Eventa; ac præsertim de Tempore.*

**S**Uperest pauca attingamus de illis Qualitatibus, quæ non tam Conjuncta, quàm Eventa, accidentiavè sunt; ac idcirco rem non internè afficiunt, sed externè solum, ac intercedente quodam respectu taleis faciunt. Non quòd intra res quoque ipsas Eventa aliqua non sint, cujusmodi sunt positus, ordines, intervalla partium, particularumve, & similia: sed quòd talia cum sint, Eventa sint ipsarum partium, non constantis ex iis totius.

M m 2

Sunt



Sunt verò Eventa hujusmodi illa univérse omnia, ex quibus confurgit aliqua Relatio, propter quam unaquæque res dicitur esse ad aliquid, ut similis, dissimilis, major, minor; multa pauca; superior, inferior; dextra, sinistra; causa, effectus, dans, accipiens, & quæ id genus innumera sunt.

Notum est autem Relationem esse opus Mentis, sive opinionis unum referentis, comparantisque ad aliud; adeo proinde, ut seclusa opinione, unaquæque res sit illud solum, quod est in se, non verò quod respectu alterius. Quo pacto ad Eventa rerulimus quoque superiùs libertatem, & sanitatem, divitias, & paupertatem, &c. quoniam seclusa opinione, homo nihil aliud est, quàm homo, non verò liber, aut servus, dives, vel pauper, &c.

Porro ex omnibus Eventis, unum est, quod Eventum Eventorum, sive Accidens Accidentium licet dicere, Tempus nimirum, à quo res omnes aut præteritæ, aut præsentés, aut futuræ denominantur, itèmq; aut diurnæ, aut parum durantes, aut momentanæ; interdumque etiam veloces, aut tardæ.

Nam imprimis quidem Eventum esse Tempus, ex eo constat, quòd non sit aliquid per se, sed cogitatione dumtaxat, seu Mente attributum rebus, prout concipiuntur in eo, quo sunt statu perseverare, aut desinere, & longiorem, aut breviorém exstantiam tueri; ac ipsam habere, habuisse, aut habituræ esse. Ex quo fit, ut Tempus non eo modo sit disquirendum, quo disquirimus cætera, quæ in subjecto aliquo, cogitatione seclusa insunt. Neque proinde, ut quid sit, percipiatur, referendum hoc sit ad anticipationes rerum nobis ob oculos versantium; sed sit de ipso ratiocinandum juxta evidentiam, qua familiari sermone utentes, neque nos ambagibus intricantes, longum, aut breve dicimus Tempus.

Deinde verò esse Eventum Eventorum, sive Accidens Accidentium dicimus, quia cum rerum aliæ per se cohæreant; ut corpus, ut item Inane, seu spatium; aliæ autem cohærentibus eveniant, sive accidant, ut dies, noctes, horæ; ut item passiones, & vacuitates ab ipsis; ut motus, quies, &c. Tempus ista omnia Eventa, seu Accidentia consequitur, ipsisque, Mente interveniente, quasi supervenit, superacciditque.

Si-

Siquidem & Dies, & Nox accidentia sunt aëris ambientis (& Dies quidem accedit ex illuminatione Solis, Nox verò ex privatione Solaris illuminationis: Hora autem, cum seu diei, seu noctis pars sit, aëris rursum accidens est, perinde ac dies, & nox) at Tempus coëxtenditur omni & diei, & nocti, & horæ: hancque ob causam aliqua & dies, & nox longa, vel brevis dicitur, dum ferimur cogitatione ad superveniens ea ratione tempus.

Pari ratione, Passiones quoque, & Indolentiæ, seu dolores, & voluptates nobis contingunt, ac ideo non substantiæ quæpiam, sed eorum, qui iis afficiuntur (nimirum cum delectationis, aut molestiæ sensu) accidentia sunt. Porro & ista accidentia sine tempore non eveniunt.

Præterea verò & Motus, & Quies, ut jam declaravimus, corporum accidentia sunt; neque illa sine tempore. Quocirca motus celeritatem, tarditatemque tempore metimur; itemque quietem multam, aut exiguam. Et quia Tempus nemo per se, semotumve à rerum motu, quieteque percipit; ideo percipiendo res gestas, ut Bellum Trojanum, & alia, quæ cum motu fiunt, & partim hominum gerentium, partim locorum, in quibus geruntur, accidentia sunt, percipitur unà ipsum earum Tempus, prout comparantur ad nostram, & rerum inter ipsas, ac nos interceptarum existentiam.

## C A P U T XVII.

### *De Ortu, & Interitu; seu Generatione, & Corruptione rerum Concretarum.*

**S**uperest hisce subjiciamus quomodo orientur, & intereant res; seu quæ sit illarum Generatio, atque Corruptio. Itaque est quidem tam illa, quam hæc quæpiam Mutationis, sive Alterationis species; at cum per alias mutationes non novum corpus fiat, ac existet, sed id dumtaxat, quod jam est, novam qualitatem,

tem, novamque ex ipsa denominationem acquirat; Generatio mutatio est, qua unumquodque corpus primò producitur, esse in rerum natura, ac denominari tale incipit: Corruptio verò est mutatio, qua ultimùm dissolvitur, ac esse in rerum natura & denominari tale desinit. Sic enim Ignis, Plantæ, Animal, & quicquid in certo corporum genere est, cùm in lucem primùm oritur, & denominari tale incipit, generari dicitur; cùm ex luce abit, neque ampliùs tale denominari potest, corrumpi.

Cum dico autem Corpus primò produci, sive esse incipere, non contendo sanè non præfuisse quicquid substantiæ, seu corporis, corporeumve in ipso est: siquidem præfuisse omnes Atomi, & moleculæ, sive semina, ex quibus contexitur; ut cùm domus dicitur fieri, intelliguntur lapides, ligna, & alia, ex quibus constructitur, præexistisse: sed contendo solùm ejus Atomos, seminàque sic commiseri, eaque ratione adunari, ut novo sint modo, sive nova forma, qua nullatenus antè fuerant: ac idcirco corpus exinde resultans sit tunc primum ejusmodi, ac tale incipiat denominari.

Heinc, quia non tam nova substantia, quàm in substantia coadunata qualitas nova oritur, efficitur, ut Generatio species aliqua mutationis, sive alterationis sit; & Corruptio similiter, sed opposito sese habens modo. Quamobrem & fit, ut Generatio, & Corruptio sola Principiorum concrezione, & secretionem fiat; non item verò transmutatione, quod Atomi sint, ut jam dictum est, omnis mutationis, ac ideo transmutationis incapaces.

Et certè, cum omnis mutatio, sicut jam diximus, & repetetur etiam mox, aut transpositione, aut adjectione, aut detractione partium fiat: consequitur, ut Atomi cùm ita compactæ, solidæque sint, ut nullæ earum particulæ transponi, addi, detrahi possint, immutabiles sint, atque incorruptæ; ac tales sint etiam earum proprietates, cujusmodi sint quantilæcumque illæ magnitudines, & figurulæ propriæ. Nempe ista quoque remanere cum Atomorum substantia in ipsis concretorum dissolutionibus est necesse. Quid ni? cùm etiam in rebus, quæ apud nos ex arbitrio transformantur, ut cùm homo ex stante, aut recto sit sedens, contractusve membris (adde &, si velis, denigratur, aut calefit) in-

intelligatur semper inexistens ipsis eadem magnitudo, eademque figura, sive ordo partium inter ipsas competere; qualitates vero non inexistentes nec propriæ, veluti statio, rectitudo, albor, frigus, &c. non perinde, ac illæ superstites maneat in subiecto, quod transmutatur, sed ex ipso corpore toto, aut ex parte, cui inerant, pereant.

Cùm principia ergo intransmutabilia sint, & in Generatione nihil aliud, quam misceantur, concernanturque; sequitur, ut mistio fieri nulla possit, quæ sit perfecta quædam per coalitionem confusio, sed quæ sit solummodò quædam per appositionem compositio, atque ea quidem, seu moleculæ ex Atomis conflatae dumtaxat misceantur, seu moleculis etiam resolutis in Atomos misceantur ipsæ Atomis; idque proinde, non sine molecularum, corporumque ex iis constantium, ut vini, aquæ, mellis, similiùmque interitu, & corporis misti, molecularùmque ipsius exortu. Videlicet, non quasi aqua, & vinum, verbi gratiâ, sed quasi aquificæ, ut sic loquar, & vivificæ Atomis misceantur.

Et ad Generationem quidem, quæ in Inani infinito fit, concipiendum est Atomos ab invicem se junctas, & figurâ, magnitudine, positione, ac ordine differenteis inter se, ferri per Inane; ac ubi concurrunt, mutuo comprehensas, addensari, & conditionem rei variam, quatenus contigerit, fieri: coeunt scilicet juxta proportionem magnitudinum, figurarum, positionum, ordinum, & hac ratione accidit, ut ipsa generatio compositorum perficiatur.

Ac ubi generatio unius ex corruptione alterius fit, contingere id solet juxta triplicem, quem circa Alterationem attigimus, modum. Nempe aut sola partium, Atomorumve Transpositione, ut cum rana ex limo, vermis ex caseo gignitur: aut accidentium Additione, ut cum semine accedente ad grandiorem massam, tanquam coagulo in lac, aut fermento in pastam, gignitur Planta, vel Animal: quo modo quoque fit augmentatio, quâ res genita adaugescit; aut Abjectione præexistentium; ut cum ex secretionem aquosarum, cinerearum, aliarumque partium, quæ erant in ligno, generatur ignis; ex secretionem mellis, quod in favo, cera, atque ita de cæteris.

Inse-

Inservit porro heic illa quoque literarum similitudo, ut duo quæpiam intelligamus; Unum, specialeis Generationis, (ac pariratione oppositæ Corruptionis) modos, qui possunt sub quolibet trium expositorum accipi, evadere, nisi infinitos, saltem innumerabiles, ineffabiles, incomprehensibilibusque; quippe, cum vel ex folis viginti quatuor, quæ in Alphabeto sunt, literis, ea possit dictionum, quæ sit propemodum incomprehensibilis, multitudine creari.

Alterum, ut non ex omni literarum commistione accommodatæ pronuntiationi, lectionique dictiones fiunt; ita in naturalibus rebus non omnia ex omnibus fieri, seu Atomos omnes non esse idoneas, ut ad quamlibet rerum concretarum constituentem speciem coalescant. Scilicet unaquæque res eam exigit dispositionem, ut Atomus ipsam constituentes, eas, quæ sibi sint congruæ, adsciscant, ac velut consocient; aliquas prætereant, ac veluti respuant: ex quo rursum fit, ut cum res dissolvitur, congruæ quæque se mutuo trahant, & ab incongruis expellant. Quod sanè & ex nutritione, quæ aggeneratio est, patet; & vel ex eo constat, quod vulgò alioquin gignerentur portenta, ut semiferæ species Hominum, Chimæræ, & Plantanimalia.

Quod superest, ille profectò ne primis quidem, ut dicitur, labris gustavit Physiologiam, qui quidpiam, quod ortum sit, putet æternum esse posse. Quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nullum sit extremum? nempe, ut desint causæ externæ, quæ compaginem destruant, non deest tamen intestina motio, indomitæque ille Atomorum connisus intra compactissima etiam, & durabilissima corpora, ob quem necesse denique sit, consequi eorum exsolutionem.

Quanquam non immediatè semper in Atomos ipsas exsolutio fit, sed plerumque in moleculas, partemve ex ipsis compositas, quæ sint species quædam concretorum corporum; ut cum sit ligni partim in ignem, partim in fenum, partim in quempiam humorem aqueum, partim in cineres exsolutio. Quocumque autem modo fiat, tenendum est semper, ut in generatione nulla substantia de novo fit, sed præexistens concernitur; ita in corruptione

ptione nullam esse desinere, sed in superstitem secerni.

*Effatum illud, Nihil quod ortum sit, esse aeternum, quatenus quidem extendi potest ad Rationalem Animam, refutatum habetur. Pagina 29. & seqq.*

## C A P U T XVIII.

*De iis, ob quæ genitum corpus in certo rerum genere est, & discernitur à cæteris rebus.*

**P**orro, cum unumquodque corpus gignatur ex sola materiæ, sive Principiorum materialium, substantialiumque certo ordine, positumque coalescentium aggerie; idem quod concretum, genitumve est, intelligitur nihil esse aliud, quam ipsamet Principia, quatenus certa hac ratione, sive positura coalita sunt, ac proinde certa hac forma, seu qualitate exhibentur.

Est verò hæc Forma, sive Qualitas, qua res genita & statuitur in certo rerum genere; ut Metalli, aut Lapidis, Plantæ, aut Animalis, & distinguitur ab omnibus aliis ejus, in quo est, generis specibus, sive individuis: Est inquam hæc forma, non una, & simplex, sed potius quædam quasi aggeries, & collectio complurium, quæ in nulla alia reperiri, quàm in ipsa valeat.

Quare & hoc loco adnotandum est, rerum figuras, colores, magnitudinem, gravitatem, & qualitates universè alias, quæ enunciari solent de concreto corpore, tanquam ipsius accidentia, idque sive omnia visu deprehendantur, sive aliis etiam percipiantur sensibus; illa sic cogitanda esse, non quasi sint quædam per se existentes naturæ, seu substantiæ ( id siquidem Mente assequi non licet ) neque rursus, quasi planè non existant, seu prorsus non-entia, merùmque nihil sint; neque iterum, quasi talia sint, cujusmodi alia quæ ipsi accidunt incorporea; neque denique, quasi sint quæpiam ipsius corporis partes: verùm ita habenda esse, quasi, cum sint varij modi sese habendi corporis, ipsum totum

N n

corpus

corpus ex illorum aggregatione obtineat propriam, peculiaremque seu speciei suæ naturam.

Non sanè, quod corpus exinde tale quid evadat, qualis evadit molis major contexta ex minoribus, illisque aut primis, minimisque aut grandiusculis, & universè contextis ex aliis minutioribus, sed solum, quemadmodum dixi, quod ex iis omnibus conjunctis, habitisque pro differentia, propriam sibi, & ab omni alio distinctam naturam possideat.

Ac illa quidem omnia specialibus notionibus, conceptibusque comprehenduntur; sed ita tamen, ut interim corpus, quod ex ipsis, quasi totum quid resultat, ac minimè est divisum in se, sed ut unum quid intelligitur; denominationem obtineat corporis, quod in certo rerum genere habeatur.

Et potest quidem intelligi penè idem fieri, ex Eventorum quorundam congerie, quæ in nullo alio reperiantur eadem; hoc est, potest quidem res, quibus illa congruunt, ex ipsorum notionibus discerni, ac denominari; sed tum tamen solum, cum ea singula advenireprehenduntur, ut pote cum non sint ex illo accidentium genere, quæ ut existentia sunt, sic sunt necessariò, semperque conjuncta, ac idcirco faciunt perpetuam denominationem.

Quæri heic posset, an, si facta per mortem nostri exsolutione, contingerit ipso temporis progressu, ut quasi quodam eadem omnia ex quibus constamus principia, iteratò, ac eodem modo, quojam sunt, coadunarentur, iidem, qui jam existerimus, ac denominari possemus? Respondendum verò id quidem indubium; sed ita tamen ut nihil ad nos, priùs aliquando fuisse, attineret; quoniam in ipsa exsolutione periisset omnis habitus, omnisque memoria eorum, qui fuisset: sicque proinde foret omnis repetentia reminiscentiæ que nostra interrupta, ut ne posset quidem, quod olim existissemus, in mentem venire. Atque hæc quidem de Universo.

## S E C T I O

## S E C T I O S E C U N D A.

*De Mundo.*

**S**equitur de Mundo dicamus, qui est ipsius Univerſi, ſeu infinite rerum quædam portio, ac deſcribi poteſt non incongruè, Cæli complexio, Sidera, Terramque & quicquid eſt rerum conſpicabilium continens.

Cùm Cæli complexionem dico, intuo Cælum eſſe partem Mundi extimam, quæ & Æther dici & Regio ignis valeat, ob Sidera, quæ continet, quæque ſunt totidem quaſi accenſi ignes.

Terram autem cùm memoro, partem Mundi imam, ſeu quaſi mediam intelligo; cui & ineſt Aqua, & incumbit Aër, Ignis regioni proximus; & cùm varia ſint, quæ ex hiſ, & in hiſ creari videmus; idcirco illa nomine rerum *conſpicabilium* comprehenduntur.

Quoniam verò & poteſt, & ſolet requiri de Mundo. *Quâ formâ interiùs, quâ figurâ exteriùs fit, Eternus-ne fit, an initium habuerit? Aliòne Authore, quàm ipſâ Naturâ, Fortunâ ve indiguerit? Qualiſ exortus & totius & partium ejus fuerit? Aliquo-ne egeat Rectore, an vices per ſe obeat? An, quomodo, quando fit interiturus? Unicus-ne fit, an ſint præter ipſum aliſ innumerabiles?* ideo paucis eſt de ſingulis dicendum.

## C A P U T I.

*De Forma, & Figura Mundi.*

**E**T circa primum quidem caput; non eſt fanè Mundus inter-nâ ſuâ formâ conſtitutione ve animatus, ac multò minus Deus, ut aliqui exiſtimant: ſed cum quicquid unum forma aliqua ſeu conſtitutione cenſetur, tale ſit, vel quòd ejus partes uno habitu contineantur, veluti Planta, aut Animal; vel quòd compingantur quidem inter ſe, verum abſque craſi aliarum in alias quemadmo-



dum domus, aut navigium; vel quod diffitæ quidem mutuo sint, sed quandam tamen relationem ad se invicem habeant, ut Exercitus, & Respublica; Mundus est solum partim secundo, partim tertio modo reputandus unus.

Et secundo quidem modo haberi unus potest; quatenus inter Solem, Lunam, ceterasque partes Mundi solidiores compactioresque intercipitur sive aër, sive æther diffusilis, quo veluti cohesio fiat. Potest verò etiam tertio; quatenus rursus Sol, Luna, Terra, aliæque corpora compacta, sic diffita inter se sunt, ut non sine quodam tamen ordine superiorum, inferiorum, antecedentium, consequentium, illustrantium, illustratorum, regiones, fœdesque obtineant.

Dicere autem esse Mundum primo præterea modo unum, quæ intelligi valeat? cum si res ita se haberet, ac Mundus, ut volunt, foret Animans, nihil existimandum inanime foret, non lapis, non etiam cadaver, non demum quidvis aliud, scilicet uno habitu, qui Anima esset, per omnia diffuso.

Nec verò, qui esse Mundum animantem, sapientemque asserunt, satis attendunt, intelliguntque, in quam cadere naturam id possit. Siquidem quemadmodum arbor non nascitur in æthere, non piscis in arvo, non sanguis in ligno, non humor in pumice; ita non potest Animus, Animæ nasci aut esse indiscriminatum in quolibet corpore, sed cum certum sit, ac dispositum ubi quidvis crescat, & insit, quærenda omnino est ejus natura non longè à nervis, & sanguine; ac proinde nullatenus in putribus terrarum glebis, in aqua, in Sole, in Æthere, &c.

Quod autem aliqui contendunt, esse non modò Animo, & Sensibus præditum Mundum, verum esse quoque rotundum, ardentem volubilem Deum; hæc jam sunt portenta, & miracula, non sanè differentium, sed somniantium Philosophorum. Ecquis enim possit intelligere, qualis sit iste volubilis, & rotundus Deus? quæ verò illi tribuitur vita? nempe, ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: In qua non video ubinam Mens, constans, & vita beata possit insistere

Esto

Esto verò Mundus Deus: ut Sol, Luna, ac cætera partes Dei sunt; sic ipsa quoque profectò Terra, quoniam pars Mundi est, etiam Dei. Atqui Terræ maximas regionis inhabitabileis, atque incultas videmus, quòd pars earum appulsu Solis exarserit, pars obriguerit nive, pruinàque, longo Solis abscessu. Quæ, si Mundus est Deus quoniam partes Mundi sunt, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

Ad externam formam figuramve quod spectat; certum imprimis esse videtur, esse quoddam Mundi extremum; quoniam Mundus est aliquod quasi resegmentum Universi infiniti, at verò quale istud sit, ecquis valeat conicere, nisi ille inc advenerit?

Nam, cùm illud quidem esse videatur Cælum; nihil est rerum apparentium, quod repugnet, quò minus sit rarum; nihil, quominus densum sit. Rarum, quòd possint Sidera, quæ in ipso sunt, moverique apparent, motus suos per ipsum obire. Densum, quòd possit ipsummet Sidera sibi infixaciere.

Rursus, nihil proinde repugnat, quò minus aut quiescens sit, si Sidera quidem per ipsum moveantur; aut circumactum, si Sidera ab ipso rapta circumducantur.

Ad hæc, nihil quoque repugnat, quò minus rotundum, ovatum, aut lenticulare sit; ac præsertim quidem, si ipsum moveatur; nihil rursus, quò minus sit triangulare pyramidaleve; quadratum hexahedricumve, aut figura alia facierum planarum; ac potissimum, si immotum sit.

Qui certè quibusdam ducti argumentis, unam quampiam determinatam figuram Mundo sic asserunt, quasi habere aliam non possit; & quorsùm miremur eorum tarditatem? Nam tuentur quidem plerique esse Mundum, ut immortalem ac beatum, ita & rotundum, quòd eà formà ullam esse neget pulcriorem Platon; at mihi quidem vel cylindri, vel quadrati, vel conii, vel pyradimis videtur esse (propter varietatem scilicet) formosior.

## CAPUT II.

*De novitate Mundi.*

**Q**UOD ad secundum attinet caput, non est sanè æternus Mundus; sed esse aliquando cœpit.

Nam primùm quidem, cùm eadem sit natura totius, quæ partium, & observemus parteis Mundi esse ut interitui, ita ortui obnoxias; idcirco oportet totum quoque Mundum esse interitui, ortuique obnoxium. Parteis porrò ipsius Mundi exoriri, ac interire; seu nativas esse, ac mortaleis, tum sensu ipso demonstratur, tum inferiùs quoque deducendum est.

Neque dicat quis mutationes quæ in partibus Mundi fiunt, non præcipuarum esse partium, ut Solis, Lunæ, Terræ, aliarum; sed minorum solummodò, quæ sunt dumtaxat particulæ, ex quibus illæ præcipuæ constant. Quippe is conjicere debet, si præcipuæ partes ex partibus constant mutationi obnoxias, esse & ipsas totas mutationi obnoxias; ac nisi crebrò occurrant causæ adedò validæ, ut illas immutent, nihil obstare nihilominus, quin tales aliquando occurrant, uti & inter ipsas minores quædam qui præstant incolumes, quæ temporis tamen progressu mutationis causas inveniunt.

Deinde, cùm rerum historiæ omnium antiquissimæ, bello Thebano, Trojanòque superiores haudquaquam sint; quorsùm id, quæso, nisi quia Mundus admodùm vetustus non est, tantùm abest, ut sit æternus? nam si æternus quidem, cur non Pœtæ quoque alij, alias, aliàsque res cecinerunt? quonam tot Virorum illustrium toties cecidere tot gesta? cur nusquam florent insita æternæ famæ monumenta?

Pari ratione, cùm omneis Arteis recens adinventas habeamus quando inventores omnium non nesciuntur (nam & quod in diebus multæ excolantur, incrementùmque accipiant, nimisquam manifestum est) quorsùm id quoque, nisi quia Mundus non potest

test valde pridem cœpisse? neque enim potuisset Mundus tandiu carere Artibus quæ tantæ ad vitam sunt utilitatis.

Quòd si fortè credis paria monumenta pareisque Arteis ante hac fuisse, quæ magnis quibusdam incendiis, diluviis, Terræmotibus, unà cum ipsis urbibus, gentibusque everfis perierint: an non fatearis necesse est, futurum quoque aliquando Terrarum, Cælique exitium; uti & contingisset, si illis casibus gravior aliqua causa incubuisset? quippe & nos ipsi non alia de causa mortaleis reputamus nos, quam quia deprehendimus nos iisdem morbis ægrescere, ac illos, quos vidimus mori.

Habit ergo Mundus initium; neque, ut constare ex his potest, vetustatis est valde magnæ. Quando cumque autem cœperit, videtur omninò a Verna anni tempestate cœpisse. Nempe, cum tunc omnia primùm germinarint, floruerint, fœtus conceperint; & ipsa Mundi novitas temperiem caloris, frigorisque exegerit (scilicet fovendis novis fœtibus) priusquam deinceps in alterum extremorum deflecteretur.

### C A P U T I I I.

#### *De causa Mundi.*

**A**D succedens caput quod spectat, eximendum imprimis est à sollicitudine, ac labore Mundi exstruendi divinum Numen: neque enim esse potest à causa beata simul, ac immortalis, quæ ipsum fabricaverit.

Quibus nam certè oculis intueri Plato potuit fabricam illam operis tanti; qua construi à Deo, atque ædificari Mundū facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vestes? quæ machinæ? qui ministri: tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati Architecti Aër, Ignis, Aqua, Terra potuerunt, unde verò ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur, aptè cadentes ad Animum efficiendum, pariendosque Sensus? longum est iterare omnia, quæ talia sunt, ut optata magis, quàm inventa videantur.

Sed:

Sed & is, quem perhibet, Deus, aut non fuit priore illo ævo quo corpora sive immota erant, sive nullo ordine ciebantur, aut tum dormivit; vel vigilavit, neutrumve istorum. Primum admitti non potest, siquidem Deus æternus est. Neque secundum: quippe, si ab æterno dormivit, mortuus ergo fuit; quoniam æternus somnus mors est. Sed ne capax quidem somni Deus est; magno enim intervallo divisa sunt immortalitas Dei, & res vicina morti. Quod si vigilavit; aut aliquid ipsi ad felicitatem defuit, aut perfectè beatus fuit. At prius non sineret eum esse felicem; non est enim felix, cui aliquid ad felicitatem deest: posterius vero absurdum est, quoniam cui nihil deest, inanis illi rerum molitio.

Quid ergo erat, ut hoc inculcem, quòd concupisceret Deus Mundum Signis, & Luminibus, tanquam ædilis ornare? si ut Deus melius habitaret; antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurgustio habitaverat? post autem, varietatè eum delectari putamus, qua Cælum, & Terras exornatas videmus? quæ ista potest esse oblectatio Deo, quæ si esset, non ea tandiu carere potuisset?

An dicit quis hominum causa fuisse hæc à Deo constituta? verù tamen Sapientumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio? An stultorum? at primùm causa non fuit, quòd de improbis bene mereretur. Deinde, quid est assequutus, cum omnes stulti sint sine dubio miserimi, maximè quod stulti sunt? Miserius enim stultitiâ quid possumus dicere? deinde, quòd tam multa sunt incommoda in vita, ut ea Sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre præsentia.

An & Mundum fecit, & in Mundo Homines, ut ab hominibus coleretur? at quid Deo cultus hominum confert, beato, & nulla re indigenti? Vel, si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causa Mundum fabricaret, ut instrueret eum sapientia, ut Dominum viventium faceret, eumque diligeret, tanquam filium; cur mortalem, fragilèmq; constituit? cur omnibus malis, quem diligebat, objecit, cum oporteret & beatum esse hominem, tanquam conjunctum & proximum Deo; & perpetuum,

sicut

sicut est ipse, ad quem colendum, & contemplandum figuratus est.

Hiscæ ergo de causis dicendum est potius effectum esse Mundum *Naturâ*, seu *mavis*, ac ut aliquis *Physicorum* dixit, *Fortunâ*.

*Naturâ*, inquam, quatenus ea natura est *Atomorum* per illam *Universi*, seu *Naturæ* rerum immensitatem discurrentium, ut sibi invicem magnâ quadam copiâ occurrentes, apprehendere se, irretireq; & implectere mutuo possint; ac sese variè commiscentes, primum quoddam veluti *Chaos*, & in vorticis modum glomerari, ac deinde post multas convolutiones, evolutiones, factisque molitionibus, & quasi tentamentis variis, (omnigenos videlicet motus, cœtusque experiundo) in eam tandem formam coire, qualem *Mundus* hic exhibet.

*Fortunâ* verò, quod *Atomi* non consilio aliquo, sed prout fors obtigerit, concurrant, cohærescant, coaptentur; adeo ut *Fortuna* proinde, quemadmodum dictum jam est, non idè sit causa per se aliqua, quæ *Atomos* temperet, & ad talem effectum disponat; sed quod *Atomi* sint ipsa *Fortuna*, quatenus nullâ præmeditatione sibi invicem occurrentes, sese complectuntur, & tale concretum, prout obtingit, faciunt.

*Errur hic totus cum locis alijs repressus habetur pag. 107. & seqq.*

## C A P U T IV.

### *De exortu Mundi.*

**V**ERVM ut rem paulò specialius deducam, & ad aliud caput interim accedam, videtur *Mundus* in hanc figuram circumornatus, conformatusque hujusmodi quandam, sine follibus, & incudibus, ratione prodiisse.

Imprimis, cum *Atomi* motu inconsulto, ac fortuito essent, & continuo simul, celerrimèque cierentur, ubi in hunc immensitatis locum, in quo jam est *Mundus*, occiperunt concurrere,

o o

sesequ

feseque apprehendere, coacervatæ simul fuere in unam rudem, indigestamque molem, in qua magnæ parvis, rotundæ angulosis, læves hamatis, aliæ aliis commistæ fuerint.

Deinde, in confuso hoc cœtu, eæ, quæ majores, gravissimæque omnium erant, cœpere sensim subsidere; & quæcumque fuerunt exiles, rotundæ, parvæ, lubricæ, illæ in ipso earum concursu, cœpere exprimi, & in sublime ferri. Prorsus ut in turbida aqua, donec quiescit, inclarescitque, partes terræ deorsum sublidunt, aquæ sursum quæsi eliduntur. Postquam vero impellens, elidensque vis, quæ sursum agebat, elanguit, neque ictus amplius in altum evexit, ipsæque interim Atomis elisæ regredi deorsum prohibitæ ab aliis sunt; tum agiliotes ad oras usque circum extremas avolârunt, tum aliæ & ab ipsis reflexæ, & ab aliis ponè instantibus repressæ; facta est mutua quædam implexio, quæ Cælum generaverit.

Quæ Atomis autem & ejusdem naturæ fuerunt (cum, ut dictum est, variæ fuerint) & acervatim dum in sublime compellerentur, circumvolutæ; ex perfecerunt, Solis ac Lunæ, Astrorumque aliorum naturam. Hujuscemodi autem fuerunt potissimum Ignificæ; nam quæ ab ipsis relictæ sunt, neque tam altum emergere poterunt, illæ Aëris naturam creârunt.

Tandem ex iis, quæ subsederunt, ipsa Terra genita est. Et cum multum adhuc in Terra superesset materiæ, eaque verberibus Ventorum aurisque ex Astris spirantibus condensaretur; quæcumque ejus figuratio ex particulis minutis constabat, expressa est, humidamque genuit naturam. Isthæc, cum esset fluida, in cava, & ad excipiendum, continendumque idonea loca defluxit; aut ipsa per se Aqua consistens, idonea loca excavavit. Præcipuè ergo Mundi partes genitæ fuere in hunc modum.

De minus præcipuis, ac veluti partium particulis ut quidpiam addam; videntur in prima illa commistione effecta fuisse generabilem, correptibilemque rerum varia semina, ex quibus res variæ & conformatæ tum fuerint, & deinceps magna ex parte propagari etiam potuerint.

Et Saxa quidem, ac Metalla, cæteraque Fossilia, intra ipsummet Terræ corpus, tum, cum ipsa formata est, idèd concreari potuerunt.

tuerunt, quòd massa foret heterogenea, seu ex Atomis, ac seminibus diversæ naturæ constare. Et quod ipsæ Saxorum moles ad usque superficiem diversimodè extuberarent; idèd creati exinde Montes, uti & quæ Convalles, ac Planities non potuere ipsis non intercipi.

Subinde verò circum monteis, colleisque; & in vallibus, ac per arva, Herbæ, Virgulta, Arbores, eo proxime modo, quo circa Volucrum, & Quadrupedum corpora, ac membra, plumæ, pili, setæ nascuntur.

Verum ad ipsa quidem Animalia quòd attinet, par est ipsam Terram novum genitale semen retinentem, quosdam ex se folliculos in quorundam quasi uterorum similitudinem protulisse, eosque, cum maturuissent, naturâ cogente ruptos, Animalia tenera profudisse: deinde Terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eòque alimento animanteis esse nutritas.

Nutritas, inquam, eas animanteis, quæ ita fuerunt conformatæ, ut parteis omneis nutritioni, usibusque aliis necessarias habuerunt. Nam, ut dum Nilus agros deseruit, & Terra cœpit ardore Solis exarescere, cultores varia Animalia versis glebis inveniunt, partim inchoata, partim imperfecta, & trunca; ac ita quiden, ut in eodem altera pars vivat, altera rudis terra sit: sic par est inter prima illa Telluris quasi tentamenta, præter Animalia perfectè formata, enata fuisse aliqua orba manuum, orba pedum, orba oris, orba aliarum partium, sine quibus non licuit aut alimentum sumere, aut diu ætatem producere. aut genus suum propagare.

Quod de aliis autem Animalibus dico, idem & de Homine ipso dictum volo intelligi. Videlicet folliculos, uterosve aliquos radicibus Terræ cohærenteis, & à Sole concaléfactos primum increvisse, & infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem naturâ ministrante præbuisse; quos ita educatos, & adultos genus Humanum propagasse.

Duo quædam addo: Unum haudquaquam esse probandum quod aliqui ajunt fuisse tunc enatos, ac viguisse Centauros, Scyllas, Chimeras, aliàque monstra ex diversis generum partibus constantia. Quâ enim ratione potuerunt in Centauro, exempli gratiâ, hominis, & equi membra cohærerere, cum tertio quidem ætatis anno,



vix puero adhuc ablactato, equus jam floreat, & dum equus jam præ senio languescit, homo florescente juventute sit?

Alterum, ut Tellure nova, & seminibus pluribus, vegetioribusque, plura, ac majora, quàm nunc creata fuere Animalia, & in ipsis Homines quoque; aded ut illd hominum genus fuerit in arvis durius, tanquam ex ossibus, nervisque & majoribus. & solidioribus compactum, sic destitisse demum Terram tanquam seminibus exhaustis, & quasi mulierem spatio vetusto defessam, talia Animalia sponte parere; & exinde fieri, ut jam nusquam sponte erumpant homines; sed & ipsi, & perfectiora, majoraque alia Animalia propagatione sola oriantur.

*Fabula hæc tota, quæ prodierit Mundus, refutata habetur pag. 93. & pag. 184. & seqq.*

## C A P U T V.

### *De obeunte suas vices Mundo.*

**S**EQVITVR quæstio, an per se, an alicujus Numinis providentiâ regatur Mundus.

Itaque existimare imprimis non oportet aut motum Cæli, aut Æstivam, Hybernæque Solis conversionem, aut Solis, Lunæque defectum, aut ortum, occasumve Astrorum, aut alia hujusmodi ided fieri, quod sit Præfectus aliquis, qui sic disponat, disposueritve, ac simul beatitudinem, immortalitatemque possideat. Non enim cum felicità congruunt negotia, sollicitudines, iræ, gratiæ; sed hæc præ imbecillitate, metu, opisque externæ indigentia contingunt.

Neque oportet rursus, cum id muneris & molestum sit, & à felici statu abhorrens, existimare eam naturam, quæ felicitatem est nacta, ejusmodi esse, ut sciens, ac volens hæc Animi commotiones, sive perturbationes subeat; sed tueri potius respectu illius venerationem omnimodam, ac orationis genere uti eas suggerente cogitationes, ex quibus, nullæ venerationi contrariæ opiniones nascantur.

Quare

Quare opinandum est potius, tum cum Mundus procreatus est, factos fuisse eos circumplexus circumvolventium se Atomorum, ut creatis exinde corporibus Cælestibus, nata in ipsis fuerit hæc necessitas, qua tali modo moverentur, & circuitus taleis obirent; ac pari modo cætera omnia vices suas agerent, pro cœpto semel rerum cursu.

Cur verò hoc potius non sit opinandum? nam sive Deus ipse est Mundus, ut aliqui existimant; quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso, versari circum axem Cæli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil creatum est. Sive in ipso Mundo Deus inest aliquis; qui regat, qui gubernet, qui cursus Astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet; qui omnibus in locis, omni tempore præstò sit; & quanta singularum rerum varietas, seu innumerabilitas potius est, in totidem distrahatur curas; dando scilicet operam ut hoc, non alio modo fiant; næ ille negotiis, ut antè objiciebam, molestis, operosisque est implicatus.

Quid quod, tametsi vel supponatur solum non curari à Deo res; contingere non secus omnia, ac si nulla esset Providentia, deprehenderetur? quippe nulla quidem bene; verum pluraque etiam male, & secus, quàm deberent, eveniunt. Nam, ut omittam cætera; nonne, si ipse Jupiter fulminat, fulminare regit, deberet saltem parcere Templis, saltem non facere occasionem, qua dubitetur, annon id casu, potiusquam Divino consilio eveniat? scilicet: quasi omnibus rebus cursum tenere pergentibus, vicesque suas obeuntibus, prout fuerit ab initio cœptum.

Certè, hoc quoque maximè valet, quatenus specialem Hominum respectu asserunt providentiam. Nam, ut præteream, quod jam dixi, non posse beatam, immortalemque Naturam ullà teneri irâ, aut, gratiâ; fac hominum res à Deo non curari, quæ se illæ secus habituræ sunt? Par in illis, aut etiam major, quàm in cæteris Animalibus imbecillitas; paria incommoda; par malorum seges. Servantur eorum aliqui, conceptis votis, ex naufragio: quam multi votis conceptis pereunt? multi Liberos precati obtinent: quam multi frustra, ut obtineant, precantur?

Sed, ne longum faciam; cur, si curæ Deo res humanæ sunt, &

bonis male, & malis est bene? movet me sanè, quòd video bonis adversa semper contingere, paupertatem, labores, exilia, charorum amissiones: malos contra beatos esse, augeri potentiâ, honore affici. Quòd innocentiam minùs tutam, scelera impune committi; quod sine delectu morum, sine ordine, ac discrimine annorum sævire mortem; sed alios ad senectutem pervenire, alios infantibus rapi, alios jam robustos interire; alios in primo adolescentiæ flore, immaturis funeribus extinguui: in bellis potius meliores & vinci, & perire. Maximè autem commovet, homines imprimis religiosos gravioribus malis affici; iis autem, qui aut Deos omnino negligunt, aut non piè colunt, vel minora incommoda evenire, vel nulla.

Quin etiam mihi videor non malè hac ratione argumentari. Aut Deus vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut & vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, idèdque non Deus. Si potest, & non vult, invidus: quod æque alienum à Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, idèdque neque Deus. Si vult, & potest quod solum Deo convenit; unde ergo mala? aut cur illa non tollit?

*Tota hac Impietas oppugnata est cum asseruimus esse Deum Rectorem Mundi pag. 129: itemq; cum rezere speciali cura humanam genus pag. 209. & seqq.*

## C A P U T VI.

### *Obiter de Geniis, seu Dæmonibus.*

**P**ER INDE est porrò, seu Deus res curet seipso, ut aliqui volunt; seu, ut contendunt alij per Administros, quos Genios, ac Dæmonas passim appellant. Quippe & res non secus contingunt, ac si administri hujuscemodi esse nulli supponerentur; & ut concedantur esse aliqui, non possunt ij sanè, quales fingunt, esse; humanâ videlicet formâ, & voce quæ ad nos pertingat. Ut taceam, cùm plerumque mali, & vitiosi esse dicantur, non posse eos proinde feliceis, longævòsque esse; quòd pravitati comes adsit & cæcitas multa, & pronus ad ea, quæ interimunt, lapsus.

Quàm

Quàm optandum foret, ut aliqui essent, qui nostri curam gererent; ut quæ desunt prudentiæ nostræ, nostrisque viribus, supplerent! quàm speciatim optandum iis, qui sunt in bello sanctissimorum, honestissimorumque facinorum duces; ut non solum armis, equis, navibus; sed ipsorum quoque Deorum auxilio possent fidere.

Ac nonnulli quidem interdum apparere quibusdam dicuntur: sed quid ne ij, qui Genios sibi apparere commemorant, aut mentiuntur, & fingunt; aut melancholici sunt, talesque, ut ærumnosum corpus ipsis tum suspendat, tum ad extraordinaria defleat imaginationem? notum est certè nihil esse imaginatione comparatius ad movendum, transformandumque (tamen in re nihil subfit) in omnem speciem. Quippe, quoddam facta Menti impressio similis sit illi, quæ in cera fit, quoddamque humanæ Menti habenti in se, quod fingit, & quod fingitur, ea insit vis, ut sumpta ex rebus visis, auditivæ occasione quapiam vel levissima, speciem ex seipsa facillimè variet, atque transfiguret: ut manifestum quidem faciunt, quæ per somnum fiunt, insomniorum commutationes, tanquam ex quibus deprehendatur imaginatrix facultas, varietatem omnigenam affectuum, visorumque subire. Ut proinde mirum non sit, si ubi facultas est læsa, Dæmones, aut alia, de quibus quidpiam quocumque modo præconceperint, videre videantur.

Solent insuper argumento ad stabiliendum ut Providentiam, ita existantiam Dæmonum, obtendere Divinationem: sed piget humanæ imbecillitatis, quando & ex somniis Divinationem repetit; quasi nempe Deus per grabatos incedens stertentis admoneat visis tortuosis, quid sit venturum: & ex omni portentorum, ostentorumque genere; quasi nisi Deum commiscuerimus, non modò cum Sole, cum Luna, cum variis Animalibus, sed cum omni etiam ære, ac lapide, non habeamus satis idoneum eventuum huiusmodi opificem, Fortunam, & Casum?

Verùm, ut de solis Oraculis dicam; cum possit tot modis convinci esse illa meras Vatum imposturas; tum vel ex eo sanè subodorari in promptu est, quòd versibus utantur malis, quique sint plerumque principio trunci, medio elumbes, sine claudicantes: quod sanè non contingeret, si funderentur divinitus; quando à Deo nihil, nisi bene, decenterque fieri par est.

Et

Et memini quidem, cùm Sami adolescerem, solitum jactari Oraculum illud, quo ferebant Polycratem Insulæ tyrannum Pythia, & Delia celebrantem, misisse simul Delum, sciscitatum Appollinem, num, quæ spectarent ad Sacrificium, ad præfinitum tempus offerret: ac respondisse Pythiam, *Hæc tibi Pythia, & Delia sunt*: addentes inde significatum, es illi extrema futura: siquidem ipsum non multò post tolli è medio contigit: verùm qui potuit responso illo significari ea Sacrificia fore extrema, potiùs quam media: nisi quòd vulgò avidi nimis auricularum homines sunt?

---

### PETRI GASSENDI REFUTATIO.

#### *Quid sentiendum de Divinatione, seu præsentione rerum futurarum merè fortuitarum.*

**C**ONGR.VVM est porrò iis, quæ circa Libertatem jam dicta sunt, subjiciamus aliquid de Divinatione, ut & melius pateat Liberum Arbitrium, & Epicuri oppugnans sententia destruat. Principio quod iis verbis ait, *Divinatricem artem, seu Divinationem non dari; & ut detur, nihilominus ea, quæ prædicentur, ac evenient, in potestate nostra non fore*, conforme est iis, quæ ab eo tradi circa admittam Libertatem, sublatamque necessitatem non multò antè videmus, Quia enim capere non potuit, Oppositarum de futuro contingenti, Enunciationum alteram definitè veram, alteram falsam definitè esse; & hominem nihilominus remanere liberum, quasi eligere utrumlibet possit; cùm tamen, nisi unum definitè fieri non valeat, idèd cohærentur, negavit divinationem ullam, prædictionemve ullam certam esse circa futura hæc contingenti; quatenus si id, quod prædiceretur, esset omnino verum, ac indubium, nullâ ratione posset non fieri; neque adèd oppositum posset ullatenus evenire; unde & ad unum foret necessitas, non vero ad utrumvis libertas. Cùm autem necesse non sit, reperere

repetere quidpiam ex iis, quæ fufe satis deducta sunt, ut ostenderemus Divinam Præscientiam, & quæ illa sunt Vaticinia præclare cōstare cum ipsa Libertate arbitrij; ac eâ ratione Veritas eorum, quæ Prophetæ divinitus inspirati prædixerunt, & in Sacris continentur Codicibus, intemerata maneat. Superest solum pervideamus, quo pacto Epicurus celebrem apud Ethnicos Divinationem rejecerit. Is ergo imprimis non modo à Plutarcho, verum etiam à Cicerone, copulatur cum Xenophane, qui, cum Deos affereret, sustulit tamen Divinationem. Atque id quidem cum cæteri Divinationem admiserint, ut Pythagoras, Democritus, Plato; Peripatetici item, Stoicique; isti vero imprimis; nisi quod Panætius apud Ciceronem non est quidem ausus negare vim esse divinandi, sed dubitavit tamen; cum & plerique; ex cæteris non omnia quidem, sed aliqua tamen Divinationis genera repudiarent. Carneades quin etiam modò hoc, modò illud; adeo ut pene etiam videatur cum Epicuro copulandus, maximeq; ob id, quod Cicero habet, dum relata Tagis illius historia, qui aratore quodam sulcum altius imprimente, repente apparuit, & Haruspici-  
nam Etruscos edocuit, Num ergo, inquit, opus ad hac resellenda Carneade? num Epicuro? Quod autem ait Plutarchus fuisse Epicureorum *χλωραστὴς, ἃ γέλασται*, sannas & risus; id Cicero quoque confirmat, dum, Nihil, inquit, tam irridet Epicurus, quam Prædictiones rerum futurarum. Et rursus, Doleo, inquit, Stoicos nostros Epicureis deridendi sui facultatem dedisse: non enim ignoras, quam ista derideant. Ex hoc est illud, apud eundem, Velleij Balbum alloquentis: Sequitur *Μαυπηχὴ* vestra, qua Latine divinatio dicitur, quâ tantò imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut Haruspices, Augures, Harioli, & Conjectores nobis essent colendi. His terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem vindicati, &c. Nihil speciatim addo de Infomniis; cum quid senserit de iis Epicurus, satis indicet tum Eumolpus apud Petronium, cum de divinatione per somnum loquens, *Heinc scies*, inquit, *Epicurum hominem esse divinum, qui ejusmodi ludibria facerissimâ ratione condemnat*; tum ipse quoque Tertullianus, cujus verba sunt, *Vana in totum somnia Epicurus judicavit; liberans à negotijs divinitatem*, &c. tum apud Ciceronem Quintus frater, ubi de Sisenna loquens, *Insolenter*, inquit, *credo ab Epicureo aliquo inductus disputat somniis credi non oportere*. Nihil etiam de Ostentis, quorum interpretationi quæ fides adhibenda sit insinuat illud Lucretij:

Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam  
 Perpicere, & quã vi faciatrem quamque videre.  
 Non Tyrhena retrò volventem carmina frustra,  
 Indicia ocula Divum perquirere mentis.

4. & 8. ad-  
 vers. Cels.  
 7. præp. 1.  
 & 2.  
 de Pyth.  
 orac.

1 ad v. Col.

Nihil rursus de Oraculis, quæ Origenes, & Eusebius declarant pas-  
 sim ab Epicuro, Epicureisque derisa: sufficit enim Boëthum illum à  
 Plutarcho induci reprehendentem Versus Sibyllarum (qui divi-  
 nam videlicet contexturam non saperent, & ad quorum styllum se  
 nemo Poëta laudatus vellet componere) ac illi idcirco ita objici:  
*Vos, ô Prophetæ Epicuri, non licet effugere. Vitis enim datis priscis Prophe-  
 diibus, quod ver sibus usa sint malis: & eas, quæ hodie prosa oratione, ac prout  
 voces occurrerint, responsa dare causamini, ne ad tribunal vestrum vocentur  
 propter versus principio truncos, medio elumbeis, sine claudicantis. Memo-  
 rat aliàs idem Plutarchus Colotem habuisse suspectum oraculum il-  
 lud Apollinis de Socrate; & Lucretius Empedoclem, Philosopho-  
 que alios commendat, quod ut aliàs attigimus,*

— multa bene, ac divinitus inveniendes.

- Ex adyto tanquam cordis, responsa debere,
- Sanctius, & multò certa ratione magis, quàm  
 Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, Lauroque profatur.

Et, quia non hoc modò Divinationis genus administrari à Diis, aut  
 Dæmonibus credebantur:

Ventum erat ad limen, cum virgo, poscere fata

Tempus, ait; Deus ecce, Deus. —

Et — nec mortale sonans, afflata est numine quando

Iam propiore Dei —

de Dem.  
 Socr.

sed etiam ferè cætera; quippe verba Apuleij sunt, *Dæmonum singulos  
 curare, ut est cuique tributa provincia, vel somniis conformandis, vel  
 extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis,  
 vel variis inspirandis, vel fulminibus jaculandis, vel nubibus corus-  
 candis, cæterisque aded, per qua futura cognoscimus. Pergit autem:  
 Quæ cuncta Cælestium voluntate, & numine, & autoritate, sed dæ-  
 monum obsequio, & operâ atque curâ; ut Annibali somnia orbitatem  
 oculi commoneant; Flamini auspicia periculum cladis prædicent; Accio  
 Navio miraculum totis adjiciant; atque, ut nonnulla regni futuri signa  
 præcurrant, ut Tarquinius Priscus aquilâ obumbratur ab apice; Servius  
 Tullus*

Tullus flammá collaminetur à capite : Postremo cuncta haviolum praesagia , fulgurum videntia, carmina Sibyllarum. Quia, inquam hæc perhibebantur; idè prætulit Epicurus & Deorum administrationem, & Dæmonum exstantiam negare, quàm ista concedere. Unde est, ut ipse quoque Aphrodisiaz occasione prædictionis de Laio factæ, ad cujus exequutionem ipse Apollo concurrerit, censeat neminem, qui hæc audiat, non habiturum *Ὅσοι ἐξέραν τῷ λεγμένῳ τῶν θεῶν Ἐπίκερον ἀπειροσίων, ἢ πιαύτης πειροσίων, magis piam illam qua dicitur, Epicuri improvidentiam, quàm Providentiam hujusmodi.* Hæc certè de causa Boëthius Epicureus, cujus mentio facta mox est; cùm apud Plutarchum memorarentur Prodigia varia, quæ, ut factum ab Apuleio, referrentur ad Dæmonas, *Ναι, inquit, ἔδ' ἀρκεῖ τ' ἦν εἰς σῶμα κατεργυρῶναι, θνητὸν ἀπαξ ἐκάσθ' μιλῶς, ἀλλὰ καὶ λίθῳ παντὶ, καὶ χαλκῷ συμφυράσμεν αὐτὸν ὡσπερ ἔκχοντες ἀξιοχρεῶ τῶν πικτέων συμπωμαίων τῶν τύχην δημιουργόν, καὶ τὸ αὐτόματον, Nempe igitur non est satis quotibet mense includere Deum corpore mortali; nisi eum etiam cum omni lapide, ætæque commiscuerimus. Quasi hujusmodi eventuum non habeamus opificem satis idoneum Fortunam, & Casum?* Affine est, quod apud eundem Plutarchum, postquam Empedocles, aliique dicti sunt induxisse Aliastoras, Palamæos, & alios malos Dæmonas (quorum arteis malas Epicurum cõtēmpsisse ab Origene scribitur) tum Epicurei dixisse feruntur, *ὡς ἀδωατόν ἐστι Φαύλος, καὶ ἀμαρτηλικὸς ὄντας, μακαρίζεις, & μακαρίωνας εἶναι, πολλὴν τε Φλόγηται ἢ κακίας ἐχέουσιν, καὶ τὸ θεῶν πτωπὸν ποῖς ἀναιρελικῶς, Non posse illos, mali, & vitiosi cùm sint, felices, ac longævos esse, quòd pravitati comes sit & cæcitas multa, & lapsus proclivis ad eas, quæ interimunt.* Ubi nequicquam sanè non est, quod de cæcitate interferitur: Exinde enim deducitur, quòd tamen esse concedantur Dæmones, non ea tamen perspicacia sunt, ut prospicere, prædicereque futura possint. Quia verò solebat plerumque probari Divinatio ex iis, quæ Dæmones, seu Genij sese ipsos manifestantes, esse ventura prædicerent, referre illud sufficit, quod cum Brutus celebrem illam Genij sui apparitionem Cassio Epicureo recitasset; ipse Cassius tum fuisse Brutum hallucinatum declaravit, tum & subjecit, *Δαίμονας δ' ἔτ' εἶναι πιθανόν, ἔτ' ὄντας, ἀνθρώπων ἔχειν εἰδῶν, ἢ φωνῆν, ἢ δύναιεν εἰς ἡμᾶς διήχυσαν. Ὡς ἐγὼ γ' ἂν ἐβλάμην ἱνα μὴ, μόνον ὄπλοισι καὶ ἵπποισι, καὶ ναυσὶ πικύται, ἀλλὰ & θεῶν ἀγοραῖς ἐπεπαρῆσμεν, ἔστο πάτων ἔργων, καὶ κακίσιων, ἠγεμίνας ὄντες, Dæmonas autem neque esse cre-*

de E. A. 16.

1. & 4. com 8  
Cels.



dibile est, neque ut sint, hominum habere aut formam, aut vocem, aut vim, qua ad nos pertingat, Quàm hoc vellem! ut non solum armis, equisque, & rotis, tantisque navibus; sed ipsorum quoque Deorum fidere possemus auxilio; Nos, qui sumus sanctissimorum, honestissimorumque facinorum duces! Prætereo heic autem, quod Lucretius habet de iis apparitionibus, quas fieri in locis desertis erat pervulgatum:

tib. 4.

Hac loca Capripedes, Satyros, Nymphasque tenere  
 Finissimi fingunt, & Fannos esse loquuntur,  
 Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti  
 Adfirmant vulgò taciturna silentia rumpi,  
 Chordarumque sonos fieri, dulcissimisque querelas  
 Tibia quas funditis digitis pulsata canentum.  
 Et genus Agricolum late sentiscere, cum Pan  
 Pineæ semiferi capitis velamina quassans,  
 Vnco saepe labro calamos percurrit hiantis,  
 Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam.  
 Cætera de genere hoc monstra, & portentâ loquuntur;  
 Ne loca deserta ab Divis quoque fortè putentur  
 Sola tenere: idèò jactant miracula dictis;  
 Aut aliqua ratione alia ducuntur; ut omne  
 Humanum genus est avidum nimis auricularum.

Atque in hac quidem Epicuri sententia reprehendendum minimè est, quòd nimiam illam credulitatem, superstitionemque Gentilium tam circa ipsam divinationem, quàm circa Dæmonas derisit. Verùm id ferendum non est, quod, utcumque res de divinationis veritate se habeat; saltem existare Dæmonas generatim non autumavit. Quippe non Sacra modo Religio, sed ratio quoque id persuadet; uti & reipsâ persuasit iis Philosophis, ex qui quibus Plutarchus citat nominatim: Thaletem, Pythagoram, Platonem, Stoicos ( præter

x. plac. 8.

1. plac. 8.

Empedoclem, & alios) quibus afferentibus, esse Dæmonas; qui sint animata substantia; itemque Heroas, qui sint anima; seu bona seu mala, suis solus a corporibus, solum opponit Epicurum, qui ἐδὲν τῶν ἐγκρίτων, nihil bonorum admittit. Tamen si, certè illi errarunt, tam circa substantiam, quàm circa adjuncta, quæ attribuere Dæmonibus; in eo tamen bene senserunt, quod aliquos esse fuerunt opinati. Cùm res verò ejusmodi sit, ut nobis plusquam obiter esse attingendâ videatur;

tur;

tur; idè abs re fortè non erit, si de Divinatione dicturi, præmittamus quidpiam de Dæmonibus, ad quos illa est solita referri. Suppono autem ipsos esse, quos Scriptura familiari voce Angelos appellat, ac interdum etiam Dæmonia; cum scilicet de Angelis prævaricatis loquitur; quibus aliunde attribuit vocem Satanæ, Diaboli, & alias. Apud Ethnicos familiare est, ut non solum Dæmones, verum etiam Genij vocentur; tamen si, quia naturæ divinæ, aut non nihil divinâ inferioris existimantur; solent quoque dici & Dij, & Semidei, & Deorum filij (sed nothi tamen, ut putà ex Nymphis) &c. Ne memorem præterea dici juxta Aristotelem, Separatas substantias, quatenus incorporeæ sunt; juxta Sectatores, Intelligentias, quatenus intellectu pollent; cum & Latine Intelligens idem videatur, quod Græcè δαίμων, si verum sit quidem, quod post Platonem Lactantius, & Macrobius docent, δαίμονας, juxta Grammaticos dici quasi δαήμονας, id est, Peritos, & rerum scios. Certè & quod Aristoteles ait, non posse quidem insomnia dici θεόπεμπια, divinitus seu à Deo missa; sed posse tamen δαιμόνια Dæmonia, ἢ δὲ φύσις δαιμόνια, αἰθερὰ & θεία, quod natura dæmonia; quidem, ac non tamen divina sūt, ita accipi solet, quasi ipsa natura, à qua res omnes fiunt, sit perita, ac rerum scia: ἢ παρορᾷ τὰ μέλλοντα, ac futura etiam provideat; tamen si eo modo provisã contingant, quo jaculantem totum diem, mirum non est collineare interdum: Sic nempe docet esse nihil mirum, ex illis tam multis, quæ loquutuleiorum, melancholiorumque natura suppeditat visa, ac insomnia; nonnulla interdum evenire.

Hoc verò præmissò, ut habeas, quæ fuisse circa Dæmonas, Pythagoræ, Platonis, cæterorum notio videatur; id heic revocandum in memoriam est, quod superius dictum circa Animam Mundi. Nimirum, qui eam concesserunt, existimârunt Dæmonas, non minus, quam animas nostras, nihil esse aliud, quam Particulas animæ Mundanæ. Et quoniam aliunde animam Mundanam idem esse cum Deo putârunt; idcirco habuere quoque Dæmonas, ut particulas divinæ naturæ; ac ansam fecère hæreticis variis, primis Ecclesiæ temporibus, ut pari modo de Angelis ex Dei substantia deductis philosopharentur. Ij ergo habuere Mundi Animam, quasi Oceanum inexhaustum, cujus Dæmones, animæque essent velut

Ann. 9.  
lib. 3. cap. 7.

velut rivuli temporis progressu in eum reducendi: Et Plotinus visus est etiam comparare radici, seu trunco, quasi Dæmones, animæque essent veluti rami, ramusculi, folia, flores, fructus. Censuere verò, sicut aqua, dum interanea terræ pervadit, imbuitur substantiâ eorum mineralium, per quæ transire ipsam contingit, sic particulas animæ Mundanæ induere plerumque substantiam tenuissimorum corporum, ipsisque speciatim quasi illigari. Cum opinati verò fuerint esse quidem animam toto orbe diffusam, sed insidere tamen præsertim in regione ætherea, atque aded in ipsis Astris, & maxime omnium in Sole: idcirco putarunt, dum hæc inferiora à superioribus foventur, advenire cælitus varios quasi radios vivificantis animæ, ac taleis radios intereà in medio interstitio variè veluti corporari, & æream quandam quasi vestem induere, partimque deinceps variè commorari, degereque per ærem, partim in Terram usque pervenire. Heinc proinde existimârunt substantias hujuscemodi, compositas nempe ex corpore tenni, quale est æ eum, & ex particula animæ Mundanæ, esse Dæmonas, Animasque, sed Dæmonas quidem, dum à commistione corporum crassiorum manent liberæ, animas verò, dum demerguntur in crassiora hæc corpora, & magis adhuc corporascunt. Prætereo autem, si corpus tenuè, quo velut amictu, particulæ animæ induuntur, lenis, benignæque contexturæ fuerit, tunc fieri bonos Dæmonas, sin asperæ verò, & inalignæ (ut sunt etiam in aère partes heterogeneæ) malos. Prætereo quoque animas nostras, cum è corporibus exierint, Dæmonas rursus fieri, tamen non statim, neque ex æquo omneis. Si quidem retinent plerumque quasdam ex humano corpore reliquias, quas donec retinuerint, nec prorsus depofuerint, non tam Dæmones, quàm Heroës, & Semidei nonnullis dicuntur. Hi autem sequuntur præsertim Hesiodum, qui primus, ut Plutarchus refert, quatuor genera ratione utentium exposuit, Deos primùm, tum Dæmonas, deinde Heroas, tandem Homines. Quod illeic verò additur: Ut Terra in Aquam, Aqua in Aërem, Aër in Ignem transmutatur; sic ex Hominibus Heroas, ex Heroibus Dæmonas, ex Dæmonibus Deos fieri: id tum fieri intellige, cum portiones illæ animæ Mundanæ corporeum amictum assumptum depouunt, & in reliquam homogeneam naturam quasi refunduntur. Dixi secundum

de Orat. d. f.

secundum Hesiodum; siquidem Plato, Pythagoras, & qui illos, tanquam præcipuos Dæmonum assertores probant, ea, quæ sunt prædita Ratione, in tria dumtaxat genera partiuntur, Deos, Dæmonas, Homines. Quo loco notæ sunt Xenocratis similitudines, quæ à Plutarcho memorantur; ut Triangulorum, dum Æquilaterum tribuit Diis, Isoceles Dæmonibus, Hominibus Scalenum. Itemque Astrorum; dum Deos fecit simileis Soli, Dæmonas Lunæ, Homines Cometis, aliisque momentaneis ignibus.

Et possemus quidem declarare ex aliis, ut Dæmones sint mediæ quædam inter Deos, hominesque naturæ; vel ut loquuntur, in Immortalium, mortaliumque confinio; sed nemo luculentius id explicet, quam Apuleus. Is enim primùm edisserit, ut fiat per ipsos Deorum, hominumque commercium: ac deinde postquam probavit, ut cæteræ Mundi regiones à suis habitantur animalibus (æther enim sidera habet, ignis animalcula illa, de quibus Aristoteles, mare pisceis, cætera terra) ita aërem non debere sibi propriis destitui, quæ quidem fiunt Dæmones, subdit; *Supereſt, ut qua tandem, & cujusmodi ea ſint, diſſeramus: Igitur terrena nequaquam, deſcendunt enim pondere; ſed nec flammea, ne ſuſum verſus calore rapiantur. Temperanda ergo nobis pro loci medietate media natura; ut ex regionis ingenio ſit & in cultoribus ejuſ ingenium. Cedo igitur mente formemus, & gignamus omnino id genus corpus, tertia quadam animalia, qua neque ſunt tam bruta, quam terrea, neque tam levia, quam ætherea, ſed quodammodo utrimque ſejugata. Velut enim utrimque commiſta ſunt, ſive amolita, ſeu modificata utriuſque rei participatione; ſed facilius ex utroque, quam ex neutro intelligentur. Habeant igitur hæc Dæmonum corpora modicum ponderis, ne ad ſuperna incedant; aliquid levitatis, ne ad inferna præcipitentur. Adfert deinde in exemplum nubeis, tumque ſubjicit: Quid ſi nubes ſublimè volitant, omniſque & ex ortus, & terminus, & retro deſluxus earum in terris eſt; Quid tandem futura cenſes Dæmonum corpora, qua ſunt concreta multò minùs, & tanto ſubtiliora? Non enim ſunt ex hac facultate nubecula, tumida caligine conglobata. ficati nubium tenuis eſt; ſed ex illo puriſſimo aëris liquido, & ſerno alimento coalita, atque nemini hominum temerè viſibilia; niſi divinitus ſpeciem ſui offerant: quod nulla in illis terrena ſoliditas locum luminis occupaverit, qui noſtris oculis poſſit ſubſiſtere; qua ſolitate noſtra offenſa acies immoretur; ſed fila corporum poſſident rara, & ſplendida, & tenuia;*

de Dæm.  
Sect.

venia; usque aded, ut radios omneis nostri tuoris, & raritate transmittant, & splendore reverberent, & subtilitate frustrentur. Statim autem post, vide quid subjungat circa passiones Dæmonum: Ex hoc fermè Dæmonum numero Poëta solent haud procul à veritate, osores, & amatores quorundam hominum Deos fingere. Hos prosperare, & evehere, illos contra aversari & affligere. Igitur & misereri, & indignari; & angere & latari; omnemque humani animi faciem pati: ac simili motu cordis, & salo mentis ad omneis cogitationum aestus fluctuare. Ac postea, ubi declaravit hasce turbellas, & tempestates procul exulare à tranquillitate Deorum cælestium, en ut prosequatur; Sed & cuncta, ut hoc genus cetera Dæmonum mediocritati congruant. Sunt enim inter homines, ac Deos, ut loco regionis, ita ingenio mentis interfiti, habentes communem cum ceteris immortalitatem, cum inferi passionem. Nam perinde, ut nos, pati possunt omnia placamenta, vel incitamenta; ut in ira incitentur, & in misericordia flectantur; & donis mutentur, & precibus leniantur, & contumeliis exasperentur, & honoribus mulceantur, aliisque omnibus ad similem nobis modum variantur. Quippe; ut finem comprehendam; Dæmones sunt genere animalia, ingenio rationalia, animo passiva, corpore aëria, tempore aterna. Sic ille-

Quod hisce extremis porrò verbis statuit Dæmonas tempore æternos quasi nec nascantur unquam, nec intereant (unde & illis asseruerat mox antè immortalitatem) Nota conconciliari non posse cum opinione cæterorum, qui illos ortui, ac interitui esse statuunt obnoxios; nisi forte aut æternum tempus pro diuturnissimo accipias; aut sententiam interpreteris de radio illo divinitatis, seu portiuncula Animæ Mundanæ, quæ, ut semper fuit, nec cœpit cum spoliis illud aëreum induit, ita nec esse desinet, sed animæ toti conjuncta subsistet, cum spoliis illud exuet. Scilicet, ut Homo dicitur mortalis ob solutionem compaginis, qua anima corporis vincitur, licet anima propterea non pereat; ita contendunt Philosophi Dæmonas habendos mortales; quod tamen pars illorum præcipua, & intelligens æternum subsistet; contingat tamen hanc partem sejunxi ab eo corpore, cui cœrens Dæmon censetur. Ex hoc certè esse videtur, quod mox antè est dictum, Ex Dæmonibus Deos fieri: ut de Iside, & Osiride, creditum est olim Ægyptiis; de Hercule, Libero, aliis, ut à Plutarcho obser-

vatur:

de Iside &  
Osiri.

vatur: cùm & hac ratione interpretari liceat, quod Iupiter apud Ovidium,

*Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina, Fauni  
Et Nympha, Satyrique, & Monticola Silvani;  
Quos quoniam cali nondum dignamur honore,  
Quas dedimus certè terras habitare sinamus.*

I. metam

Prætered, quod idem Plutarchus commemorat de morte Panos, & de Oraculorum defectu, à nonnullis existimato propter Dæmonum mortem contigisse. Attingo solum, quod recitat censuisse nonnullos Dæmonum ætatem esse annorum novies mille septingentorum, & viginti: ac Hesiodum nominatim illam extendisse ad centū propriè myriadas annorum; dum progressu facto ex ætatibus variorum animalium, quæ longæva maximè sunt, tum Nymphas Jovis filias scilicet ipsos Dæmonas, longè supervivere dixit, numerus siquidem annorum esse colligitur novies centum, ac triginta triū millium, in superq; centum, & viginti. Carmina autem illa Hesiodi, *Ἐν ἑκάστῃ ζῶει ἄνθρωποι*, &c sunt Latinis vulgaria facta imitatore Aufonio: de Orac. def.

*Ter binos, deciesque novem super- exit in annos,  
Iusta senescentum quod implet vita virorum.  
Hos superat novies vivendo garrula cornix;  
Et quatuor egreditur cornicis sacula cervus.  
Aeripedem cervum ter vincit corvus; at illum  
Multiplicat novies Phoenix reparabilis ales:  
Quem vos perpetuo decies prævertitis ævo,  
Nympha Hamadryades, quarum longissima vita est.*

Eidyll. 18.

Ubi notandum, quod longævas Nymphas Interpres dicit Hamadryadas (cùm Hesiodus dicat potius *ἑπλοκάμυς pulchricomas*) non consentire cum eo, quod Pindarus ait Nympharum ævum tantum esse, quantum durare arbores possunt; ac inde dici Hamadryadas, qua si unâ cum quercubus (sive universè cum arboribus) ac tantum, quantum ipsas, viventeis. Nisi fortè aliquis dicat, cùm formæ animæve arborum non sint ipsæ Nymphæ, sed Nymphæ sint potius quidam Dæmones, qui silvis, & specialibus quibusdam arboribus delectentur (ut sunt nonnulli etiam, quos montes, aut fluvij, scaturiginesque delectant; ex quo non modò Hamadryades sed Orcades etiam, Naiadesque appellitantur) nisi aliquis, inquam, dicat non

ex Plutar. ibid.

propterea Nymphas arboribus conviventeis, arboribus commori sed superesse, reliquum ævum degere pergenteis cum cæteris Nymphis, cumque Pane, Sileno, Faunis, Satyrisque & Silvanis monticolis. Utrumque sit, nota est etiam alia opinio Democriti, qui cum explicante Plutarcho, Dæmonas esse diceret *Simulacra quædam*, quæ apud Empiricum *magna, & ingentia* dicuntur; & apud Ciceronem tanta, ut universum Mundum complectantur extrinsecus; existimavit hæc Simulacra, ut idem Empiricus habet, difficile quidem, sed tandem tamen interire.

*ibid.*

*1. advers.  
Phyf.  
1. de nat.  
De.*

Cæterum, seu ista, seu alia opinionis Philosophorum interpretatio vera fuerit; hoc saltem constat, Dæmonas fuisse à Philosophis admissos; & à plerisque etiam de ipsis, tanquam de naturis à divina substantia diversis, fuisse disputatum. Tamen verò illos corporeos aliunde reputaverint, id tantò in Philosophis videtur fuisse excusabilius, quantò non multa scacula sunt, ex quo cautù est, ut tam Angeli, quàm humanæ animæ habeantur corporis expertes. Nempe fuere etiam nonnulli ex antiquis Doctoribus, qui cum haberent solum Deum omninò incorporeum, existimarent tam Angelos, quàm humanas Animas ex tenuissimo corpore constare; atque idcirco nihil repugnare, quin fierent eorum imagines. Quo loco oporteret sanè Aristotelem admirari, cum suas illas substantias fecit separatas, sive incorporeas; si possent, quæ de illis sensù, accommodari Angelis; si eorum destinatio ad movendum cælos duntaxat non esset, si earum numerus non foret numero sphaerarum adstrictus. Verùm, ut heic solum hæreamus circa Rationem, qua diximus Philosophos fuisse adductos, ut Dæmonas assererent; ea non videtur fuisse abjuncta ab Opinatione de Providentia. Cum essent enim persuasi Deum gerere curam omnium rerum; alienum tamen à Divina Majestate existimarent curare seipso, & absque ullo famulitio, omnia singularia: & si quid speciatim exsequiporteret, Deum ipsum id facere, ac se habere decorè minùs, quàm Regem Persarum, qui Susis, aut Ecbaranis degens, longè, latèque diffusum regnum per administratos moderetur; uti apud Authorem libri de Mundo est. Itaque eò fuere adducti, ut opinarentur Deo in cælo Regiam obtinenti adesse ministros, sive famulos, quorum interventu provideret toti, ac potissimum inferiori Mundo.

*in Concil.*

*Later.*

*in Concil. 6.*

*cap. 6.*

Hu-

Hujusmodi autem Ministros, quos agnoverunt esse debere actuosas quidem, sed oculis tamen inconspicuas substantias, appellarunt Dæmonas, ac eos, qui adessent speciatim hominibus singulis, Genios: Et conclusisse illos quidem rem veram, esse dubium non potest; certum est enim Dæmonas, Angelosve in Mundo esse, qui & Dei ministri sint, & hominibus specialiter adsint; sed vis tamen consequutionis, sive ipsa Ratio videtur cautè accipienda. Nam quatenus quidem re ipsâ Deus ministris utitur, colligere licet id esse Dei Majestati magis consentaneum, cum Deus semper eligat, faciatque, quod est optimum. Verùm absolutè censendum non est majestati Dei repugnare, ut seipso singula agat, singulorumve curam gerat; quippe qui interim & vireis singulorum procurandorum ministris suis tribuat; & coagat etiam, seu non desinat præsens ipsemet omnibus, singulareis quosque attingere effectus. Utitur ergo Deus ministris; non ob indecorum, impotentiam, indigentiam; sed quia pro isto rerum statu, quo esse Mundum voluit, sic esse congruum judicavit; qui si voluisset alium ordinem instituere, neque fecisset rem indecoram, neque ullam prorsus aut impotentiam, aut indigentiam fuisset testatus. Hoc proinde modo est interpretandum, quod Philosophis Mundus visus est perfecta quædam Respublica, in qua Deus, ut summus Princeps, cum singulis quibusque rebus, ac præsertim hominibus per hujuscemodi ministros, ut per magistratus intermedios agit. Nimirum non sic Deus agit, ut Cambyses, qui est seipso solum præsens Suis, aut Ecbanis, neque ubivis toto regno ministri jussa exequuntur; adest, sed ipse sic agit, ut nusquam non sit suis ministris jussa capeffentibus, deferentibus, exsequentibus præsens.

Cum duplex autem sit Providentia, una Generalis, altera Specialis, prout de utraque antè dictum est: Spectat imprimis ad Generalem opinio Aristotelis de Separatis Substantiis, seu intelligentiis moventibus cælos. Tamen si enim intelligentiæ, quales describuntur ab eo non sint; neque, si cælos moveant, eo modo moveant, quo ab illo præscribitur, dum vult ipsas nihil corporeum, aut seipsis inferius intelligere, sed solummodo vel seipsas, vel superiores (si ipsæ quidem inferiores sint) ac statuit aliunde eas non physicè, sive efficienter movere, sed metaphoricè dumtaxat, ac veluti finem



nem, seu animatum quid, ut suo loco deduximus: Nihilomniùs illud saltem ex hac opinione intelligitur; quod in Univerſo fit ordo, quo inferiora omnia referantur ad unum Deum, & Deus regat omnia per intermedias quafdam naturas. Spectat deinde, quod ex Plutarcho circa opinionem Platonis habetur de Diis per cælum incedentibus, & quibus demandata fit ſingulorum generum cura. Quanquam enim Dij, ſeu Angeli potiùs, quibus poteſt Deus demandaffe curam ſingulorum generum, ac terrenarum rerum præfertim, adſtricti cælo, aut regioni Sidereæ dicendi non ſint; ſed verſantes potiùs in iisdem locis, in quibus rerum genera ſunt: attamen id ſaltem exinde eruitur, ut intelligamus eſſe varios miniſtrorum Dei, ſeu Angelorum ordines; ut putà cùm ſint, qui procurationem generaliore, quàm alij gerant. Eſt verò id non modò conforme diſtinctioni Hierarchiarum, atque Ordinum, qui ex Scripturis Sacris deducuntur, & explicantur à Theologis; ſed opinioni etiam complurium ex Sacris Doctõribus, qui cenſent Deum præſeſſiſſe ſingulis rerum generibus, ut animalium, ut plantarum, ut cæterarum omnium rerum, ſpecialeis quofdam Angelos, qui, ut ille loquebatur, *ipſorum conſtantiam, atque ſalutem tueantur*. Spectat rurſùs, quod congruum putant, regionem aëream à ſuis incolis animalibus, Dæmonibus nempe, à quibus aliunde efficiantur prodigia, ut pluvie ſanguineæ; aut lapideæ, Preſteres, Fulmina, Cometæ, Parhelij, Procellæ, Terræ-motus, alia. Quippe, licet non potiùs aër (cujus ſunt alij ſanè uſus) quàm alia regio, ſit deſtinata habitationi Dæmonum; ac tamen illa prodigia naturaleis plærumque cauſas, non dæmonas authores habeant: Arguitur heinc tamen eſſe aliquam Anticipationem Providentiæ ſingula congruè diſponentis; & nihil eſſe, quod repugnet Dæmonas interdum in medio eſſe aëre, ubi permittente, aut jubente Deo opera admiranda patrent. Certè, ſi credimus Philoni, *Quos Philoſophi vocunt Dæmonas, iſi ſunt quos Moſes Angelos dicit; anima videlicet volitantes per aërem; ut ſint in eo animantes, quemadmodum in terra, in aqua, in igne, uti in Macedonia, & univerſè in omnibus præcipuis Mundi partibus ſunt*. Aliunde verò & in libris Sacris Potèſtates quædam aëreæ leguntur; & Sacri Exociſmi ſunt adverſus Dæmonas ſeſe immiſcentis attrioribus nubibus, à quibus vulgò fulmina, grandines, procellæ, timentur.

lib. de  
gigant.

Ad

Ad Providentiam verò Specialem, seu quæ est hominum respectu, id maximè imprimis spectat, quod illi de Geniis senserunt. Nam, ut notationem nominis præteream, & usurpationem etiam minùs propriam, veluti, cum Anima Mundi à Varrone dicitur Genius, & similiter Indoles, animusve unicuiusque, ut ab Apulejo notatur: Ecce illi Genium dixerunt, tum Dæmonem quemdam generalem, qui præsit toti Populo, & Populi Genius vocetur; tum specialem, qui destinetur singulari cuique homini, & Genius speciatim proprièque dicatur, quod generationi præsit, genitoque continuò adsit; unde & appelletur Præstes; quod à Martiano est observatum. Id ipsum est porrò, quod nos profitemur, dum, mutato nomine, appellamus Angelù tum generalem, seu tutelarem totius alicujus nationis, sive populi; tum specialem, seu proprium hominis cujusque singularis Custodem. Ac, ut de generali nihil dicam; commemorandum profectò est, quod tam Epictetus, quàm Apulejus de speciali habent: cum nihil esse possit iis, quæ juxta Sacram Religionè docemur, magis consentaneum. Ille igitur, *Deus*, inquit, *curatorum unicuique addidit suum cuiusque Genium, & custodiendum sibi eum commisit: talem autem dedit, qui neque conniveat, dormiatve, neque decipi possit.* Ac iterum; *O homines; sic habetote; esse quemque nostrum cuidam diligenti, præstantiq; custodi commissum. Cum igitur fores adduxeritis, & feceritis intus tenebras; Cavete, ne unquam vos esse solos perhibeatis. Neque enim estis: non sanè, sed Deus est intus, & Genius vester intus est.* Ecquid est istis lumine opus. ut facta omnia vestra perspiciant? Nihil omnino. Ilte verò, *loc. cit.* Plato, inquit, *autumat singulis hominibus in vita agenda testis, & custodes singulis additos, qui nemini conspicui semper adsint; omnium non modò actorum testes, verùm etiam cogitatorum. Ac ubi vità edità redeundum est; eundem illum qui nobis prædictus fuit, raptare illud, & trahere veluti custodiam suam ad iudicium, atque illic in causa dicenda assistere: si qua commentatur, redarguere: si qua vera dicat, asseverare: prorsùs illius testimonio ferri sententiam. Et statim: Ut sciatis nihil omnino præ istis custodibus, nec intra animum, nec foris esse secreti; quando omnia curiosè ille participet omnia verset, omnia intelligat; & in illis penitissimis mentibus vice conscientia diversetur, Hic, quem dico, prorsùs Custos, singularis præfectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator,*

bator, firmitè advertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur: (illicò post) tibi queat, tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coràm, tum usus potestulat, mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, Sidera adversa corrigere. Et sic quidem illi.

Fuit verò perspectum etiam Ethnicis esse Genios aliquos malos, distosque proinde κακοδαίμονας, ut distinguerentur à bonis, quos & εὐδαίμονας dixerunt, quippe quamvis dicerent quoque virum felicem εὐδαίμονα, & infelicem κακοδαίμονα; simul tamen persuasi fuere & felicitatem esse à bono Genio, & infelicitatem à malo. Dicimus non parcius pro Angelo bono εὐδαίμονα, frequentius pro malo κακοδαίμονα, nempe ad augendum vim vocis: cùm soleat simplex Dæmonis vox pro Cacodæmone usurpari. Quamobrem autem patiat Deus esse Dæmonas, Cacodæmonasve, qui sint infensi hominibus, edrumque perniciem procurent; id intelligendum videtur, ex iis, quæ superius deducta sunt circa eam quæstionem, Cur bonis viris mala fiant: Videlicet dici uno verbo potest, pati illos Deum, tum ut viri boni ab iis exerceantur, quò cumulatior laude digni fiant; tum ut ab iisdem viri mali, quibus pravitas est cordi plestantur. Hoc unum addi posse videtur, allici quidem plerumque nos ad vitiosos actus Cacodæmone instigante; at non idcirco tamen nobis prætextandam excusationem quasi factum Dæmonis sit; quando testatur Sacra Scriptura unumquemque magis à concupiscentia sua abstractum, illectumque tentari. Ut proinde & agnoscamus, non tam esse à Dæmone, quam à nobis ipsis timendum; & affuescamus temperantiâ fomitum vitij subducere, qui si à nobis abfuerit, frustra Dæmon facem supponat. Et vide, ut Poëta id Niso attribuat, quod accommodari possit,

i. Eucid.

—Dÿ-ne hunc ardorem mentibus addunt,

Euryale? an sua cuique Deus sit dira cupido?

Perspecta quoque Ethnicis fuit ἡ Γοητεία, sive prava ars Incantamentorum, atque Præstigiærum, quæ commercio Dæmonum addiscitur, & excercetur: nisi quod multum fabularum intermixtum ubique est; id jure exaggerantibus præsertim Poëtis; ut quod Canidia indignabunda,

An que movere ceras imagines,

Ut ipse nocti curio, jus, & polo

Horat.  
Epod. ad.  
n<sup>o</sup>.

Deri-

*Deripere Lunam vocibus possim meis,  
Possim crematos excitare mortuos? &c.*

*Quòdque Medea invocabunda,*

*Ovid. 7i  
Metam.*

*Nox, ait, arcanis fidiſſima. quæque diurnis  
Aurea cum Luna ſuæ ceditis ignibus Aſtra;  
Tūque, triceps Hecate, quæ cœptis conſcia noſtris,  
Adjutrixque venis; cantusque, artesque Magorum;  
Quæque Magos tellus pollentibus inſtruis herbis;  
Æuraque, & venti; montesque, amnesque, lacusque;  
Dijque omnes nemorum; Dijque omnes noctis, adefte.  
Quorum ope, cum valui, ripis mirantibus, annes  
In fonteis rediere ſuas concuſſaque ſiſto,  
Stantia concutio cantu freta : Nubila pello,  
Nubilaque induco : ventos abi,òque, vocòque :  
Viperas rumpo verbis, & carmine faucis;  
Vivaque ſaxa, ſuâ convulſaque robora terrâ,  
Et ſylvas moveo; jubedque tremiſcere monteis;  
Et mugire ſolum, manesque exire ſepulcris.  
Te quoque Luna traho, &c.*

Idem verò propriè dicendum de tam multis narratiunculis. quibus aures crebrò opplentur; ex quibus perſæpe, ſi demas Impoſtorum fraudeis, veteratorum technas, veneficorum noxas, anicularum deliramenta, facilem vulgi credulitatem; vix quicquam veri eſt, quod reperias. Quod dicendum quoque videtur de ſpecie illa Cacomagiæ, qua genus infelix putat ſe, vehentibus hircis (ut illa penatis ſerpentibus) iſſe per auras; poſtquam narcoticis unguentis ſopiti, vividiffimâ imaginatione ſomniarunt, & transferri ſe & conventibus nefandiſſimis intereſſe. Ex eodem penè genere eſt, quod aliqui ſe Lycantropos putent; cùm melancholico humore ſuperante efferveſcentèque, ferinos mores induunt, & alia id genus ſimilia. Nam & quod ferunt de Abreptitiis ſeu malè vexatis, poſſeſſive à Dæmone; fatendum quidem nonnullos eſſe, qui reverâ huiusmodi ſunt; nam & Literæ Sacræ fidem faciunt, & praxis Sacrorum Exorcifmorum rem probat; ſed & notum ſimul, quâ cautione opus, ut quod eſt correptionis veræ, ab eo diſcernatur, quod poteſt læſa imaginatio, ſexus imbecillitas, aut malitia; vis morbi,  
fraus

fraus circulatoria. Insuper fuit quoque Ethnicis perspectum, apparere interdum Genios; sed res confirmanda præsertim ex Literis Sacris, & ex libris Agiographis: quippe quæ in Prophanis exstant dicere haud facile possis, quando, aut quid veri contineant; uti erit speciatim aliquantò post, cùm de Bruti Genio, & similibus attingendum.

Denique, ut ad ipsam rem, de qua differendum præsertim hoc loco fuit, accedamus, perspectum fuit Ethnicis Divinationem aliquam per Dæmonas administrari. Siquidem, tametsi ea quoque in re plurimum & superstitionis, & imposturæ fuerit; nihilominus oportuit interdum veri quidpiam contingere, ut illa ad eò generalis Anticipatio ortum haberet: *Nam gentem quidem*, inquit Cicero, *nullam video, neque tam humanam, atque doctam; neque tam immansuetam, tamque barbaram, qua non significari futura. & à quibusdam intelligi, prædicique posse censeas.* Labor est solum in discernendo, quando facta fuerit prædictio aut interventu Dæmonis, aut Vatum vafricie, aut rogantium credulitate. Nam reverâ quidem, ut Deus per Angelos multa prædixit; quæ in Libris Sacris, Agiographisque continentur; ita passus est apud Ethnicos multa exitare vaticinia, interveniente Dæmone. Inde enim Patres, & Doctores sacri invehuntur in Ethnicos, quod se persuaderi ac decipi sinant à Dæmonibus; historiæque exstant, ac versus de Dæmonibus, tum ad Servatoris Domini adventum, tum ad conspectum, iustumque virorum sanctitate illustrium coactis obmutescere. Verùm constat quoque aliunde aut mera fuisse deliramenta, aut meras imposturas; quæ ut plurimum ad Dæmonas referebantur. Utrovis censu haberi debeat historiola, quam ex Epicuro Michaël Apostolius refert, non definitio quidem, sed commemoranda est tamen. Inter congestas ergo Paræmias, ac circa illam, Πύθια, & Δήλια, Pythia, & Delia, quæ est ἑπὶ τῶν

*Cent. 15.* ταχέως Σοπεδωρῶν, de civo perituris, sic habet Apostolius: Φασὶ Πολυκράτην ἢ Σάμης τύραννον Πύθια, & Δήλια ποίησαντα, ἀμα εἰς Δῆλον πέμψαι εἰς θεῶν χρησάμηνον, εἰ τὰ τῶν θεῶν ἀρχὴν τῶν ὀρσῶν. Τὸ δὲ Πυθίαν ἀνελεῖν, ταῦτά σοι & Πύθια, & Δήλια, βεβλομένη διδόν, ὅτι ἔρατα. μετ' ὀλίγον δὲ χρόνον, αὐτὸν Σοπέδωρ σῶεβη. Ἐπίκει· & ἐν πινι πρὸς τὸ Ἰδορμῆα ἑπισηλῶν ταῦτα φησί, Ferunt Polycratem Sami tyrannum Pythia & Delia celebrantem, misisse simul Delum sciscitatum oraculum, num qua spectat-

*ſpectarent ad Sacrificium, ad præſinitum tempus offerret. Reſponſiſſe autem Pythiam, Hac tibi Pythia, & Delia ſunt; ſignificantem videlicet ea illi extrema futura. Nam & illum non malo pòſit è medio tolli contigit. Iſta Epicurus recitat in quãdam Epistoſarum ad Idomeneum. Ac videtur quidem Epicurus non propterea perſuaſus fuiſſe dum hæc ſcriberet, Polycratis cladem fuiſſe aut à Pythia, aut à dæmone reverâ proviſam; verùm, ſi & prædicta fuit, & ipſo eventu probata; quid-ni argumentum hoc ſit, quod proviſa à Pythia, aut Dæmone revera fuerit? An obiter verò facere huc poteſt, quod à Plutarcho eſt obſervatum, fuiſſe Apollinem vocitatum Πύθιον, Pythium, eorum occasione, qui percontarentur, diſcerè que inciperent; ac etiam Δήλιον, ἢ Φαναῖον, Delium & Phanaum, occasione eorum quibus jam aperta claràq; eſſet veritas; nempe, quaſi exinde feſta inſtituta in honorem Apollinis Pythia, ac Delia fuerint vocata; & inſinuatũ reſponſo fuerit, non alia feſta exſpectanda, præter ea; de quibus erat Percontatio, clarum enim hoc eſſe πρὸ ὠλεσμήνιον, juxta ipſum tempus faſto deſinitum.*

Sed ne in hoc hæream, adnotare præſtat, cùm agitur heic de Divinatione, ſive præſenſione rerum futurarum, non eam heic intellegi, qua providentur, ac prædicuntur res, quarum ſunt ſicut naturales, ita neceſſariæ, impedimentique incapaces cauſæ; veluti Eclipſes, ortus Siderum, cæterà que hujusmodi, quæ ex rata diſpoſitione, conſtantique motu corporum cæleſtium dependent. Non item illam quæ admittitur duntaxat, quaſi Conjeſtatio, ob cauſas veriſimileis, quas quiſque prout fuerit ſagax, ſubodorari valeat, & prout felicior, veluti in ſcopo attingendo, fuerit, Βασικόν vocetur; quo ſenſu Plutarchus refert illud Euripidis,

Μάντις ἀεὶς ὅστις εἰκάζει καλῶς,

*Qui conjicit bene, ille Vates optimus.*

*de ſacrific.*

ſeu, ut Cicero interpretatur,

*Bene qui conjiciet, Vatem hunc perhibeto optimum.*

*2. de Divi.*

Quo ſenſu Vates haberi poſſet v. c. Thales, cùm olearum proven- tum ex ſignis, de quibus ſuperius eſt dictum, præſagii: Pher- cydes item, cùm aquam ex puteo hauſtam conſpiciens, Terræ-mo- tum dixit inſtare; ac generatim quiſquis in ſua arte (intellige ex iis, quas conjecturalis appellant) habetur peritiſſimus. Nemo enim Cic.

R 5

AUT

aut quæ tempestas ( ut verbis illius dicatur ) impendeat, melius con-  
 jiciet, quàm Gubernator; aut morbi naturam acutiùs, quàm Medicus,  
 aut belli administrationem prudentiùs, quàm Imperator, conjecturâ af-  
 sequetur. Intelligi verò eam solùm, quæ est de rebus merè fortuitis  
 sive non habentibus causas, quas, ac simul ipsam ab iis dependen-  
 tiam, prospicere liceat: cujusmodi est v. c. Æschylum casu testu-  
 dinis ab Aquila in caput dimissæ esse moriturum: aut certè, quæ li-  
 cet iis de rebus sit, quarum sunt causæ probabiles, & rerum peritis  
 non prorsùs ignotæ; est tamen sine prospicientia hujusmodi sive  
 causarum, sive dependentiæ ab ipsis, ac perinde se, ut si res merè  
 fortuitæ forent, habet. Unde & quia possunt consuli hoc casu tam  
 rerum peritus, quàm hariolus, Num igitur, inquit idem statim, aut  
 haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius conjecerit, aut ex  
 morbo evasurum agrotum, aut ex periculo navem, aut ex insidiis exercitum,  
 quàm medicus, quàm gubernator, quàm imperator? Cum omnis autem  
 Divinatio aut artis particeps habeatur, aut expers; notum est par-  
 ticipem artis intelligi illam, quæ partem se jactat experientiâ, obser-  
 vationèque diuturnâ, utcumque eorum, quæ prædicuntur, reddere  
 rationem, dicereve causam non valeat. Talem autem habere se pro-  
 fitentur Augures, sive Auspices, qui ex volatu, cantu, pastu avium,  
 futura prædicunt; Haruspices, qui ex cæsarum hostiarum extis; Sor-  
 tilegi, qui ex Sortibus, *Ὁνειροκρίται*, seu *Interpretes somniorum*, qui ex  
 somniis, intellige obscuris, aut ambiguis ( nam quæ alioquin som-  
 nia rem perspicuè notant, quale Megarensis illius fuit, interpretati-  
 one, aut arte non egent ) ac pari ratione Interpretes Fulgurû, Osten-  
 torû, Portentorum, Prodigiolorum, &c. Talem etiam Physiognomi,  
 qui ex delineatione, habituq; externo corporis; Metoposcopi, qui  
 speciatim ex fronte; Chiromantes, qui ex manu, quoslibet eventus  
 speciales, & cum circumstantiis quidem locorum, temporum, per-  
 sonarum, negotiorû, præfagiunt. Quod enim generatim ad corpo-  
 ris temperiem, animique indolem spectat, ejus quidè signa in cor-  
 pore sunt; at non quæ propterea futuros his, aut illis temporibus,  
 his aut illis modis eventus designent. Talem rursus Geomantes,  
 Hydromantes, Aëromantes, Pyromantes, & alij, nulla non ex re  
 divinationem instituentes; ac postremò ipsi Aëromantes, seu Astro-  
 logi, qui omniû præcipui, omnibusque penè quidpiam impertien-  
 tes,

tes, eam petunt ex Astris. Notum etiam Artis expertem intelligi illam, quæ non ex observatis, collectisque signis instituitur; sed aut cuiuspiam Genij apparatione, & affatu; aut concitatione quadam, & furore animi, sive à seipso, quia divinus sit, sive à Dæmone corripiatur. Talem certè admitti constat in Sybillis, ecstasticisque hominibus; in quibus interdum vigilando, interdum dormiendo mens sic emoveretur, ut suo è statu exturbata, ea videatur, quæ in statu alioquin naturali, placido quietoque non videtur. Heinc verò est, quamobrem tam Græci universè, *πύμαντικῶν*, quasi *ἄπο τῆς μανίας*, à furore, uti ex Platone notat Cicero; Latini à Divis Divinationem dixerint. Videlicet, quasi futurorum præsentio ejusmodi res sit, ut Divorum sit propria, aut eorum, quibuscum communicare illi eam dignantur, quique exinde appellantur Divini, cum & interim illa ipsis communicari non valeat, nisi cum quadam emotione mentis, abduktioneve hominis extra proprium, ac naturalem statum. Certè & citatus ex Apulejo locus, declarat illam etiam artis participem divinationem sive divorum, Dæmonumve interventione non fieri: & quemadmodù hodie volunt ad imprimendum, v. c. puncta illa Geomantica manum dirigi excitato interno, cæcoque quodam impetu; ita olim volebant non modò ad jaciendum sorteis, verùm etiam ad deligendum exempli causâ hostiam, intervenire vim quandam sentientem, quæ esset toto confusa Mundo; ac tum cum hostiam immolare vellet extorum mutationem faceret, adè ut in illa abesset, aut superesset aliquid; quemadmodum paullò ante obitum Cæsaris contigit in Extis bovis opimi cor non esse; quod quidem apud Ciceronem est.

Non est porò quorsum in illa Artificiali Divinatione rejicienda tempus teramus; cum vel ex iis, quæ fusè sunt adversus Astrologiam dicta constare possit, si Ars illa, quæ inter omnes Divinatrices principem locum obrinet, inanis futilisque sit; cæteras non minùs inaneis, futileisque esse debere. Quidni verò, cum ex jam nulla religione teneatur, haberi tales debeant; cum etiam olim, dū passim Religio observare illas jubebat, à peritis nihilominùs, cordatisque improbarentur? Quippe ab ætate usque Sapientum, notum est consilium à Thalete Periandro datum circa editum Equam monstrum

Plur. in  
Symp



1d. in Peri-  
cle.

2. de divi.

9. præp. 2.

portendere; itemque Anaxagoræ factum cum ostendit, qui contigisset nasci Arietem cum unico cornu, quo portendi Vates dixerat prævalituram ejus factionem ( duæ scilicet in urbe erant ) cujus in domo esset natum ostentum. Sed ne Græcorum plura confiteri; illud Catonis scitum est, qui referente Cicerone, *Mirari se ajebat, quòd non rideret Harespex, Aruspiciem cum vidisset.* Itemque, quod ille Conjector, interpretæque portentorum, non inscitè dicitur ei respondisse; qui ad eum quasi ostentum retulerat, fuisse domi anguem vecti circum-vectû, *Tum enim esset, inquit, ostentum, si anguem vectis circumplicasset.* Quod autè magni etiam duces hæc contempserint, tritum est, circa haruspicinam, v. g. exemplis tum Hannibalis, cui apud Regem Prusiam exulanti cum pugnare placeret, & & ille se audere, quòd exta prohiberent, negaret, *An tu, inquit, Caruncula vituli maris, quàm Imperatori veteri credere.* Tum Cæsaris, qui cum à summo Haruspice moneretur, ne in Africam ante brumâ transmitteret, transmisit tamen; *quidni fecisset, inquit Cicero, unum in locum omnes adversariorum copiæ convenissent.* Itemq; circa Anguria, tum P. Claudij Pulcri, qui cum bello Punico primo prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & pullarius non exire cavea pullos nunciasset; abjicte eos in mare jussit, dicens, *Quia esse nolunt bibant.* Tum M. Marcelli, qui dicebar, *Si quando rem agere vellet, ne impediretur auspiciis lectica operta facere se iter solere.* Hoc verò obiter revocat in mentem, quod Hecatæus apud Eusebium narrat, se iter ad mare Erythræum faciente, cum tota multitudo ad nutum Auguris avem observantis constitisset, ac Mosomachus Judæus causam requisivisset, augurque respondisset, *Si avis quidem ibi constaret, expedire, ut omnes eo in loco hæerent; sin progrediretur, pergerent; sin revolaret, regrederentur,* tum Judæum nihil cunctatum avem sagitta confixisse; Augurèque, & aliis indignantibus, excepisse, *Quid deliratis miseri? & volucris in manus sumpta, Ist hæc ne, inquit, quæ suæ saluti providere potis non fuit, sani aliquid de suscepto à nobis itinere prænuntiare potuit?* Quanquam, ne in his immorer, observandum est potius, duo quædam esse fundamenta præcipua, quibus insinuatam jam est hujusmodi arteis haberi innixas: Unum, Experientiam, quæ omni ratiocinio præhabenda sit, cum nulla esse vera ratio, cui experientia refragetur, possit.

possit. Alterum Providentiam, quâ par esse ducunt, ut cum nostrâ inter sit futura prænosse, ea divinitus præsignificentur.

Verùm, quod spectat ad Experientiam; si ea quidem constans deprehenderetur, nulla profectò foret ratio, quæ concedere illi non deberet: At quàm sæpe quæso opposita illis, quæ prædicuntur, eveniunt? Nemini certè attendenti, non licet similia illi dicere; *Flaminius non paruit auspiciis; itaque periit cum exercitu. At anno post Paulus paruit: num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu?* Et rursus; *Quid ego Haruspicum responsa commemorem? Possunt equidem innumerabilia, qua aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios. Hoc civili bello, Dii immortales! quàm multa luserunt! Qua nobis, &c.. vides tamen omnia ferè, contra ac dicta sunt, evenisse.* Ita Cicero, quem videtur imitatus B. Cyprianus, dum Regulus, inquit, *auspicia servavit, & captus est: & Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est: & pullos edacèis Paulus habuit, & apud Cannas tamen casus est. C. Caesar, ne ante brunnam in Africam navigia transmitteret, auguriis, & auspiciis retinèntibus (quod ex illo quoque relatum mox est) sprevit, & eò faciliùs navigavit, & vicit.* Et fatentur illi quidem non omnia, quæ prædicuntur, contingere: excusantque, quòd Divinandi Ars conjecturalis sit; neque quòd res interdum, secus ac fuerit prænuntiata, contingat, inferendum sit artem nullam esse, ut nulla non est Medica, nulla gubernatoria, nulla imperatoria ars, quòd aliquàdo eventu frustretur. Sed abest longè, ut ulla artium hujusmodi divinatricium, conjecturalis dici mereatur; cum quæ Conjecturales sunt, ad causas attendant, quibus positus, id, quod sit probabiliter eventurum, provideant; unde & in illis ratiocinatio, seu consultatio habet locum: hæc verò artes divinatrice meræ sunt Matæotechniæ, nec ea provident, ob quæ verisimile sit evenire aliquid; sed citra ratiocinium, consultationemque, quid sit eventurum prædicunt. Quare & non ex eo, quòd quidpiam interdum evenit, artè esse concludendum est; sed potius ex eo, quod interdum (imò & plerumque) non evenit, colligendum est, id quod evenit, quando evenit, casu evenire. Scilicet, quòd omnes hujusmodi artes meræ sortes sint; & perinde sit, sive unum, sive alterum ex oppositis prædicat esse eventurum: cum tam fieri possit, ut verax, quàm ut fallax; ut fallax, quàm ut verax Vates comproberis, id experiri cuiq; est promptum, verum ea est vulgò in nugis propensio, ut

R. r 3

mirum

Cic. ibid.

de Idol.  
van.

Cic. *ibid.* mirum videatur, quod ab illo dicitur, Cum mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere soleamus; quomodo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogent, quam ex uno innumerabilia confirment? Præmissum jam fuerat illud celebre, Quis est, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? Totas noctes dormimus, neque ulla ferè est, qua non somniamus: & miramur, aliquando id, quod somniamus, evadere. Quid est tam incertum, quam talorum factus? tamen nemo est, quin sepe jactans, verereum aliquando jacias; nonnunquam etiam iterum ac tertium. Num igitur, ut inepti Veneris id fieri impulsu malimus, quam casu dicere? Quod si cæteris temporibus falsis visis credendum non est, non video, quid præcipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris.

*ibid.* Quod spectare autem ad Providentiam volunt, ut quæ sunt nobis eventura, divinitus significantur, quasi id nobis utile sit; prætereo quem heic circulum, in Stoicis Cicero notat, dum, si Dii sint, esse Divinationem; si Divinatio, esse Deos arguunt; quorum neutrum, inquit; tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. Nam & naturâ significari futura sine Deo possunt: & ut sint Dii, potest fieri, ut nulla ab ijs Divinatio generi humano tributa sit: Illud potius addo, consuluisse satis hominibus Deum, cum illos prudentia, & sagacitate donavit, quæ sese ipsos regere, & in futurum prospicere, quantum quidem ipsis necessarium est, valeant: Dignumque est consideratione, quod apud Eusebium Diogenianus ait; scilicet istos quoque ipsos, qui artem divinandi profiterentur, nihil opis ad usus vita quotidianos sua ex arte accipere; sed perinde, ac cæteros partim judicio uti suo, partim consilio cæterorum: Quod superest verò, haud injuriâ Dicæarchus libro magno differuit, nescire futura, melius esse, quam scire. Rem ipsi paucis perstrinximus; cum speciatim superius est in Astrologos disputatum. Commemoravimus quoque illum ex Cicerone egregium locum *Qua vita fuisset Priamo, si ab Adulescentia scisset.* &c. Illi jam addendum, quod ab eo docetur. Si res futuræ divinitus, ac in utilitatem nostram monstrarentur, futurum fuisse, ut Deus nobiscum alia ratione ageret. Ecce nimirum, alia cætera inter ut ratiocinetur, de Ostentis cum loquitur: *Qua est ista à Diis profecta significatio, & quasi denunciatio calamitatum? Quid autem valant Dii immortales; primum ea significantes, quæ sine Interprecibus non possemus intelligere: deinde ea, quæ cavere nequeamus?* At

hoc

hoc ne homines quidem probati faciunt, ut amicis impendentis calamitates predicant, quas illi effugere nullo modo possint: Ut Medici, quanquam saepe intelligunt; tamen nunquam agris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim predictio mali tum probatur, cum ad predictioem cautio adiungitur. Quid igitur aut Ostenta, aut eorum interpretes vel Lacedaemonios olim, vel nuper nostros adjuverint? quae si signa Deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? Si enim, ut intelligeremus, quid esset eventurum; aperte declarari oportebat; aut ne occultè quidem, si ea sciri volebant. Ecce & ut non secus, cum agit de Somniis, Fuit igitur, inquit, divinà beneficentiā dignius, cum consuleres nobis, clariora visa dare vigilantibus, quam obscuriora per somnium. Quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt. Pergit: Iam verò quid opus est circuitione, & amfractu, ut sit utendum Interpretibus somniorum potius, quam directò. Deus, siquidem nobis consulebat, Hoc facito, Hoc ne feceris, diceret: idque visum vigilantibus potius, quam dormienti daret. Iam verò quis dicere audeat vera omnia esse somnia? Aliquot somnia vera, inquit Ennius; sed omnia non est necesse. Qua est tandem ista distinctio: Qua vera, qua falsa habet? Et, si vera à Deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius Deo? Quid inscitius autem est, quam mentis mortalium falsis, & mendacibus visis concitare? Sin vera visa divina sunt; falsa autem, & inania humana: quae est ista designandi licentia, ut hoc Deus, hoc natura fecerit potius, quam aut omnia Deus, quod negatis; aut omnia natura? quod, quoniam illud negatis, hoc necessarid confitendum est. Statim autem: Venit enim jam in contentionem, utrum sic probabilius, Deos- ne immortalis rerum omnium praestantiā excellentis, concurrere omnium mortalium, qui ubique sunt, non modò lectos, verum etiam grabatos; & cum stertentibus aliquos viderint, objicere his visa quadam tortuosa, & obscura, quae illi exterriti somnio, ad conjectorem manè deferant: An naturà fieri, ut mobiliter animus agitated, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur? Utrum Philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, -an explicatione natura? ut, si jam fieri possit conjectura vera somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint: ex levissimo enim, & indoctissimo genere constant. Taceri verò heic non debet, quòd ut antè, sic habet postea de ipsi Interpretibus; ut intelligas eorum conjecturas magis declarare ipsorum ingenia, quam divinam vim, aut naturæ contentum. Cur-

sor,

for, inquit, ad Olympiam proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi : Miles ad conjectorem : at ille, Vinces, inquit : id enim celeritas significat, & vis equorum. Post idem ad Antiphontem; Is autem, Vincere, inquit, necesse est : An non intelligis quatuor ante te cucurrisse ? Ecce alius cursor. Atque horum somniorum, & ceterum plenus est Chryssippi liber, plenus Antipatri : Sed ad cursorem redeo. An interpretem retulit, Aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, Vucisti ; ista enim avis volat nulla vehementius. Huic eidem Antiphon, Tu vero, inquit, te victum esse non vides ? ista enim avis insectans alias, & agitans semper ipsa postrema est. Parere quosdam matrona cupiens ; dubitans, esset ne pragnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. Ad conjectorem retulit ; negavit eam, quoniam obsignata fuit, et concipere potuisse. At alter pragnantem esse dixit ; nam inane obsignari nihil solere. Quæ est ista ars conjectoris eludentis ingenio ? An ea, quæ dixi, & innumerablem, quæ collecta habent Stoici, quidquam significant, nisi acumen hominum ex similitudine aliqua conjecturam modo huc, modo illuc ducendum ? Quibus id solum addendum est, quod idem habet de factis circa Midam, Platonem, & Roscium prædictionibus, ut paria fingi intelligantur, aut interpretum sapere ingenium. Atque hæc ostentorum, inquit, genera mirabile nihil habent ; quæ cum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocantur : Ut illa tritici grana in os pueri Nida conjecta ; aut apes, quas dixisti in labris Platonis pueri consedissee, non tam mirabilia sint, quam conjecta bellæ : quæ tamen vel ipsa falsa esse ; vel illa prædicta fortuito accidisse potuerunt. De ipso Roscio, potest illud quidem esse falsum, ut circumlitæ anguis fuerit anguis ; sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum in Selonio præsertim ubi apud focum angues mundinari solent. Nam quod Haruspices responderant, nihil illo clarius, nihil nobilius fore ; miror Deos immortales hujusmodi futuro claritatem ostendisse ; nullam ostendisse Africano.

Ad ipsam verò artis expertem Divinationem quod attinet ; videri imprimis fabulosum potest, quod perhibetur ab Ethnicis de quibusdam Geniis, qui non obscure apparuerint, familiarique quodam affatu quidpiam futurum antè nunciarint. Et quia in ore omnium præ cæteris est ille Bruti Genius, qui ipsi celebrem apud Philippos cladè, ac simul iteratim sui apparitione prædixerit : ideo videtur operæ-pretiū insinuare hæc pauca, quibus ea apparitio,

præ-

prædictoque vocetur in dubium. Primum itaque, nota cum sit historia, notum quoque est, ut factâ vespere apparitione, cum Bruto manè eam recitasset, argumentatus ad hominem Cassius, declarare aggressus fuerit ex Sectæ ipsius doctrina delusionem, sive oculorum, sive imaginationis fuisse, quod putaret sibi id spectrum oblatum. Ἦ μέπερ ἔτ', ἔπειν, ὦ Βρῦτε, λόγ', ὡς ἑ πάντα πάρομην ἀληθῶς, ἔδ' ὀρώμην, ἀλλ' ὕπερ ὄν μὲν πρῶμα, καὶ ἀπατηλὸν αἰθήσις. Ἐπὶ ἧ ὄξυτερος ἢ διάνοια κινεῖν αὐτὸ καὶ μεταβάλλειν ἀπ' ἑδενός ὑπάρχοντι, ὅτι πάσαι ἰδέαν, κηρῶ μὲν γὰρ εἰσικεν ἢ τύωπις. Ὑψηλὴ δ' αἰθρώπις τὸ παλατιόμην, καὶ τὸ πλατίον ἐχέσση, τὸ αὐτὸ ῥᾶσα ποικίλλειν αὐτῶν, καὶ χαμαπίεν δι' ἑαυτῆς ὑπάρχει. Δηλέσι ἧ αἰετὶ τῆς ὑπνυς τρωπι τωγῶν ὄνειρων, αἰ. τρέπεται τὸ φαντασικὸν ἐξ ἀρχῆς βραχίας παντοδαπὰ καὶ παῖς, καὶ εἰδωλα γινώμην. Κινεῖσθ' δὲ αἰετὶ πέφυκεν, κινήσις δὲ αὐτῶν, φαντασισαίτις, καὶ νόσις. Σοὶ ἧ καὶ τὸ σῶμα παλαπρωμῶν φῶσι τῶν διάνοιαν αἰωρεῖ, καὶ ὡδρατέπει. Δαίμονας δὲ ἔτ' εἶτ' πθανόν, &c. Vestra, inquit, ὦ Brute, philosophandi ratio hac est, ut nos omnibus non verè affici, neque verè omnia videre; sed esse sensum rem lubricum, fallacemque existimetis. Est porro ipsa cogitatio longe adhuc comparatior ad unum idemque movendum, atque transformandum ( tamen in te nihil subit ) in omnem speciem; quippe qua in mente impressio fit, similis est illi, qua in ipsa fit cera. Ipsi autem humana menti habenti in se & quòd fingitur, & quòd fingit, ea inest vis, ut se ex ipsa facillime variet, atque configuret. Manifestum verò id faciunt, quæ per somnum sunt insomniorum commutationes; quibus facultas imaginatrix omnigenam affectuum, visorùmque varietatem subit. Ea nempe suapte natura comparata ad motum est; motusque ipsius imaginatio est, & cogitatio quadam. Tibi aliunde ipsum corpus, quod natura arumnosum habes, cogitationem tum suspendit, tum ad extraordinaria deflexit. Dæmonas autem neque esse probabile est, & quæ cætera sunt jam recitata. Hæc autem saltem eò valent, ut intelligamus fuisse ipsi Bruto illicò, & coràm elevatam fidem. Insinuant verò præterea rem consideratione dignam, nempe indolem fuisse erumnosam, ad quam ingens sollicitudo per id tempus accederet, Siquidem vix quicquam tum dormiebat Brutus ( instante quippe grandi prælio) uti à Plutarcho observatum est. Observabatur scilicet menti, quo in discrimine Respublica foret; recordabatur, quàm infelix in pari causa fuisset Pompejus. Meditabatur

S f

ecquid-

ecquidnam sibi capiendum foret consilij, succedentibus malè rebus. Ista, inquam, & alia id genus animo volvebat; & nocte quidem jam profunda, silentibus castris, extinctis pene luminibus, ipse per se cogitabundus, ac saltem semi-somnians. Quocirca & mirum non fuit, si cladibus, & infortuniis sese continuo in animum illius ingerentibus, visus sibi fuerit videre, atque audire malum Genium: ipse præsertim, qui malos, bonosque ex suæ Sectæ placitis dari Dæmonas persuasum habebat. Deinde quòd somniaverit, tria quædam argumenta sunt. Unum, quod ex pueris suis requisierit, audivissent-ne aliquid: Quippe non habebat sibi ipsi fidem; sed subdubitabat, num illud vigilantibus, an dormienti potiùs contigisset. Alterum, quòd pueri se nihil nec vidisse, nec audivisse responderint. Debuerant enim, nisi videre horrendam illam imaginem; nisi audire illam ejus vocem, *Tuus, ô Brute, malus Genius sum: in Phillippis me videbis* (nempe & Minerva ab Homero inducitur *Ὀΐω Φαινομένην, Soli visa Achilli*) at saltem audire ipsiusmet Bruti, ut quæ hominis fuisset, interrogationem; *Ecquis tu Deorū, aut hominum es? Ecquid tibi vis, qui ad nos venisti?* ac verbum illud, quod intrepidè effato Spectro subjecit, *Videbo*. Tertium, quod memoret Plutarchus, sedatum fuisse Bruti animum, postquam perorantem Cassium exaudivit. Nempe, quia potuit ex illius ratiocinio cognoscere, fuisse rem totam merum insomnium. Ad-hæc notatu dignum videtur, non asserere Plutarchum historiam illam excerptam fuisse ex probatis authoribus, sed (quasi fidem liberaret) ex rumore disseminato, inchoare illam verbo *Dicunt*. Notum est verò, ut ille rumor, propter consequutum Bruti infortanium potuerit increbrescere; cùm experientia satis testetur nullum esse insignem casum, quem vel præsensisse, vel sequuta fuisse prodigia multa non memorentur. Quin-etiam, loquens idem Plutarchus de postrema in Philippis nocte, *Dicunt*, inquit, *et eam illam imaginem apparuisse Bruto, quæ eadem facie exhibita, nihil dixerit, sed mox evanuerit*. Ac, ut intelligas Plutarchum non satis probasse; citat ecce Pub. Voluminum, virum Philosophum, qui cùm ab initio Bruto commilitasset, cætera quidem multa recitarit; verum de hac apparitione nihil retulerit. Prætereo eadem dici posse de Spectro illo celebri; quod Dioni memorant visum. Apparuisse enim ipsi legitur,

gitur, cum & summa rerum Syracusanarum penes ipsum esset; & discrimen immineret; ob expulsum recens tyrannum; & jam advesperasceret; & lumen abesset; & ipse solus intra cubiculum cogitabundus sederet; & is esset, qui sæpè sæpius Socratem de Genio, Dæmonève suo verba facientem inaudiisset.

Heic porro, quia erit proclive rogare, quid nam de hoc quoque Socratis Genio, Dæmoniòve sentiendum sit; verum quidem est Socratem plurima passim de eo dixisse; sed nimirum, cum Socrates in præceptis morum totus versaretur, artificio hoc uti potuit, quod majus pondus argumentis salutaribus adderetur. Siquidem satis notum est, quantum auctoritatis habeat, quisquis ex afflatu divino monita dare creditur. Ac ne putes illum falsa persuasione prodesse noluisse, ecce Platonem carpit Eusebius, quod è re esse putet, si quid hac ratione ad juvenum utilitatem faciat, proferre. Hoc autem loco vel unus Theages argumento est, quantum Socrates se exinde & profecisse, & profuisse gloriaretur. Heinc licet tam Plutarchus, quam Apulejus, qui tractatus de isto Genio conscripsere integros, conspirare in id videantur, ut verum fuisse Dæmonem credant, qui propter purgatissimam, quietissimamque Socratis mentem, conversatus illi ab ineunte ævo fuerit; nihil est tamen, quod convincat ipsum fuisse aliud, quam solertiam, sagacitatem, rationem, prudentiam animo ingenitam; ac deinde meditatione, exercitationeque Philosophica excultam; quæ velut rectum quoddam Dictamen, Socratem admonuerit. Suadet imprimis, quod Socrates nunquam dixerit se vidisse quicquam dæmonium, ut apud Plutarchum observare licet, sed solum Vocem dæmoniam, ut quoddam signum, percepisse: *quam quidem vocem*, inquit apud Xenophontem, *Dæmonium appello multò rectius, quam ij, qui Deorum vim, potestatemque avibus tribuunt.* Quin etiam memorat Plutarchus carpsisse Socratem tanquam arroganteis, illos qui sibi visum quodpiam divinum oblatum fuisse dicerent. Nempe hoc innuit, Socratem nihil habuisse aliud, quam perfectissimam rationem, quæ quod præclare conjectaretur, dictaret ipsi quid futurum ex rationabili causa foret. Ratio enim nobis velut insuffurat, & ut illi dicunt, *aurem vellicat, & secretam in aurem gannit*, ecquid vel sperandum, vel timendum sit. Unde &

12. præp.

in Apol.  
Cre.  
in Apol.de dæm.  
Socr.Vereat.  
Pers.



*scæpè dicimus, Nescio quid mihi obmurmurat, &, Audire mihi vocem videor, quæ hoc desuadeat, &c. Deinde, quod ejusmodi vox nunquam adhortata fuerit Socratem, ut aliquid aggrederetur, sed semper ne quid ageret. Adèd ut illi semper paruerit, nunquam impellenti, scæpe revocanti. Ita & Plato, & Xenophon, & deinceps Cicero quoque; ex quo ut unum, alterumve exemplum attingam, Scriptum est, inquit, cum Critonis sui familiaris oculum obligatum vidisset, quæsi visse, quid esset: cum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, oculum recidisse: tum Socratem, non enim parvisti mihi revocanti, cum uterer, qua soleo, præ sagitione divina. Idem etiam Socrates, cum apud Delium malè pugnatum esset, Lachete Prætoris, fugeretq; cum ipso Lachete; ut ventum est in trivium eadem viâ quâ cæteri, fugere noluit. Quibus quærentibus, cur non eadem viâ pergeret, deterreri se à Deo dixit. Tum quidem ij, qui aliâ viâ fuferant in hostium equitatum inciderunt. Hoc autem eò spectat, ut intelligamus fuisse in Socrate non plusquam humanam, sed Socrate tamen dignam epochen; ob cujus defectum observare liceat sequi poenitentiam scæpe numerò, non tam ob id, quod tacuerimus, hæserimus, non egerimus; quam ob id, quod dixerimus, asseruerimus, patrauerimus. Quis verò idem non colligat, ex eo, quòd se Socrates excuset apud Judices, quod Genij hortatu à publicæ rei administratione abstinerit; ob pericula illis impendentis, qui accesserint ad Rempublicam: Itemque, quòd Deo cogente obstetricatus quidem fuerit, sed prohibente, nihil genuerit; ob errandi periculum, in quod incidunt, qui dogmata tradunt? Adhæc, quod Simmias apud Plutarchum, memoret se ex Socrate quæsiisse curiosus, qualis hic foret Genius: & addat, se ex Socrate responsum nihil accepisse. Nimirum hoc digito monstrat; noluisse quidem Socratem mentiri, asseverando sibi Genium separatam adstiterè; at noluisse tamen loquendo negare, ne salutaria consilia robor, & gratiam amitterent. Neque enim ipsi deinceps illi fidissent tantopere, qui prædictas Charondæ Timarcho, & aliis cladeis, humanâ solum sapientia provisâ opinati fuissent. Rursus, quod Timarchus ille, qui apud eundem Plutarchum in Trophoni antrû descendit, sciscitaturus de veritate Genij hujus Socratici, nihil probabilius*

in Apol. & al.

4. memo-  
rab. I. de  
divin.

in Apolog.

in Theat.

loc. cit.

in Theaga.

loc. cit.

lius

Itus accepisse inducatur, quàm quodd hujuscemodi Genij sint portiones animæ nostræ, non perinde, ut cæteræ depressæ in corpus; sed quæ ipsum caput veluti circumstant. Videlicet hoc indicat Genium Socratis nihil aliud fuisse, quàm τὸ ἡγεμονικόν, principem illam facultatem, quæ sobrio vitæ genere, & sapientiæ studio pura servaretur. Denique, quodd Apulejus eò tandem deveniat, ut Socratis imitatione non extraneum quendam Genium, sed animum ipsum colere persuadeat, *Et nihil aequè miror, inquit, quàm cum omnes & cupiant optime vivere, & sciant non alia re vivi, quàm animo; nec fieri posse, quin, ut optime vivat, animus colendus sit, tamen homines animum suum non colant. Nec aliud te in Ulyssæ Homerus docet, qui semper ei comitem voluit esse Prudentiam, quam Poëtico ritu Minervam nuncupavit. Igitur hac eadem committante omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. Quippe ea adjutrice Cyclopi specus introiit, sed egressus est. Solis boves vidit, sed abstinuit, &c.*

An non viderur heic Apulejus imitatus Xenocratem; qui auditor, & successor Platonis, nosse ejus mentem, & Socratis potuit; & Aristotele tamen teste, dixit, *ὁ δαίμωνα felicem eum, cui obtigisset bona anima; adiciens, ταύτῳ ἐκείνῳ ἐστὶ δαίμωνα, hanc unigue Damonem esse?* Quid, quod ipsemet quoque Plato edixit, *De præstantissima Anima nostra specie, inquit, ita est sentiendum. Dedit scilicet illam nobis Deus ὡς δαίμωνα ἐκείνῳ, ut proprium cuique Damonem in summa corporis arce habitantem: Et statim, illum, qui id semper, quod est divinum curet, ac familiarem Damonem præclare cultum habeat summè beatam evadere: Sicuti & illud quod apud Clementem Alexandrinum docuit τῷ δαίμονι, felicitatem, nihil aliud esse, quàm τὸ ἔχειν δαίμονα ἔχειν, habere Damonem bene affectum; δαίμονα ἢ λέγεσθαι τὸ ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικόν, Damonem verò Anima nostra partem principem appellari.* Citarem in eandem sententiã Tyrium Maximum, cum adiri Oracula proprio consilio spreto non vult; sed ex Græcis quidem id præterea sufficiat; quod Aphrodisæus aliquoties habet, dum, ἡθροῦ, inquit, ἀνθρώπων δαίμων, ἢ Ἡράκλειτον, τυτίσι φύσις, *Hominum Damon, juxta Heraclitum, Indoles, seu natura est.* Ex Græcis dico: nam ex Latinis citare Ciceronem licet, quatenus ejus verba sunt, *Cum verò jurato dicenda sententia sit, mimenerit Deum se adhibere testem, id est, Mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinius: Præsertim autem Senecam, dum, Inbeo, inquit, te habere bonam Mentem, hoc est, propitios Deos omnes, quos habes.*

loc. cit.

2. Top. 6.

in Tim.

2. Strom.

De Fato 2.

4. &amp; 2. de an. nit.

3. Offic.

Epist. 110.

placatos, & sàventes, quisquis sibi se propitiavit. Sepone in præsensia, quæ quibusdam placent, unicuique nostrum Padagogum dari Deum non quidem ordinarium, sed hunc inferioris nota, ex eorum numero, quos Ovidius ait, de Plebe Deos (ita tamen seponas volo, ut memineris majores nostros, qui crediderint hoc, Stoicos fuisse: singulis enim & Genium, & Lunonem dederunt) postea videbimus, an tantum Diis vacet, ut privatorum negotia procurent: interim illud scito, si ve assignati sumus, si ve neglecti, & fortuna dati; nulli se posse imprecari quicquam gravius, quàm si imprecatus fueris, ut se habeat iratum.

*x. de Divi*

Ad Animi concitationem ex seipso quod attinet, id prætereo, quod ipsum Dei, Mundanæ-ve Animæ esse particulam supponunt. Nempe ideò volunt esse Animum sua ex natura omniscium, quòd ejusdem sit naturæ cum Deo, aut ipsa certè Anima Mundi, quæ, quòd ubique præsens sit, nihil sit rerum, quod ignoret. Nam & quamvis non adhuc præsens futuris ipsis rebus sit, præsens est tamen earum causis, nisi proximis, at saltem remotis, quæ conjuvata serie, colligantur cum proximis; sicque, *Ut in seminibus* (quæ Ciceronis verba sunt) *vis inest earum rerum, quæ ex eis progignuntur; sic in causis sunt conditæ res futura.* Cùmque animus in corpus immersus, & quasi epoto in ipsa immersione, lethæo poculo, non perinde omnia, ac ipsamet, cujus pars est, Anima Mundana, pervideat; pervidere tamen eum posse tuentur, aut vi morbi sic concitatum, ut emersionem quasi molliatur; quo modo *Aristoteles*, inquit Cicero, *eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholicè dicerentur, censebas habere aliquid in animis præsagens, atque divinum.* Aut si ratione aliquà placidiore se quasi abducat avocetque à corpore, quod quidem per somnum potissimùm fit; tum enim, ut longè quàm per vigiliam solutior, faciliùs, clariùsque divinat; & appropinquante etiam morte, cùm jam à corpore solvi incipit, *multò est*, ut ille loquitur, *divinior.* Prolixus est locus, quem ex Socrate in Platonis Politia refert Cicero sub persona Fratris, de divinatione per somnum; ac deinceps, *Iuber, igitur, Plato, inquit, sic ad somnam proficisci corporibus affectu, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne fabis vescerentur, quòd habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quærentis vera, contrariam.* Cùm ergò est somno seque-

*ibid.*

*catas*

vocatus animus à societate, & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura providet: jacet enim corpus dormientis, ut mortui; riget autem, & vivit animus. Pertinet huc proinde id, quod habetur postmodum, dum hanc quoque divinationem referendam dicit ad naturam Deorum, *Aqua*, inquit, *ut doctissimus, sapientissimisque placuit, haustos animos, & delibatos habemus; cumque omnia completa sint, & referta æterno sensu, & mente divina; necesse est cognatione divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi vita necessitatibus servant, disjunguntque se à societate divina, vinculis corporis impediti. Rarum est autem quoddam genus eorum, qui se à corpore avocent, & ad divinarum rerum cognitionem cura omni, studioque rapiantur.* Pertinet quin-etiam, quod Cicero ipse; dum *Similis*, inquit, *est error in somniis; quorum quidem defensio re-petita quam longè est? Divinos animos censent esse nostros, eosque esse tractos extrinsecus, animorumque consentientium multitudine completum esse mundum. Hac igitur mentis, & ipsius divinitate, & conjunctiore cum externis mentibus, cerni qua sunt futura.* Istud, inquam, de animi ex seipso concitatione prætereo; quoniam fabula mera est, tum quod animi supponuntur haustus esse, & partes quædam divinæ substantiæ, aut Mundanæ animæ, ut ex supra-dictis intelligitur; tum quod aliquid sive per furorem, morbumque melancholicum, sive per somnum divinetur. Quippe merus casus cum sit, quod interdum quidpiam hac ratione prædictum contingat; neque id magis sit mirum habendum, quam si quis totum jaculans diem, quod jam diximus, aliquando collineet; & qui in talorum lusu sæpè jactat, Venereum aliquando jaciatur. Quod enim alioquin futura in suis causis prospici, ob illarum seriem, concatenationemque valeant; id soli Deo, qui condidit, disposuitque omnia concedendum est; omnemque aliam sagacitatem, perspicacitatemque longè superat, ut quæ ex hominum arbitrio, casibusque innumeris dependent, provideri possint. Quanquam & exempla, quæ ad rem confirmandam in ore esse omnium solent, quale est illud de interfecto à Caupone Megaris, aliudque de Simonide, qui ab eo, quæ humaverat, navigare vetitus est; & quæ id genus cætera sunt, quid-ni censeri conficta possint? Ecquis enim ipsorum author, aut penes quem stat, à quo primum deducta sit enarratorum indubia fides? Porro illud quoque, ut affi-

ne

ne prætereo, quod de furore divinitus, speciatimque immisso aliquibus percrebuit; ut remigi illi Coponianæ classis, qui vaticinatus fuerit, madefactum iri minus triginta diebus Græciam sanguine, rapinas Dirrachij, & conscensionem in naveis cum fuga, &c. Uno enim verbo valet generatim, quod de hoc speciatim exemplo habet Cicero, qui ea in classe navigavit. Ille nimirum ad Fratrem sic: *Quid? inquires, remex ille de classe Coponij, nonne ea predixit, quæ facta sunt? Ille verò ea quidem, quæ omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus. Castra enim in Thessalia castris collata audiebamus, videbaturque nobis exercitus Casaris & audacia plus habere, quippe qui patria bellum intulisset; & roboris, propter vetustatem. Casum autem prælij nemo nostrum erat, quin timeret; sed ita, ut constantibus hominibus par erat, non apertè. Ille autem Græcus quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, à constantia, atque à mente, atque à se ipse discessit? quæ perturbatione animi, quæ, sanus cum esset, timebat, ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per Deos, atque homines, magis verisimile est, vesanum remigem an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, M. Cattonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia Deorum immortalium perspicere potuisse. Revocant in mentem postrema hæc verba, Aristotelea illa de divinatione per somnum, *Esse Deum, qui immittat somnia, cum propter alia, tum propter hoc speciatim subabsurdum est, quod non optimis, sapientissimisque, sed vilibus istis, plebeisque immittat.**

.cap. 5.

Cæteris itaque prætermiſſis, attingere heic quidpiam sufficit de Oraculis, vaticiniisve, quæ fuisse reddita perhibentur à Sibyllis & Vatribus divino furore correptis. Terti sunt Virgiliani verſus, quibus hujusmodi exprimitur furor:

6. Ætid.

*Ante fores subito non vultus, non color unus.  
Non compta mansere comæ: sed pectus anhelum,  
Et rabie fera corda tument, majorque videri,  
Nec mortale sonans, afflata est numine quando  
Jam proprio Dei.*

Et,

— immanis in antro

*Bacchatur Vates, magnum si pectore possit  
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat,  
Os rabidum, fera corda domans; fingitque premendo.*

Ut

Ut taceam autem talem furorem videri Numine indignum, ac non esse nequicquam illud Ciceronis, *Quid habet autoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut que sapiens non videat, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amisit, divinos assequutus sit?* adneto solum capita pauca, quibus vanitatis rei admoneamur. Unum est, adfectatio illa edendi Oracula, non prosa, sed carmine. Retulimus jam, ut Epicurei ea deriderent carmina, tanquam inepta, Deòque indigna: Vide quid Cicero de eisdem: *Sybilla, inquit, versus observamus, quos illa furens fuisse dicitur: Quoriam interpret nuper falsa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem reverà Regem habebamus, appellandum quoque esse Regem; si salvi esse vellemus. Hoc, si est in libro, in quem hominem, & in quod tempus est? Callidè enim qui illa composuit perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum, & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut videri versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis cum ipsam Poëma declarat (est enim magis artis, & diligentia, quam incitationis, & motus) tum vero ea que dispositis dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennians Qu. Ennius fecit. Id certè magis est attenti animi, quam furentis. Atque in Sybillinis ex primo versu ejusque sententia primis literis illius sententia carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est adhibentis diligentiam, non furentis, non insani. Alterum, illa Amphibologia, qua reddebantur Oracula, scilicet quasi illa sapiat calliditatem non plusquam humanam. Ad di etiam posset plurima ex illis, quæ celeberrima habentur, esse penitus commentitia. Certè, cum præ aliis percrebuerint illa,*

*Cræsus Halym penetrans magnam per vertet opum vim;*

Et, *Ajo te Æacida Romanos vincere posse,*

Cicero docet, prius illud nunquam fuisse Cræso editum, & tam ab Herodoto potuisse, quam istud posterius ab Ennio confingi. Cæterum autem hoc confictum, & nunquam Pyrrho editum probat, *Quia primum, inquit Latine Appollo nunquam loquutus est. Deinde, ista fors inaudita Græcis est. Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. Postremo, quanquam semper fuit, ut apud Ennium est, Stolidum genus Æacidarum.*

*Bellipotentis sunt magis quam sapientipotentis; tamen, hanc amphiboliam versus insolligere potuisset, vincere te Romanos, nibilo magis in se, quàm in Romanos*

manos valere. Nam illa amphibolia, qua nibilo decepit, vel Chryssippum potuisses fallere; hac verò ne Epicurum quidem. Tertium, Impostura, fusè recitata vel apud unum Eusebium, qui & exinde probat Oracula fuisse non à Diis, aut Dæmonibus edita; sed à veteratoribus, præstigiatoribusque calliditate insigni contexta. Copiosè quoque declarat Lucianus, ut ipsemet detexerit notum id artificium, quo Pseudomantis Alexander magnum sibi nomen comparabat in edendis oraculis: adjiciens illum & Christianos, & Epicureos odio prosequuturum, quod ea improbarent, atque deriderent. Sed præstat ex ipso Eusebio totum negotium retigere; etsi pauca quædam omisit, quæ à Lucretiano sunt observata; ut sigillorum imitationem, post referatas schedulas (quam debuerant non pervidisse Epicurei illi, quos suppeduivisse scribit Plutarchus apud Præfectum Ciliciæ, cum Mopsi oraculo respondente Nigrum, aperta tabula ostendit quæstionem hoc modo propositam fuisse, *Utrum-nam tibi, album-ne an nigrum immolabo taurum?*) Itaque Eusebius revelans Vatum imposturas, sic habet: *Ministros habent suarum artium circumcursanteis, ac sedulo investigateis ab advenis, quid quisque egens petiturus veniat. Habent & multa adyta in templis, occultaque penetralia multisitudinè inaccessa; cum & tenebra ipsis sese supponentibus non parum inserviant; & præconcepta opinio, & accedentium superstitio; & majorum auctoritas ad hoc plurimum conferas. Adde heinc populi stoliditatem, rationisque impotenziam, ac defectum examinis; inde verò solertiam, rursusque eorum, qui hæc callidè machinantur; dum flagitiosè, fraudulentè, ac versutè, aut res jucundas cuique promittunt; bona spe interim lactantes, aut etiam, &c. Et postea, ubi ambuiguitatem, cantum, barbara vocabula, affectatam verbotum texturam, similiàque enumeravit ostenditque, quàm sæpe Oracula fuerint falsitatis convicta, quàm malè iis cesserit, qui illorum hortatu susceperunt bella, quam multos sefellerint, quibus & salutem, & vitam pollicita fuissent; adeò ut inde arguerentur non Dij, sed impostores homines esse, tum pergit: *Quid verò extraneis, & iis, qui procul adveniunt, alienigenis maximas spes faciunt, at eandem secum regionem incolentibus, non item; quibus tamen præ cateris, tanquam familiaribus amicis, & concivibus propitios facere Deos oportebat? Sed nimirum facile est ipsis ignaros fallaciarum suarum peregrinos decipere; non ita verò fami-**

familiaris; ut putà artis non in expertos, totiusque lusus conscios. Ex quo patet ibi nihil esse divinum, aut commentatione humana superius. Tum postquam recensuit Oracula varia, quæ defecerint, & multa templa, quæ conflagrarint, subjicit; Si neque propria defensare templa, neque sibi ipsis in periculis auxilio esse mirabiles isti oraculorum editores valeant: qui vacet aliis opitulari? Unum verò addere, lubet argumentorum omnium maximum; plerisque hujusmodi Vatum, Antistitum, Theologorum, ac Prophetarum, non solum priscis, sed nostris etiam temporibus divina hac sapientia claros apud Romanorum tribunalia tormentis coactos, exposuisse totum errorum ex hominum fraudibus natum; conspiciuntis rem universam nihil esse aliud, quam imposturam artificiosam; ac speciatim edisserentis omnem apparatus, omnesque modos pravi artificij. Neque verò illud omitendum est, quòd postquam Eusebius Aristoteleorum, Cynicorumque meminit, subjungit etiam Epicureos: Quos equidem, inquit, admirari soleo, quòd Græcorum moribus ab incunabilis innutriti; & pueri à parentibus eos, quos dixi, Deos edocti, nunquam tamen his irretiri erroribus potuerint; sed generosè hujusmodi decantata oracula, ac omnium concursu celebra vitia mendacij coarguerint; ac esse non modò inutilia, verum perniciofa quoque demonstrarint. Postremum, contemptus, in quem denique totum hoc mysterium evasit; ex quo usque tempore luculentius innotuit & memoratum artificium, & quæstus proinde adèd impudens, ac ab ipso Oenomaio apud Eusebium objicitur; ut quòd jussit Oraculum, dimidium agri à Lacedæmoniis quasi Apolloni tribui; & non modò fallacia passim deprehensa, sed consilium etiam deridiculum, Si velit senex liberos procreare, ducendam illi juniorem uxorem, aliàque id genus similia, obtestatus est Ciceroiis oraculis, quæ ederentur Delphis, nihil esse potuisse contemptius, ut mirum non sit, si jam passim iis temporibus oracula cessarent. Et conatur quidem Plutarchus aperire causam ex eo repetitam, quòd halitus ille subterraneus, quòd Pythia subtrus concitata, mentèque commota, oracula ederet; præ vetustate jam evanisset. Verum Cicero id præoccupans, antè jam deriserat. Nam, de vino, inquit, aut salsamento putes loqui, qua evanescent resurtere? De vi loci heic agitur, neque solum naturali, sed etiam divina; qua quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquires. Qua vetustas est, qua vim divinam conscicere possit? Quid tam divinum, quam afflatus ex



*Terra mentem ita movens, ut eam pro vidam rerum futurarum efficiat? ut ea non modò cernat antè, sed etiam numero, vcrsuque pronunciet? An postquàm homines minùs creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abheinc annos propè trecentos fuit, jam tum Φιλιππίζειν Pythiam dicebat; id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eò spectat, ut eam à Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quomodo isti Philosophi supersticiosi, & pene fanatici quidvis malle videntur, quàm se non ineptos? Eyanuisse mavultis, & extinctum esse id, quod si unquam fuisset, certè aeternum esset; quàm ea, quæ non sunt credenda, non credere. Sed de hoc argumento satis.*

## C A P U T . VII.

*De Fine, seu Interitu Mundi.*

**I**AM esse Mundum interiturum, finemque habiturum, ex eo dependet, quod genitus sit, exortùmque habuerit. Siquidem necesse est omnia, ut concernuntur, ita discerni, inque ea dissolvi, ex quibus coaluerint: illa quidem id perpeffa ab istiusmodi, ista ab illiusmodi causis: sed omnia alicunde, & aliquando tamen. Quò magis profecto mirari par est, esse aliquos, qui non modò natum introducentes Mundum, sed etiam manu penè factum; edicant ipsum sempiternum. Quæ esse enim potest, ut supra arguebam, coagmentatio non dissolubilis? aut quid est cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?

Videtur sanè esse Mundus, Animalis, aut plantæ instar, quemadmodum genitus, ita corruptioni obnoxius: tum quia non secus ac illa, ex Atomis constat, quæ propter motum intestinum, quo indefinenter cientur, moliri denique exsolutionem possunt; tum quia, ut illis, ita & Mundo accidere potest extrinsecus causa quæ ipsi exitium afferat: maximeque cùm notum sit, unamquamque rem unâ viâ natam, denasci posse compluribus: tum quia, ut in illis tres ætates sunt, Adolescentia, Vigor, & Senium; ita Mundus primum

primùm quodammodo increverit ( quatenus etiam post genitale tempus accessere extrinsecus ex Uniuerso Atomi, quæ per ipsa Mundi quasi spiracula subierint, & ex quibus Cælum, Sidera, Aër, Mare, Terra, alia adaucta fuerint, congruis videlicet ad congrua sese accommodantibus ) deinde verò, quia crescendo debuit aliquis esse finis, in perfecto quodam quasi statu constiterit: ac jam demùm occæperit ita quasi fatiscere, ut agnosci omninò possit ad extremam vergere ætatem.

Confirmatur autem imprimis, ex eo quòd, ut videre licet temporis progressu turris ruere, saxa putrescere, delubra, & simulacra fatisci, unde & denique exsolvuntur: ita videamus Mundi parteis sensim deteri, ac diminui. Terræ pars multa abit in auras ( ne aliquid dicam de maioribus illis concussionibus, quibus metus incutitur, ne quando tota corruat, & subtracta pedibus, quasi in barathrum feratur ) Aqua partim quoque in auras halatur, partim per terras sic deditur, ut non omnis sit refluxura: Aër continud immutatur; rebus quidem multis in ipsum excedentibus, sed & multis quoque ex iplo recreatis: Ignis demùm non modò noster, sed etiam Sidereus, ut qui est in Sole, sensim deperit, abiectu, & emissione lucis: quocirca neque est cur rearis debere hæc Mundi corpora manere æterna.

Deinde, ex eo, quòd videmus esse inter ipsa Mundi corpora continentem pugnam, ob quam interdum quidem Incendia, interdum verò & Diluvia, quasi æquis viribus contingunt. At quemadmodum in Palæstra, ita necesse est, ut in Mundo contrariorum alterum denique prævaleat, omniàque pessundet. Si quis autem quærat, utrùm duorum ratione verisimili sit prævaliturum: responderi potest, illud esse Ignem, tanquam a tuosorem, & à Sole præsertim, Cælitusq; suppeditatum: aded ut superantior evasurus denique sit, ac sit Mundus proinde conflagratione periturus.

Postremò ex eo, quòd nihil indissolubile sit, nisi quod sit aut solidum, quemadmodum Atomos, aut intastile, ut Inane; aut nihil habens extrà, unde aut dissolvens causa adveniat, neque ipsum possit excedere, ut Uniuersum: Mundus autem, neque solidum quid sit, propter Inane intermistum; neque etiam intastile quid, propter naturam corpoream; neque denique nihil extra habens,

ob

ob sui extremum; quò sit; ut & clades contingere extrinsecus, à corporibus, nempe incurrentibus, & confringentibus valeat, & sive ea extrinsecus, sive intrinsecus accidat, habeat, quò dissolvi, & effundi queat.

Quod addo quidem, quia potest Mundus non conflagratione dumtaxat, aut, si velis, etiam inundatione perire; sed modis quoque pluribus, quos inter ille præcipuus est, ut quemadmodum Animal, quicum jam illum comparavi, ipsa Animæ compagine soluta, in varias partes solvitur, quæ & ipsæ tandem planè exsolvantur; & vel dissipentur, abeantque in auras, ac minutissimos pulveres; vel inserviant etiam ad procreandum alia Animalia; ita ipsi Mundi quasi mœnibus fatiscentibus, dantibusque ruinam, frustra illius varia subinde solvantur, ac abeant tandem in Atomos, quæ libertatem Inanis nactæ & coëffundantur, & repetant motus, primigenitos, & vel longum, diùque procurrant, vel brevi, aut in Mundos alios incidant, aut cum Atomis aliis concurrentes in gignendos novos Mundos coalescant.

Tamet si certè, ut Animal potest ab Animæ excessu aut ocyùs, aut tardiùs omnimodè exsolvi, ita utrumvis possit ipsi Mundo contingere; attamen probabilius est, fore, ut puncto temporis nihil reliquiarum existet præter Atomos, ac spatium desertum, quòd quacumque ex parte lethi quasi janua aparta priùs fuerit, illac omnis materiæ turba sese foràs datura sit.

Quod dixi autem vergere ad extremam ætatem Mundum, id vel ex eo fidem ducit, quòd effecta Tellus, ut jam quoque attingeram, vix parva creet Animalia, quæ edidit olim ingentia; quodque vix plurimo labore fruges, fructusque suppeditet, quæ sponte initio ubertim effudit. Unde & frequentes sunt querimoniæ laudantium sæcula prioræ, accusantium præsentia; cum non videant hanc esse rerum sortem, ut omnia paullatim tabescant, & spatio ætatis vetusto defessa, veluti in scopulum tendant. Utinam modò ratio potius, quàm res ipsa persuadeat, fore ut parvo in tempore conquassari omnia cernamus.

## CAPUT VIII.

*De infinitis Mundis.*

**P**ORRò, quod demùm requiritur, sintne præter hunc alij, & non modò plures, sed etiam infiniti Mundi; videtur omninò dicendum dari numero infinitos. Quippe Atomi, cùm sint infinitæ, ut demonstratum jam antè est, per infinitatem spatorum feruntur, ac alibi aliæ, procùlque ab hoc variè invicem concurrentes coalescere in fabrefactionem Mundorum infinitorum possunt. Atomi siquidem ad hoc comparatæ, ut ex ipsis Mundus constare, efficive valeat, absumi non possunt, cùm sint infinitæ, neque in unum, neque in aliquot, qui definito numero sint; & neque in quotcumque uniusmodi, neque in quotcumque inter se diversos. Quare & nihil obstat, quò minùs sit talis Mundorum infinitudo

Sane verò tam est absurdum in Universo infinito unum Mundum fieri, quam in magno agro granis plurimis confiro unam spicam nasci. Nempe, ut in agro causæ plurimæ, ipsa nimirum semina simul cum loco in promptu sunt; sic in Universo, præter ipsam locum, non modò causæ plurimæ, verùm infinitæ etiam suppetunt; ipsæ scilicet Atomi, perinde ac illæ, ex quibus hic Mundus coaluit, coëundi capaces.

Accedit, quòd nullam videamus rerum generabilium ita esse unam, ut non eodem sub genere multa consimilia obtineat (sic enim homines, sic feræ, sic volucres, sic pisces singulatim sub suis quibusque generibus multiplicantur) quare & cum non modò Sol, Luna, Terra, Mare, & partes Mundi cæteræ fuerint genitæ, sed ipse etiam totus ex iis constans Mundus; fatendum est prorsus & illas, & hunc non singulareis esse, sed plureis, & numero quidem, ob jam dictas causas, innumero, atque infinito.

Cùm nihil verò sit, quòd repugnet Mundos alios partem similes, partem dissimileis isti nostro esse: nam & possunt esse æquales, possunt majores, possunt minores; possunt, qui habeant eandem,  
eodem.

eodemve ordine sitas parteis; possunt, qui habeant alias, aliove sitas ordine: possunt, qui sint eadem præditi figura: possunt, qui præditi diversa (quippe non possunt quidem esse figurarum omnigenarum; ut dictum antè est, *Atomos*, cùm definiti sint ambitus, non posse infinitis modis figurari: sed possunt tamen innumerarum; ut *globosæ*, *ovatæ*, *pyramidalis*, &c.) cùm id inquam nihil repugnet, hæ tamen omnes diversitates sunt dumtaxat quædam quasi conditiones, quæ communem Mundi qualitatem, ac rationem variant.

Videtur autem quilibet aliorum Mundorum, veluti & iste, & omnis alia concretio, quæ in immenso Inani sit, & simile quidpiam cum iis, quæ passim observamus, habet, per proprios quosdam Atomorum quasi vortices, convolutionesve seorsim procreari; atque id quidem sive in Intermundio (ita vocamus juxta antèdicta, intervallum inter duos aut plureis Mundos non multum distitos comprehensum) sive in loco multivacuo (seu in quo versantibus licet corporibus, corpusculisve, plurimum tamen spatorum vacuorum intercipitur) sive denique in magno immistòque, & puro Inani; tametsi non, ut aliqui hujusmodi Inane assumentes, describunt.

Nimirum, secùs ac sit ab illis, intelligendum est confluere, nisi ex infinito, at saltem ex uno, pluribusque sive Mundis, sive Intermundiis, idonea quædam semina, hoc est, congeriem quandam congruam Atomorum, corpusculorumve, quæ sensim heic illic mutuo coadantur, varièque formentur, & locum etiam variè, prout contigerit, commutent; ac insuper extrinsecus accrementa quædam quasi irrigua accipiant, quousque constans ex omnibus concrementis specialibus moles perficiatur, stabilimentumque obtineat, quantum quidem ferre ipsius quasi fundamenta substrata valuerint.

Alioquin certè quo in Inani generari Mundum contingit, non sufficit acervum fieri, convolvique, & incrementum, quandiù in aliud incurrerit, accipere, eo modo, quo acervus nivis, dum supra nivem volvitur, juxta opinionem, quod sic fieri ex necessitate oporteat, ut Physicorum appellatorum ait aliquis: siquidem id pugnat cum iis, quæ apparent. Neque enim acervus, cujus  
inti-

intimus quasi nucleus solidus sit, & extrema etiam quasi crusta solida, aut convolvi potest, aut incrementum accipere, si interstitium nucleum inter crustamque interceptum sit fluxum; quale in Mundo esse contingit.

Quod superest, esse alios quoque Mundos, quia geniti sint, corruptioni obnoxios, manifestius est, quàm ut dici debeat. Nam & quod alij ocyùs, alij seigniùs, alij ab his, alij ab illis dissolvi causis valeant, res pertinet ad singularem uniuscujusque diversitatem.

*Perperam aseri ab Epicuro infinito Mundos, ostensum est à Gassendo. Pag. 93. & seqq.*

## SECTIO TERTIA.

### *De Rebus Humilibus, seu Terrenis.*

**V**erum, ut missis cæteris, de hoc nostro Mundo specialius dicamus; age, cum omnia, quæ in eo sunt, aut Terræ ambitu contineantur, elatior à ve Humo non sint, aut sint in Sublime, hoc est, supra Humi, Terræve superficiem elata; ac idè possint generatim in res Humileis, Terranave; & Sublimeis, sive Cælestis, arque Aëreas dividi: Age, inquam, sermonem primum de prioribus instituamus, & ex eo quidem præsertim, quod ut nobis propria sunt, magisque familiaria, ita possint fieri quasi argumenta, ex quibus conjicere de posterioribus, quæ remotiora à nobis, minusque perspecta sunt, liceat.

Videtur autem esse imprimis ipsum Terræ corpus generatim spectandum; ac subinde Aqua pars massæ insignia, Terræque ipsi variè, partim ad superficiem, partim etiam intus commissa; & postea quæ minora sunt, ac passim tota massa visuntur corpora, partim Inanima, ut sunt Mineralia, Lapides, ac Plantæ; partim Animata, quæ & dici Animalia seu Animanteis moris est.

## C A P U T I.

*De Terra in medio Mundi consistente.*

**P**RIMUM itaque circa ipsam Terram, diximus jam antè quemadmodum fuerit cum reliquis Mundi partibus formata. Sanè verò nihil fuit necesse formari eam priùs extra Mundi ambitum, ac ita formatum recipi in Mundum; cùm satis fuerit comprehendi in Mundana massa talia semina, ex quibus unà cùm reliquis Mundi partibus gigneretur: eo modo, quo nihil fuit necesse ipsa Animalia exterius, seu ex ipsa rerum infinitate priùs secerni, ibique formari, uti in hunc Mundum jam perfecta deducerentur; neque item è Cælo, tanquam illeic priùs elaborari debuerint, delabi in Terram; cum ostendere nemo valeat, cur comprehendi illeic potuerint ejuscemodi semina, ex quibus Animalia, Plantæ, & quæ cætera videre licet, constituerentur; non potuerint verò comprehendi heic; ac pari modo suppetere unde illa gigni & nutriri possent.

Diximus vero etiam Terram, cùm Cælum, aliaque Sublimia sursùm veluti avolarent, subsidisse in Mundi medium, ac ibi, ut in imo loco, remansisse. Addendum jam, non quemadmodum ipsa media est Mundi pars, in quam omnia pondera cadunt; ita dari in ipsa medium, seu, ut vocant, centrum, versum quod omnia pondera dirigantur. Scilicet omnia pondera parallelis motibus cadunt, non in angulum verò conituntur; quòd si sicut in Universo, ita & in Mundo regio unica sursùm, è qua gravia omnia adveniant; unica deorsùm, in quam eadem tendant.

Quòd sit, ut probandi non sint, qui dari Antipodas dicunt; homines nempe in averfa Terræ regione ita sitos, ut vestigia nobis opposita urgeant, eo modo, quo videre licet simulacra hominum, aliarùmve rerum inverfa aut consistere, aut procedere etiam subter aquam. Quippe illi præter naturam, & conditionem rerum gravium, tueri conantur & homines, & alia corpora Terrena illeic

illeic posita, sursùm, seu versùs Terram niti; & tam non posse è Terrain loca Cæli inferiora recidere, quàm nostra hæc non possunt in Cælum sponte avolare. Utcumque aliunde cohærenter suæ suppositioni dicant esse Antipodibus diem, cùm nobis est nox, & noctem cùm nobis est dies.

Itaque, Terra quidem in orbem, circulumve est conformata; sed tamen quasi discus, aut tympanum; non verò quasi sphaera, aut globus. Nempe hæc ejus facies, quam nos incolumus, quæque habitari sola potest, lata est, seu plana, non verò globosa; ac talis, in quam omnia pondera recta, seu ad normam ferantur, quemadmodum dictum jam est.

At verò, cùm sic res se habeat, difficultas tamen non exigua est, qui fieri possit, ut consistat, neque deorsùm in quam regionem diximus lapsuros Antipodas, cadat. Verum tamen Terra non cadit, quoniam insidet aëri, tanquam ipsi congenæ, neque ad eò ipsi oneri existens, ut Animalia insident, tanquam congenæ ipsi Terræ.

Nimirùm facile est captu esse in aëre subiecto hanc Terræ sustentandæ vim; quod Terra, & Aër ab ipsa Mundi conformatione res congenæ sint, & cognatione quadam revinctæ, tanquam ejusdem totius partes oneri sibi mutuo non sint; sed quasi omni gravitate, compressionèque deposita, mutua complexione teneantur; maximèque cùm possit Terra ad superiorem hanc sui partem magis compacta, graviorque esse, & sensim inferius magis laxa, minusque gravis fieri; quousque tandem parte sui infima ad aëris suppositi naturam proximè accedat.

Propterea autem dixi Terram non fuisse exterius formatam, extrinsecusque illatam in Mundum; eo nempe casu pondere suo aërem illum premeret, quemadmodum minimum pondus nostris sentitur corporibus, si extrinsecus imponatur; cum tamen nec caput, nec cæteræ membra sibi mutuo sint gravia, quòd congenæ sint, communique jure totius ejusdem corporis vinciantur.

Ac, ne incredibile sit, rem ad eò tenuem, ac est aër, posse ad eò crassam molem sustentare; cogita dumtaxat, quàm res sit tenuis Anima, Animalisve spiritus; & quàm tamen crassam, quàmque ponderosam molem corporis sustentet, ac regat; & vel eo quidem



nomine solùm, quòd ipsi conjuncta, uniterque apta res sit; quemadmodum est aër ipsi Terræ.

Non est verò propterea reputandum, Terram esse animatam, ac multò minùs Deam quandam; id enim jam antè refutatum est. Et Terra quidem varias frequenter animanteis parturit, at non, quòd ipsa sit animata, sed quòd continens varias Atomos, variave rerum semina, multa modis multis efferat in lucem, unde animata formentur. Non desunt, qui aliunde Terram *magna Deum Matris, ac Berecynbia*, nomine colant. Verùm, quòd Terra quidem donetur iis nominibus ( si abuti quidem Divinis ad res naturales designandas liceat ) potest res videri tolerabilis; at non sanè, quòd Terræ quoque inesse Divinitas credatur.

## C A P U T I I.

### *De Terræ-motu; ac obiter de Ætnæo Incendio.*

**I**Nterim autem mirum videtur, qui fiat, ut Terra interdum commoveatur, concutiatur, tremat: verùm hæc una est earum rerum, quæ possunt omninò pluribus modis contingere; & supponendo quidem rem, de qua ambigendum non videtur, esse ubique Terram sui similem, ac subtus, perinde ac supra, habere speluncas, lacunas, fluminaque volventia, fluctus, saxa submersa, &c.

Nam potest Terram movere Aqua, si parteis aliquas eluit, & abrasit, quibus excavatis desit posse sustineri, quod ferebatur integris; vel, si interiores lacunas, seu quasdam palustreis, & jacenreis aquas impellat flatus aliquis, & inde aut ictus Terram quatiat, aut agiratio spiritus ipso motu crescens, & se incitans, ab imo in summum perferatur. Scilicet, ut vas constare non potest, nisi quæ commota in ipso est aqua, jactari intùs desierit.

Potest & parte aliqua subito decidente Terra percuti, & inde motum capere: cùm & aliquæ ejus partes quibusdam veluti columnis,

lumnis, ac pilis sustineri possint, quibus vitiatis, recedentibusque, tremat onus impositum. Quippe, cum videre etiam liceat totas ædeis, propter plaustrorum, ferratarumque curuum agitationem successione tremiscere.

Potest quoque Terram movere ipse spiritus: nempe, si aut Terra, cum in partibus sui imerioribus, inferioribusque crebritate foraminum, rimarumque sit interstincta, à spiritu variè disperso, & in cavernosas ejus cavitates incidente, concutiat, ac tremat; eo modo, quo membra frigore subeunte, tremere, ac moveri invita coguntur: aut, si supernè ingrediente, compellentèque deorsum spiritu, Terra ab aëre subjecto ut crassiusculo, & aquoso (quippe sustentante) fursum repellatur, & quasi subtercussa subsultet: Quod contingit quidem rebus omnibus, quæ non modò in aliquid durum seu firmum (aut ita intensum, ut pressum redeat) compelluntur: sed etiam in aliquid fluxum, si ad repellendum comparatum sit; ut cum intra aquam deprimitur lignum.

Potest demùm vis spiritus, si concipiatur in ignem versa & fulmini similis, cum magna strage obstantium ferri. Scilicet, ut ignis fulmineus intra nubem genitus tum ipsam perrumpit, tum aërem totum miro impetu concutit; sic commovere, perrumpereque, & concutere Terram potest, qui potest intra ejus cavernas ex spiritu coacervato, exagitatoque generari ignia.

Cum nulla porrò causa potior, quam petita ex spiritu, & hoc quidem modo postremo, videatur: tum aut ex ejus dispersione in crebra Terræ foramina Tremor dumtaxat gignitur; & (quasi per laxiorem Terram transpiratio sit) non sic terra perrumpitur, ut hiatus fiat, & vel subverti aliquid, vel inclinari deprehendatur; aut ex illius acervatione in cavernis majoribus, ea potest successio, impulsioque consequi, ut Terram subvertat, dissecat, eosque hiatus aperiat, quibus etiam introgæ urbes, quemadmodum variis in locis sæpius contingit, absorbentur.

Quod dico interea de vi spiritus, quæ in ignem versa Terram perrumpat, concutiatque, valere eò potest, ut intelligamus ex eadem esse causa eruptiones ignium, quæ fieri crebrò iisdem in locis, ut ad Æthnæ crateras, solent.

Nam totius quidem hujusmodi montis subcava natura silicium

cavernis ita suffulcitur, ut spiritus in iis conclusus percalescat, & quâ hiatus supernè patent, accensus erumpat, latera exedat, percoquatque; unde & cum flamma, fumòquè, favillas, & pumices vomat.

Quoque magis facere id possit, adest mare ad radices montis, quod aquas advolvens, reforbènsque ad littus quousque spelunce montis protendantur, aërem intrudat, propellatque, quo ceu follium flatu intendatur; foveaturque incendium.

### C A P U T I I I .

#### *De Mari, Fluviiis, Fontibus, & de inundatione Nili.*

**Q**uod ad aquas spectat, quæ in Terra sunt (nam de illis quidem, quæ in Sublimi creantur, & ex Sublimi decidunt, erit posterius dicendi locus) mira est imprimis illa earum congeries, quam Mare vocamus; quippe præter mare internum, quod oras nostras alluit, est etiam externum, seu Oceanus, qui universam Terram habitatam circumiens, ita creditur à plerisque fornicî Cæli suppositus, ut Sol & alia Sidera ex ipso orientantur, ac in ipsum occidunt, ut occurret quoque dicendum inferius.

Et certè, cum sit vastitas seu quasi immensitas Maris tanta; potest hæc haberi non postrema causa, quam obrem ex tot fluminum ingressu non appareat auferere: nimirum omnia flumina ad tantam molem comparata vix guttæ instar sunt. Adde quòd aliunde Sol, qui radiis suis vestibus madentibus tam citò exsiccat, tametsi ex unoquoque loco non multum humoris delibet; non potest nihilominus non ex tanto spatio detrahere multum. Ut præteream, quantum possint quoque venti, dum mare verunt, absumere, qui una sæpe nocte & vias resiccant & lutum incrustant.

Quantum præcipua videtur causa, quòd cum ipsa Terra sit raro, permeabilique corpore, & mari undique alluatur; debeant aquæ,

aquæ, ut in Mare ex Terra provolvi, ita ex Mari in Terram subtermanare, ut iterum emergunt, ac iterum fluant.

Neque verò debet facere negotium, quòd aqua Maris salsa sit, Aqua verò fontium, & fluminum dulcis; quoniam aqua ex mari terram pervadens, sic percolatur, ut corpuscula salis exuat, illisque deinceps denudata redeat. Videlicet, cùm Maris corpus sit ex sale, & aqua commistum, quia semina salis hamatiora sunt; aquæ verò lævigatiora; ideo ista quidem præterlabuntur facillè; illa autem non possunt non irretiri, ac passim relinqui.

Interea patet exinde causa, quæ esse videtur præcipua perennitatis Fontium. Quippe potest quidem quàm illi scaturiunt, esse quædam aquæ vis ingens collecta, quæ ad fluendum suppetat; sed & ea videtur debere ex eo suffici, quòd aliunde quidpiam in ipsam continuò subterconfluat. Et quamvis subterfluentes illi quasi rivuli conformari ex resperis variis per terram seminibus possint, debent tamen semina hæc suffici ex mari terras subingresso.

Adeò ut heinc fiat, quod jam dictum est, ut nimirum in flucta primùm minora abeuntes, dum per convalleis coeunteis desfluunt, in magnos tandem alveos coeant, creentque magna flumina, quæ mare immensum assiduè renoveant, integrentque.

Quoniam verò nullus est Fluvius, qui majorem sui admirationem pariat, quàm Nilus, quatenus quotannis per Æstatem exundat, Ægyptumque irriguum facit: ideo præterundum non est contingere id posse, quia reflantes versus Ægyptum per id tempus Etesisæ mare attollunt ad Nili ostia, & arenas quoque ad illa provolvunt; adeò ut non possit Nilus non resistere, intumescereque, & elatior alveo in subjectam ipsi planitiem effundi.

Fortè etiam contingit; ut flantes ab Aquilone Etesisæ nubecis in Meridiem ultra Ægyptum convehant, quæ ubi ad præaltos convenerint monteis, ibi contrudantur, exprimantque pluviam, qua Nilus increseat.

Quid, quod contingere etiam potest, ut præcellis Æthiopum montes iis onerentur nivibus, quæ tabificis Solis radiis in aquam liquecant, Nilique alveum compleant?

C A P U T

## CAPUT IV:

*De Aquarum quarundam proprietatibus , &  
de Glacie.*

**U**T seligamus autem præterea quædam Aquarum proprietates visas vulgò mirabileis, prætermitto illam jam dictis affinem, quodd cum aqua Sal tum facile exsolvat, inque seipsum induat, quidam sunt tamen dulces fontes, qui è medio mari scaturiant. Scilicet perspicuum videtur id fieri, quodd aqua infernè, seu ex fundo maris profiliens, tanta emergat vehementia, ut marinam aquam dispellat, & neque ipsum, neque ejus Sal commiscere secum patiatur.

Fons ille Epiri admirandus, supra quem sita stupa, tædaque igne protinùs concepto, flammescit. Sed nempe ex supposita terra tam multa caloris semina exspirantur, ut licet aquam pervadentia calefacere eam non valeant; egressa nihilominus in libertatem aëris, & incurrentia in stupas, tædasve, seminibus igneis, quibus scatent quoque res hujusmodi, consocientur, ipsaque explicant in flammam; eo modo, quo ubi lychno recens extincto flammulam admoves, accendi ipsum vides, priusquam à flamma contingatur.

At, quid dicendum de illo fonte, qui esse ad Ammonis fanum dicitur, frigidus interdù, & calido noctu? Nimirum, quod terra quæ circa hunc fontem, laxior licet cæteris terris, frigore tamen nocturno compressa, veluti elidar, sive exprimat, transmittatque in aquam, quæ continet multa ignis semina, unde & aqua incalcescat: calore verò diurno laxata, eadem semina veluti resorbeat, unde & aqua frigida remaneat.

Quin fieri etiam potest, ut quæ aqua ex eisdem seminibus, propter aërem tempore nocturno frigidum repressis, efficitur calida, evadat deinceps frigida tempore diurno, radiis Solis ita aquam pervadentibus, ut liberum iis seminibus exitum in aërem faciant: Idque non secus, ac dum glacies iisdem radiis penertantibus,

&amp;

& rarefacientibus solvitur, quòd tamen si effectus oppositi sint, ex eadem tamen causa esse possint, ut liquefactio ceræ, & induratio luti.

Eadem certè causa videtur proportione esse cum ea, ob quam aqua in Puteis calida per Hyemem, frigida per Æstatem est. Id quippe contingit, quia terra Æstate calore rarefcit, & quæ continet femina caloris, exhalat; unde & quæ in illa est abdita aqua frigidior sit: Hyeme autem, frigore comprimitur, condensaturque; unde & si quem continet calorem, exprimit in puteos.

Hæc interim me admonent, ut dicam de Glacie, ob quam aqua nativæ sua fluiditatis quasi oblita, solidescit, indurescitque. Quo loco supponendum est, sola corpora quæ ex partibus, sive corpusculis planarum superficierû coadunatur, posse solida fieri, quòd ob Inanis exclusionem partes optimè inter se cohæreant; cum si orbicularia aut orbicularibus adjunguntur, aut planis intermiscantur, intercipiatur circum Inane, in quod ipsa exolvi, & plana inclinari possint: unde & mollities, & (nisi aliunde hami sint, qui retineant) fluxibilitas consequatur.

Itaque Glacies ipsa sit, aut dum exploduntur ex aqua orbicularia, & caloris efficientia corpuscula, coarctantur verò, quæ in eadem aqua reperientur plana, ipsaque partim obtusorum, partim acutorum angulorum: aut dum ea corpuscula adsciscuntur extrinsecus ( & serè quidem ex aère, ubi ipse ex illis refrigerit) quæ & pressa & extrudentia quotquot occurrunt orbicularia, firmitudinem in aquam inducant.

## C A P U T V.

### *De Terrenis rebus Inanimis.*

**C**UM jã dicendû sit de rebus, quæ ex Terra, & Aqua gignuntur, notû est imprimis illa aut Animata, aut Inanima esse; Animata verò esse, quæ cum sensu sunt, & vulgò Animalia, Animantesque

dicuntur; Inanima, quæ carent sensu, unde & hoc nomine veniunt cætera, quæ neque Animalia, neque Animanteis dicere licet.

Hujusmodi autem sunt, primùm Succii quidam concreti, quemadmodum Sal, & quod Sulphur gigni, quod Bitumen tætro odore concrefcere in terra videmus. Continent hæc verò non modò calorib subterranei, incendiòrumque ( quale Æthneum jam diximus ) præcipuam causam; sed graveis etiam halitus, qui in sublimis elati, Averna creant, morbòsque inducunt; unde & erit hac de re, cùm de Sublimibus, agendum. De Succino, quo attrahuntur palææ, attingendum erit quidpiam statim pòst.

Sunt deinde ipsa Meralla; quæ tum reperta primùm fuerunt, cùm fylvæ feu fulmine accensæ, feu igne aliunde excitato, indutove arserunt, & factò radicitus incendio cohærentia radicibus Meralla fuere liquefacta, ac tum sui nitore perstrinxere oculos, tum eadem figurâ observata fuere, quâ ipsæ lacunæ, in quas fluentia fuerant excepta. Nempe conjecturam exinde duxerunt, posse eadem vi ignis liquefacta in figuram quamlibet etiam acutum, ac tenuem formari, & ob resumptam soliditatem ad perforandum, ad cædendum, & ad alios usus accommoda fieri.

Prætereo autem, ut non modò Plumbum; sed etiam Aurum, & Argentum, quòd ad istos usus inutiliora reperirentur, neglectiora jacuerint, solùmque Æs in pretio fuerit, ex quo tela, gladij, securæ, vomeres, alia parabantur; donec repertum Ferrum est, ex quo potius ista ob duritiem majorem confici cœperunt.

Sunt rursùs Saxa, Lapidèsque, quòrum multi quidem indies gignuntur, aut è rupibus deripiuntur: sed ipsa tamen rupium, saxorùmque præcipua mòles ab initio usque fuit conformata; cùm & hæc causa ut antè dictum, montibus ansam fecerit, & nunquam non videatur Terra gessisse in gremio, ut flumina, lacunas, ventos, ita & speluncas, & rupeis saxaque derupta.

Cùm soleant verò Lapides ipsa sui duritiæ, soliditatèque discerni, tum prima quasi acie constant & saxa Adamantina sueta, ictus contemnere ( nempe incudibus sic deprehenduntur ut ferrum vtrimque dissulcet ) & validi Silices, ex quibus ferri ictu ignis ideirò evolat, quod semina ignis abstrusa in venis

con-

contineat; neque vis ferri frigida obftet, quin ad ejus ictum excitata concurrant.

Denique sunt ex genere Inanimorum & ipsæ Plantæ, hoc est Herbx, & Arbores. Quippe Anima sine sensu non est, ac videmus eorum, quæ animata sunt, quæque idcirco Animalia, Animantèsque, ut dixi, vocantur; alia donata esse movente, appetentèque Anima, alia etiam ratiocinante; at verò Plantæ nec sensu pollent, nec utavis Anima præditæ sunt, nec possunt proinde Animalia dici.

Ac habent quidem commune quiddam cum ipsis Animalibus, putà nutritionem, accretionem, generationem; verùm ista sponte naturæ, non ductu Animæ peragunt, ac proinde non-nisi imitatione quadam vivere, & mori, sicut Animalia, dicuntur. Unde & quæ dici de istis possent, intelligenda à pari, & proportionè quadam sunt, ex iis, quæ sunt de Animalibus dicenda.

Adderem ut prima sationis, insitionisque origo tum facta fuerit hominibus, cum bacca, glandesque caducæ observatæ fuerunt pullulascere, novasque, & simileis iis, ex quibus essent, Plantas creare; sed rem insinuasse est satis.

## C A P U T V I.

### *De Magnete specialiter.*

**H**Ærendum potius nonnihil est circa rem inanimem quidem, sed admirabilissimam tamen visam: Lapidem intelligo Herculeum, quem & Magnetem dicimus, quod in Magnesia fuerit primùm repertus. Is nempe admirationi habetur, ob singularem illam vim, qua ad se allicit, ac pertrahit ferrum.

Ad explicandum porrò hanc vim, tria, aut quatuor quædam supponenda sunt, quorum unum est, effluere continuò corpuscula quædam ex omnibus rebus; ut quæ ad colorem, & lucem spe-

X x 2

stant,



stant, ex coloratis, & lucidis, quæ ad calorem, & frigus, ex calidis, & frigidis, quæ ad odorem, ex odoris, atque ita de cæteris.

Alterum, nullum esse corpus aded solidum, quod non inania spatiola intercepta contineat: id nempe declarant omnia corpora, per quæ humor manat, aut transudatio fit; per quæ præterit lux, aut sonus; per quæ intimè penetrat aut calor, aut frigus.

Tertium, emissa corpuscula non esse rebus omnibus eadem ratione congrua: Sol quippe emissis à se radiis lutum indurat, liquefacit nivem: ignis Metallum solvit, corium contrahit: humor ferrum calefactum reddit durius, corium verò mollius: oleaster Homini amarissimus, capellæ gustatum delectat: amaracinum Hominis olfactum alliciens, fugat sues, &c.

Quartum, Inania spatiola non esse in rebus omnibus uniusmodi circumscriptionis, quare neque eadem quibuslibet corpusculis accommodari. Nempe id sensum texturæ monstrant; propterea enim quæ corpuscula sensoria ista afficiunt, illa non movent; aut quæ afficiunt ista uno, afficiunt illa alio: itèmq; texturæ cæterarum rerum, quæ eadem sanè non sunt permeabiles iisdem rebus.

Jam ex his intelligitur, posse Herculeum lapidem attrahere ferrum (uti & Succinum paleas) ratione quadam duplici. Nam primùm quidem concipere licet Atomos effluenteis ex lapide ita congruere cum illis, quæ ex ferro effluunt, ut in amplexus facile veniant. Quare & impactas utrimque (nempe in ipsa tam lapidis, quàm ferri corpora concreta) ac resilienteis deinde in medium, circumplicari invicem; & ferrum simul pertrahi.

Quoniam autem videmus fieri, ut ferrum à lapide attractum possit ipsum quoque aliud Ferrum attrahere: an dicemus effluentium ex Lapide particularum nonnullas quidem, ubi ferro occurserint, resilire, & has ipsas esse, per quas suspendi ferrum contingat: nonnullas verò illud subeunteis per inaneis metatulos transire quam-ocysimè, & consequenter impactas in ferrum aliud proximum (cùm illud subingredi omnes nequeant, tamen si prius penetrârint) heinc resilienteis versus prius, complexus alios prioribus consimileis efficere, si quas autem adhuc penetrare

netrare contigerit, posse illas aliud adhuc ferrum pellicere, aliudque adhuc pari ratione ?

Deinde, sic rem concipere licet, ut effluant quidem tam ex Magnete, quàm ex ferro corpuscula, sed plura nihilominus, potentioraque ex Magnete; ex quo fiat, ut aer semper longè magis discutiatür circa Magnetem, quàm circa ferrum, atque idcirco plura circa ipsum, quàm circa ferrum inania spatiola creentur. Et quia cum ferrum collocatur intra discussi aeris sphaeram, multum inanis inter ipsum & Magnetem est interceptum; tunc evenit ut in eam partem corpuscula ferri liberius prosiliant, ac versus Magnetem proinde ferantur; non possint verò majore quadam, insolitaque copiâ eò contendere, quin pelliciant simul cohærentia, atque idcirco totam ferri massam, quæ ex cohærentibus constat.

Dici etiam posset motum ferri, adjuvari ab aère, ob continuam quandam ipsius motionem, agitationemque. Et primum quidem ab exteriori, qui cum semper urgeat & urgeat vehementius, qua ex parte copiosior est, non potest non impellere ferrum in quam partem est parcior, seu inanior, utpote versus ipsum Magnetem: ac deinde ab interiori, qui pari ratione cum semper agitet, commoveat, compellat, non possit non indere motum in quam partem spatium factum est inanius. Sed de Magnete nimis.

## C A P U T VII.

### *De Animalium Generatione.*

**D**icamus jam de Animalibus, quæ tanta varietate sunt (cum alia gradientur, alia etiam volent, alia narent, alia repant; alia majora, alia minora; alia perfectiora, alia imperfectiora; & nos ex illis etiam sumus) quæque aliunde sanè sunt ejusmodi, ut admiranda Naturæ vis in ipsis præsertim eluceat.

Quippe, cum supponendum sit, fuisse Naturam ab ipsis rebus; continuatave rerum serie veluti edoctam, & necessitate quadam, seu motuum concatenatione coactam ad hæc tam multa, tamque varia, quæ appellitamus opera Naturæ, patrandæ: tum ipsum accipiendum præsertim de ipsis Animalibus est; quoniam in illis potissimum ipsa motuum concatenatio, profecta licet ab aliqua rationis experte substantia, effecta est artificialis.

Videlicet, cum Atomis præditæ ex se ratione non sint, & ipsarum motus, quantum est ex se, absque ductu rationis fiant; natura tamen cujusque Animalis talis initio Mundi coaluit, ut pro temperatione motuum, quos tunc subierunt Atomis, alij, alijque sint consequuti, qui pari ratione elicit, pareis semper produxerint: atque ita qui initio casuales fuerant, procedente tempore artificiales, hoc est, certa lege succedentes evaserint; Naturæque proinde iis utens, necessaria quasi doctrina imbuta sensim fuerit.

Verum, ut res paulò uberius dicatur; cum Mundi initio varia Animalium procreata fuissent genera, evenisse primum videtur, ut sumptis alimentis congruis, familiares Atomis à jam inexistentibus attraherentur, irretirenturque (excretis dissentaneis) adeò ut specialis cujusque natura (hujusmodi nempe concretum ex hujusmodi Atomis) adolesceret, ac roboraretur.

Deinde; ut ex Atomorum motione perpetua, ac evolutione intestinâ aliquæ semper sedibus suis emotæ, atque excurrentes in partibus genitales dicta undequaque confluerent, factaque sexuum distinctione, post appetitionem mutuam, complexumque initum, in utero reciperentur.

Tum, ut Atomis aut ex ipsis moleculæ feminæ, quæ ex singulis defluxissent partibus (ex quo debet proinde semen, quasi aliquid incorporeum intelligi, non sanè per se, quia hujusmodi est solum Inane, sed ob familiarissimum vocis usum, quo incorporeum dicimus quicquid facillè per solidissima visa corpora penetrat, ac subit) ut Atomis, inquam, seu moleculæ, quæ sic defluxissent, ideò motione perseverante sese ex confusione subducerent, &, cum similes traherentur, confluerentque ad similes

mileis, idèd, quæ forent ex capite, in unam regionem se reciperent; quæ ex thorace in consequentem, & quæ ex aliis partibus singulis in singulas suas; sicque Animalculum tandem formaretur illi simile, ex quo semina decidissent.

Insuper, ut tale Animalculum suctu similium seu Aromorum, seu molecularum in uterum concurrentium aleretur, & cresceret, quousque uterus lassatus, neque ampliùs nutriendo par, motionibus ejus laxaret habenas, seu potiùs fores aperiret, exitumque permitteret.

Ad hæc, ut istud Animal simili ratione adultum, nec cessante corpusculorum agitatione, consequutionèque, simile aliud gigneret; ipsumque aliud consequenter.

Tandem, ut Natura, paullatim assueta propagationem Animalium generibus similium ita procurare quasi diceret, ut ex motione, ac serie illa Atomorum perpetua necessitatem contraxerit ita continuò operandi.

Atque hæc quidem quòd attinet generationem Animalium, quæ propagatione proveniunt; nam quæ sponte alioquin enasci videmus, possunt ea jam non secùs gigni, ac fuere initio omnia genita; seu remanserit ab usque initio conformata quæpiam eorum semina; seu conformentur etiam in dies aut intra, aut extra ipsa Animalia: &, si intra quidem, dispergantur deinceps foras (ut in erucarum, muscarumque generibus) ac superfint eorum, seu in Terra, seu alibi, quædam quasi reliquæ, ex quibus alia generum eorundem Animalia deinceps gignantur.

Quod porro, inter cætera, de Seminis defluxu dixi, id non mari solùm, verum fœminæ etiam tribuo; quando ipsa quoque emit, cùm adstiteis, testeisve habeat, positione obversa licet, ac propterea appetitione ad venereos usus feratur.

Sanè & hoc videtur esse assumendum, ut reddi causa valeat, cur Mas, cur Fœmina formeretur. Quippe nihil magis congruum dici potest, quàm quòd, cùm foetus ex paterno, maternòque semine constet; si paternum prævaleat, mas; si maternum, fœmina fiat.

Quin-

Quin-eriam causa reddi heinc potest ejus similitudinis, quæ est cum altero, aut utroque parente. Nam, si foemina quidem vi subita commulxit, corripuitque semen masculeum, tum foetus matri similis fit; si mas foemineum, similis patri, si ex æquo uterque, similis utrique, sed mixtim.

Quòd si requiras, cur interdum nascantur filij Avorum, Proavorumque similes: id fieri ex eo videtur, quòd semen ex pluribus contexatur moleculis, quæ non semper exsolutæ omnes ad Atomos usque, proximève ipsas, in generatione prima, proximave aliqua; sese deinceps in aliqua succedentium sic explicent, ut quod potuissent in proxima, id præstent solùm in remota.

At, unde-nam Sterilitas? nempe ex eo, quod semen sit aut æquo tenuius, ut non possit locus adfigere adhæsum; aut crassius, ut ægrè admisceatur. Quippe inter masculeum, foemineumque semina, harmonià quãdam opuse est; exindèque fit, ut persæpe, qui vir, mulièrque inter se gignendi incapaces sunt, gignere seorsim cum aliis possint. Prætereo autem causas aliunde petitas, ut ex alimento; cum aliud esse constet, ex quo crescunt membris semina, aliud ex quo extenuantur, ac tabent.

*Quod heic tribuitur potius casui, naturalique necessitati, quam institutioni Authoris Natura; id, cum indicatis antè locis de Authore, & Rectore Mundi refutatum est, cum pag. 107. & 124. & seqq.*

## C A P U T VIII.

### *De usu in partium in Animalibus.*

**E**X hisce autem sequitur, ut partes Animalium non fuerint ab usque initio, eo, quo sunt, modo conformatæ propter finis, usulve illos, quos habere deprehenduntur (siquidem nulla fuit causa, quæ hoc prospiceret, cum & nihil tale præcessisset, ad quod illa attenderet, ut ex eo conjecturam capiens quidpiam simile destinaret) verùm quia contigit parteis eo, quo sunt, modo

do fieri, aut existere; ideo hosce usus, potiusquam alios obtinere; & prius natæ, fecere posterius utilitatis suæ occasionem, ac insinuavere, dederèque illius notitiam.

Hinc neque fuere oculi ad videndum facti, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque manus ad operandum, neque pedes ad ambulandum; quoniam membra hæc prius nata sunt, quam esset videre, audire, loqui, operari, ambulare; sed ipsorum officia existere ex natis.

Nempe, quia intra ipsum corpus conformata est simul Anima, eaque sensus capax; contingit simul oculum ejuscemodi fieri contexturæ, ut applicata illi Anima, non potuerit sensum videndi non elicere; & aurem ejuscemodi, ut illi adjuncta, non potuerit non exserere auditionem. Et quia concreatus intra corpus fuit Animalis spiritus, impetus, & motionis capax, contigit simul linguam eâ esse ratione contextam, ut ad eam appellens non potuerit eam non movere, & exspiratum simul aërem in vocem non elidere; & manus quoque, ac pedes, & cæteras parteis ea ratione esse dearticulatas, ut in ipsas irruens non potuerit non istam, & illam indere motionem.

Certè, ut vel hoc de Tendonibus, quæ manifesta organa sunt, quibus partes cientur, attingam; perspicuum videtur, non quia ij sunt crassi, actiones esse validas, nec quia tenues, imbecillas; sed actiones quidem ex usibus vitæ, ut tales sint, vel tales, cogi; ipsam verò tendinum molem sequi motionis quantitatem. Qui videlicet excercentur, bene se habent, & incrassescunt, ut par est, qui verò otiosi sunt, non nutriuntur, & extenuantur,

Quemobrem, non quia melius fuerit vehementiorum functionum tendines fortes, crassosque esse, aut imbecilliorum tenuis, debileisque, ita conformati à natura sunt ( utique enim Simiis quoque tales formantur digiti ) verùm, ut dictum prius est, crassities necessariò exercitatos consequitur, eò quòd præclare nutriantur; pigrescenteis gracilitas, eò quòd nutriantur deterius.

Prætereo autem argumentum hisce confirmandis posse ex eo deduci, quòd pleræque partes ad eos interdum usus spectantur,

Yy

ad

ad quos nemo fuisse destinatas dicat; idque ubi illos demonstrat aut necessitas, aut occasio, aut sumpta aliunde quæpiam conjectura. Quo pacto, ne somniasent quidem homines concertare armis, nisi prius prius depugnassent; neque clypeos obijcere, nisi prius vitanda vulnera sensissent; neque apparare lectos molles, nisi terræ prius indormissent; neque pocula conficere, nisi prius manu haurire aquam scissent; neque domos extruere, nisi antro- rum usus illis innotuisset; atque ita de cæteris.

*Adversus hunc errorem differitur fuse. Pag. 148 & seqq.*

## C A P U T I X.

### *De Anima, quæ Animalium internâ est forma, seu nota.*

**N**unc, ut de ipsamet Anima, à qua Animalia & sunt, & dicuntur agamus; illa imprimis est habenda corporea; tenuissimum nempe aliquod utputà ex particulis tenuissimis contextum, corpus. Profectò enim, qui illam dicunt ( etiam citra abusum vocis ) esse incorpoream, ineptiunt; si hujusmodi foret, neque agere quidquam, neque pati posset; neque enim, ut ageret, posset quidpiam contingere, neque, ut pateretur, à quo- piam contingi; sed haberet se, ut merum Inane, quod, ut antè dixi, ejusmodi est, ut neque agere, neque pati quid valeat, sed motum dumtaxat quàm liberrimum pertransuentibus corporibus, præbeat.

Agere porrò, & pari quidpiam Animam, declarant perspicuè ea, quæ circa sensus, affectusque ejus contingunt: motiones item, quibus membra impellit, totùmque Animal intus regit, versat, somnio corripit. Unio universè, & consensus, quâ cum ipso crasso ( quod solet ferè in hoc negotio Corporis nomine intelligi ) conspirat.

Interim verò non abs re dico esse eam corpus tenuissimum; tanquam

quam contextum ex tenuissimis, subtilissimisve corpusculis; que aliunde sint maxima ex parte ut lævigatissima, ita & rotundissima: quippe alia ratione permeare non posset, cohererèque intus cum corpore toto, omnibusque ejus partibus, ut venis, nervis, visceribus, aliis; cum & res manifesta fiat vel ex eo, quod ubi Anima excessit à corpore, nihil delibatum ex toto, neque ad speciem, neque ad pondus deprehenditur; similèque est, ut dum ex vino ipsius flos, spiritusve evanuit, aut ex unguento est odor efflatus: perinde enim moles vini, unguentique se, ac si nihil ex ea deperierit, habet. Aded proinde, ut punctum sit propè, loculusve exilissimus, in quem recipi possit Anima, si totam singas conglomerari.

Cæterum, tametsi ea sit texturæ aded tenuis, non obstat hoc tamen, quin mista, & composita sit ex quatuor quibusdam naturis. Nempe ea concipienda est, quasi quidpiam coalitum, temperatumque ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam flatuoso, & ex quarto innominato, unde sentiendi vis illi insit.

Ratio verò est, quia cum moribundos tenuis quidam deserat flatus; talis flatus sit calori commistus, & calor secum aëra trahat, quod nullus calor sine aëre sit. Habemus jam tria, ex quibus Anima contextatur; & quia nullum est horum trium, à quo esse motus sensiferi possint; ided admitti debet quartum, tametsi expers nominis, cui sentiendi vis attribuat.

Confirmari autem res ex eo potest, quod flatus quidam, seu quasi aura, atque ventus, sit ipsi corpori causa motus, aër quietis, calidum illius caloris, qui in eodem cernitur; at esse præterea quartum debeat, quod sit causa ipsius sensus.

Quin-etiam, cum necessitas istius quarti perspicua sit; Ita aliunde, qua cor ferviscit, & micat ardor ex oculis, inesse calorem convincit; Formido horrorem ciens in membris, auram frigidam, copiosamque prodir; & tranquillus pectoris status, vultusque serenus aërem demonstrat.

Ex quo fit proinde. ut in quibus animalibus dominatur calor, ea sint iracunda, ut leones; in quibus aura frigida, ea sint timida; ut cervi: in quibus portio aërea, ea sint magis placida, ac



veluti media inter leones, cervosque, ut boves. Quod idem quoque Homines inter observare discrimen licet.

Denique autem, utcumque res mixta, compositaque Anima sit; & quotum illud innominatum, seu sentiendi vis principatum inter parteis teneat (nempe Animæ quasi Anima est, quod Anima ab ipso habeat, ut Anima sit, ipsaque Animalia tanquam interna eorum forma, essentialisque nota discernat à cæteris rebus) nihilominus hujusmodi partes aded perfectè temperantur, ut inde fiat una quædam, eaque ut tenuissima, ita & coherentissima substantia. Neque enim, donec Anima in corpore constat, secerni illa quatuor à se invicem magis possunt, quàm à quolibet viscere, aliavere, odor, calor, sapor, qui insunt ab ipsa natura.

Cùm verò hujusmodi substantia in ipso corpore contineatur, & quasi cum ipso cohærens, ab eo veluti sustentetur: tum ipsa & causa est illi omnium facultatum, passionum, ac motuum, & vicissim ipsum continet, ac regit, estque ipsi proinde salutis, & incolumitatis causa: neque enim magis secerni à corpore sine illius dissolutione potest; quàm è thure odor evelli, quin ejus natura intereat.

Nihil est interim necesse admoneam, videri abs re quempiam Physicorum existimare totidem esse parteis Animæ, quot sunt corporis, quæ alternis mutuo applicentur: quoniam, cùm Animæ substantia res sit aded tenuis, moles corporis aded crassa; debent sanè illius principia esse ut tenuiora, ita & pauciora, quam ipsius corporis; aded ut non utique singulæ singulis, sed pluralium molecularium, ac veluti aggerulis dumtaxat singulæ cohæreant. Quo fit, ut interdum neque adhæsum pulveris, gressumque culicis supra corpus sentiamus; neque item nebulam noctu, neque fila aranei obvia, neque incidenteis in nos plumas, pappos, id genus alia: utque aded ciendum sit nobis corpuscula Animæ complura ipsis corporis partibus immixta, priusquam quidpiam sentire contingens, concutiensque possint.

Notandum est porro esse aliquam internam in corpore partem ejusmodi temperaturæ, ut qua Anima illi hæret, eximium quoddam

dam complementum, quo perficiatur, accipiat. Huiusmodi verò complementum ipse est Animus, Intellectus, Mens, seu quam vulgo Animæ partem Rationalem appellamus: idque quod, cum cætera toto fusa corpore Animæ pars Irrationalis sit, ipsa sola ratiocinetur.

Cum sit vero Pars Irrationalis duplex, Sensus nempe, & Affectus, seu Appetitus, & medio quodam modo se Animus habeat, quoniam & Sensem habet prævium, ut de rebus iudicium ferat, & Appetitum consequentem, ut suo iudicio illi præluceat: idèd cum dicendum de singulis sit; ab ipso exordium est Senu.

*Quod hic de natura Anima corporea habetur, quatenus etiam ad Rationalem ab Epicuro extenditur, refutatum habetur. Pag. 26. & seqq.*

## C A P U T X.

### *De Sensu, qui est Anima quasi Anima, universè.*

**I**Taque, ut de Sensu primùm universè quidpiam dicamus, observandum est Animam sic eùm obtinere, ut tam ad habendum, quàm ad utendum, corpore indigeat; quippe à quo interim contineatur, & quicum operari valeat. Cum verò corpus illi præstet, ut sentiendi causam possideat, ac uti illa valeat; efficitur quidem & ipsum huiusce effectus ab ea pendentis participes (sentit scilicet) at non tamen omnium, quæ illius sunt, ut tenuitatis, & similibium.

Quò minùs sanè mirum est, si discedente Anima corpus expers sensus remaneat: neque enim ipsum ex seipso facultatem hanc possidebat; sed apparabat solùm illam Animæ congenitæ sibi, quæ per facultatem in ipso colloboratum, actum sentiendi pro speciali sua motione exserens, tum sibi ipsi, tum illi quoque sensum, ob viciniam, cohæsiõnemve mutuam, atq; consensionem tribuebat.

Heinc proinde fit, ut intelligamus, non Animam solam, aut corpus solum per se sentire, sed utrumque potius conjunctim. Quippe & quamvis ipsum sentiendi principium sit in Anima : si quis tamen renuit ipsum corpus unà sentire, & credit Animam toto permistam corpore, posse per se hunc sentiendi modum suscipere; is rei nimisquàm manifestæ repugnat.

Dicere profectò, quod aliqui faciunt, non oculos ipsos quidpiam cernere, sed Animam solam per ipsos, ut per reclusas fores videre; non est advertere, si oculi quidem pro foribus sint, fore ut oculis exemptis, res debeant longè melius, tanquam foribus sublatis, spectari.

Enimverò, cùm difficultas hoc loco præcipua videatur, qui fiat, ut res sensibilis, sive sensus capax gignatur ex principiis, quæ planè insensilia; sive sensus expertia sint; idcirco adnotandum est, deberi hoc certæ, ac speciali eorum Principiorum magnitudini, figuræ, motui, positioni, ordini; prorsus, ut antè est declaratum, cùm de Qualitatibus ageremus. Nempe facultas sensus una est qualitatium, quæ, ut appareat, ubi non fuerit, fieri exigit adjectionem, detractionem, transpositionem, ac uno verbo, novam texturam, quæ id, quod præcedens, non poterit, præstare valeat.

Id tertè imponere non debet, quòd lapides, ligna, glebæ, aliæ res commistæ non sentiant; quippe, ut Qualitates aliæ, ita, & ista non ex qualiber, aut quorumlibet missione creatur; sed refert omnino, & quantula principia sint, & quibus prædita figuris, motibus, ordinibus, cæterisque adjunctis. Ex quo efficitur, ut glebæ etiam, & ligna, aliæque hujuscemodi, ubi & imbribus putrefacta, & calore Solis tepefacta commutatos habuerint partium situs, ac ordines, in vermeis, aliæque sensilia vertantur. Potest res sanè intelligi ex alimentis variis, quæ Animalium corporibus applicita, varièque immutata, haud secùs evadunt ex insensilibus sensilia, ac ligna applicita igni ex non inflammatis flammantia redduntur.

Acut appareat, quàm abs re aliqui contendant Principia, ex quibus est sensus, ac res sensibilis, debere esse sensilia, ecce, si illa ejusmodi sint, erunt igitur sanè mollia cùm nulla res dura, soli-

solidave sit capax sensus. Quare &, ut superius arguimus, erunt corruptibilia; quoniam nisi solida sint, distrahi possunt, atque idcirco naturam suam amittere; cum debeant tamen rerum Principia, ut jam aliquoties inculcatum est, incorrupta perseverare.

Confirmatus autem, quia si Principia esse admittantur incorrupta, haberi sensilia non valeant, neque ut partes, quia partes separatæ non sentiunt; neque ut tota, quia hoc modo essent quædam Animalia, ac idem mortalia, sive rursus corruptibilia; quod adversatur suppositioni. Quin-etiam licet admittantur, & quasi Animalia, & immortalia simul; tum nullum Animalium, qualia jam visuntur, gigni poterit (quod nimirum sit sui generis, coalitumve in unam speciem) sed acervus solummodò variorum Animalculorum.

Hicce adjice, quod si res, sensiles cum sint, gigni ex sensilibus debeant, hoc est, similes ex similibus, necesse sit ergo, juxta ante-dicta, Hominem, verbi gratiâ constare ex principiis, quæ ipsa rideant, plorent, ratiocinentur, quæ de mistura proinde rerum, deque seipsis differant, requirentia ex quibus constent; quippe ipsa similia facta rebus corruptibilibus, constare quæque ex aliis debent, quæ ipsa rursus ex aliis sint, aliisque in infinitum.

Quod superest, cum notum sit esse in corporibus Animalium quinque diversa Sensoria, sive organa, quibus Anima (seu quæ est in ea sentiendi facultas) res sibi objectas, seu sensibilibus diversimodè, hoc est, vivendo, audiendo, olfaciendo, gustando, tangendo, apprehendit, ac sentit; idem nihil vetat quinque Sensus admittere, videlicet Visum, Auditum, Olfactum, Gustatum, & Tactum.

Universè autem diversitas hæc ex eo oritur, quod partim colorum, visibiliùmve rerum species, itemque soni, odores, saporès, & qualitates cæteræ texantur ex corpusculis, quæ sint magnitudinibus, figuris, positionibus, ordinibus, motionibus specialibus donata; partim ipsa Sensoria visus, auditus, & aliorum sensuum contexturæ, sint intercipientes ea spatiola, seu eos poros, meatulòsve, qui sint quoque ipsi suarum magnitudinum, figurarum, positionum, ordinum, atque aded, ut varia sunt, ita varias concinnitates,

tates, proportionalesque tueantur, quibus conmensurentur variis qualitatum corpusculis, sicque & isti illa, & illi ista admittere in sese possint. Unde & fiat, ut corpuscula solum, ex quibus species colorum constant, penetrare possint in sensorium visus, ipsumque adeò commovere, & afficere; non item verò corpuscula; quæ sola, ac solummodò subire possunt, ac movere, & afficere sensorium auditus; neque rursus alia quæ sola, ac solum sensorium olfactus; atque ita de cæteris.

Exinde verò etiam fit, ut cum observemus non modò diversa inter se Animalia, sed homines etiam, non iisdem sensibilibus rebus affici: intelligi liceat esse in ipsis non uniusmodi contexturas; & cum in confusis, simulque permixtis corpusculis omnibus comparatum sit à natura, ut alia aliis congruant; idè neque ejusdem qualitatis impressionem, apprehensionemque, seu sensationem in omnibus fieri; neque subjectum sensibile afficere pari modo omnes quibuslibet partibus, sed singulos quosq; iis solis, ad quas prout incurrerint, concinnatim habuerint sensum.

Nihil heic subjiciendum est de communibus sensibilibus, cujusmodi sunt Magnitudo, Figura, Motus, alia, quæ pluribus sensibus possunt percipi; quòd sufficere ea, quæ de ipsis in Canonica attigimus, possint.

## C A P U T X I.

### *De Visu, deque Simulacris in ipsum incur- rentibus.*

**C**UM deinceps pauca dicturi de Sensibus singulis simus, ita exordium à Visu est, ut cum illius organum esse Oculum manifestum sit; reputate oporteat idè externas rerum facies, formasve à nobis videri, quod aliquid extrinsecus ex ipsis ad nos, seu in oculum allabatur. Verum priusquam ostendamus id esse longè probabilius, quàm quod ab aliis assumitur, declarandum est an, & quale sit, quod ex rebus adveniens allabi in oculum censemus.

Dici-

Dicimus itaque imprimis nihil repugnare quòd minùs fiant è corporibus extimis effluxiones quædam avolantium continenter Atomorum, in quibus idem positus, idémque ordo, qui fuerit in solidis, superficiebusve ipsorum servetur; ut tales proinde effluxiones sint quasi formæ, sive effigies, & imagines corporum, à quibus dimanant, & delineatione iis consimiles, superent longè suâ tenuitate quicquid est rerum conspicabilem. Tales certè sunt formæ, sive effigies, & imagines, quas nobis est moris, ut Idola, seu Simulacra appellitemus.

Etnon repugnat quidem etiam formari in aëre medio, circumfusove spatio hujuscemodi quasdam contexturas; uti neque esse repugnat quasdam in ipsis rebus, & maximè in Atomis dispositiones ad operandum ejusmodi spectra, quæ sint quasi quædam meræ, inanésque cavitates, & superficiales, profunditatisque incomplete, tenuitates: verùm nos hoc loco de iis loquimur, quæ quasi membranulæ, pellésve, aut exuviæ quædam è corporibus deripiuntur.

Non repugnare porrò aliqua ejuscemodi simulacra deripi, atque avolare ab extimis corporibus, ex eo insinuat, quòd cum semper ab intimis corporibus aliquid effluat, odor, calor, frigus, &c. ut antè quoque attigimus; proclivius sit longè effluere, deripive ab extimis; quia cum Atomis tam illeic, quàm heic in perpetuo nisu sese extricandi, & abeundi sint, illeic tamen quasi obductis, obstet aliquid; heic verò, tanquam in prima fronte locatis, nihil sit, quod obstet. Ut præteream fieri quoque heinc posse, cur avolantes ex superficie, eundem ordinem, sitúmque inter se, quem in ipsamet superficie obtinuerint, servent; non servent, quæ internè prodeunt, quòd non possint non variè, obductus varios conturbari.

Deripi autem, ac dari reipsâ effluxiones hujuscemodi, probari ex eo quidem possit, quòd dum vela rubra, alteriúsve coloris, theatris intenta Solariluce perfunduntur, ea fiat ex ipsis dereptio, & emissio, quâ conclusa intùs omnia colorentur: verùm abundè est experientia ab ipsis sumpta speculis; quòd vel ipsa sola demonstrent emitti reverâ, transferrique simulacra ab usque corporibus, quatenus, ipsis præsentibus, appellant in specula; re quapiam interpositâ, à progressu in specula arcentur; ac si moveantur corpora,

Zz

mo-

moventur & ipsa; si invertantur, invertuntur; si discedant, abeunt; si absint, sunt nulla.

Cum nullum sit verò punctum temporis, quo non in medium simulacra hæc prodeant; debet sanè eorum procreatio temporis puncto fieri, esseque ad ipsam superficiem jugi fluore indelinens; propterea enim discerni sigillatim non possunt, quòd uno simulacro abeunte, aliud cohærenter succedat, inque ejus locum veluti suppleatur, ac servet continuo eundem Atomorum ordinem & positum, qui in ipsa solidi, sive corporis superficie fuerit, idque in multum tempus, multamve distantiam (tametsi tandem confunduntur) ac fiat exinde, ut corpus semper iisdem cum adjunctis, eademque forma appareat.

Dico autem hoc loco Formam, quæ est ipsius corporis propria, ac esse intelligitur quasi collectio partium certo ordine positarum; vel quasi superficies, quæ relinquitur ab avolante simulacro.

Mirum videri interim potest, quòd, quasi nihil delibretur, corpus nihilo deminutum appareat. Sed facit nempe tenuitas, quam incomparabilem jam dixi, quæque intelligi nisi ex Atomorum perspecta tenuitate non potest. De hac porro dictum superius circa Animalculum ejus parvitatibus, ut pars ejus tertia si esse supponatur refecta, inconspicua sit; & quod tamen, ut eas quas obit, animaleis functiones eliciat, contexi ex iis partibus, particulisque debeat, ad quas conformandas vix innumeræ Atomorum myriades sufficiant.

Quare & heic prætereo illam conjecturam, quæ ex eo desumi posset, quòd multæ odoræ sint res, è quibus tametsi indelinenter aliquid effluat, nihil in longum tempus neque ad speciem, neque ad pondus deminutum appareat: idque, cum factæ effluxiones longè sint ut crassiores, ita copiosiores ipsis simulacris; quæ simul cum ipsis excedentia, tantula pars tamen excedentium sunt, ut nemo assequi, diceréque possit.

Mira quoque videri potest avolantium celeritas, sed intelligi nempe illa debet ex declarata superius celeritate Atomorum. Quippe cum ob eam tenuitatem, de qua dictum mox, simulacra nihil aliud sint, quam texturæ quædam Atomorum simplicium, ea celeritas ipsis competit, quæ captum omnem fugiat, habentibus trajectionem omnem per circumfusum, transparentemque spatium, consimilem

lem illi, quæ per spatia illa infinita est, quandoquidem non admodum differt, seu nulla, seu pauca retundentia sint, quæ ipsis per spatium circumstans occurrant. Certè, cum lux Solis, Siderumque aliorum observetur tanta cælitus celeritate advenire, debet non minor, nisi etiam major, simulacrorum celeritas, propter Atomos in fronte paratas, & ob nullam causam remorantem esse.

## C A P U T XII.

*Peragi Visionem intercedentibus hujuscemodi  
Simulacris. -*

**H**ic præmissis, cum aliqui sentiant res externas, ac diffitas idcirco à nobis videri, quod illæ nobis imprimant, quasi sigillatione quadam, sui, colorisve, atque formæ speciem, intercedente aëre, qui inter ipsas, & nos est, tanquam organo, quo sigillatio peragatur: alii autem id existiment fieri intervenientibus radiis, aut effluxibus aliis quibuscumque ex nobis, oculisve nostris ad ipsas promanantibus: attamen longè est probabilius, peragi rem per simulacra, cujusmodi descripta sunt, quæ nempe advenientia ex rebus, coloreve, & forma ipsarum incurrant in nos, & servata congrua magnitudine, celeriterque admodum translata, in oculum subeant, visumque percillant.

Sane illa quidem Sigillatio res & nimisquam operosa, & inexplicabilis est; & ad effluxionem ex oculis quod spectat, dici non potest, quid specula, ut in ipsis quoque simulacra pingantur, emittant; neque quid id sit, quod ex oculo in totum usque Cælum momento mittatur.

Ut præteream, cum in audiendo, odorando, gustando, tangendo, nihil è nobis emittamus, sed accipiamus extrinsecus, quod sensum sui moveat ( quippe & ad aureis vox ultrò venit, & auræ in naribus influunt, & palato ingeritur, quod gignat saporem; & corpori nostro applicantur tactu sentienda ) promptum est intelligi, non aliquid foras nostris ex oculis proficisci; sed aliquid ex ipsis



rebus , earum putà imagines in oculos ultrò meare.

Non potest verò Anima, quatenus adest oculis, non videre, hoc est, non apprehendere colorem, formamque extimam ejus rei, quæ ipsi objicitur, quod propter ipsam organi tersam, perspicuamque texturam, excipiat rei imaginem, & ab ipsa secundum omneis objectas parteis percettatur.

Certè & cùm res pulchræ sint, quæ visum permulceant; ac scædæ, quæ offendant; qui fieri id posse putemus, nisi quia venientes ex illis imagines ex iis constant corpusculis, quæ lavore suo oculi texturæ accommodentur placidè; venientes ex his illis constent, quæ squalore suo texturam discerpant?

Et cùm oculus ictero laborat, qui fieri potest, ut omnia conspecta lurida appareant; nisi quia imagines in ipso sui in oculum appulsu tingantur, aut tingantur etiam extra oculum, dum luroris corpusculis simulacrisve, quæ ex oculis pari ratione prodeunt, incurrunt?

At, quorsum non modò corporis colorem, formamque videmus, sed videmus etiam, internoscimusve illius distantiam? nempe hoc pendet ex aère, quem imago ante se protrudit. Quippe licet celerimè, imperceptòque tempore appellat, oculumque pertergeat, antequàm imago adveniat; appellit nihilominus, pertergitque ex ordine, & quantò id facit longiùs, tantò res apparet distare remotiùs; quantò brevius tantò propinquiùs.

Valet verò hoc etiam, ut causa dicatur, cur Imago videatur ultra speculum: quoniam, ut cernenti è loco intra ædificium rem, quæ foris sit, appellit aër tum exteriùs ad usque limen, tum interiùs ab usque limine procusus: ita in speculum inspiciunt appellit tum is, qui à speculo in oculum est: tum is, qui à re usque ad speculum succedenter.

Quin valet etiam, ut dicatur, cur ex tenebris ea videantur, quæ in luce sunt; non item ea, quæ sunt in tenebris, ex luce. Quippe lucido aère post tenebrosum succedente, potest oculus illo informatus, videre: non potest verò tenebroso succedente post lucidum.

Quorsum-nam verò simulacra intra speculum incedere nobiscum videntur? nempe ob variatas parteis speculi, ex quibus aliis, ac aliis necessarium est reflexionem in oculum fieri, ac proinde imaginem progredi nobiscum videri.

Quòd

Quòd si requiras, cur quæ à nobis appellit speculo imago, non posticam partem, sed anticam; ac ita quidem, ut dextram lævorsum, & lævam dextrorsum exhibeat? observandum est idem illi proportionem contingere, ut si cretea, fistilifve persona non indurata, sed mollis adhuc, ad globum, eolumnamve allidatur.

Notum est interim, si imago ex speculo in speculum, & porrò in oculum reflectatur, partium situm ita restitui, ut dextra dextrorsum, læva lævorsum appareat (imò & posse hac ratione fieri, & multiplicatis præsertim speculis, ut quæ sunt retrò abdita in prospectum quasi educantur) quod etiam contingere potest, vel ex uno speculo, si latiscula habeat, quorum unum imaginem ex alio acceptam reflectat.

Verùm ista quidem de Visu; cùm & huc faciant aliqua, quæ attigimus cùm & de Criteriis, & de Qualitatibus ageremus.

### C A P U T XIII.

#### *De Auditu.*

**C**irca Auditum, id repetendum, quod suprà quoque attigimus; cum Aurē esse organum illius in confesso sit, quemadmodum Visio fit ex quapiam re adveniente in oculum: sic Auditionem peragi in aure, affluxu aliquo translato ex eo usque, quod loquitur, aut resonat, aut strepitum edit; aut quomodocumque ad sensum auditus excitandum est comparatum. Hujusmodi autem effluxus, quatenus eo sensus afficitur, appellatur Sonus.

Porrò & hic effluxus aut in ore loquentis, aut universè in respulsata, strepitumque edente, in frustula innumera similis figuræ comminuitur (dico autem similis figuræ, orbicularia orbicularibus, & quæ sunt laterum inæqualium, ac triangularium iis, quæ, ejusdem sunt generis) id videlicet instar guttularum, quas fieri in effusione utrius, & in exsufflatione fullonum in vesteis, observare licet.

Scilicet ist hæc frustula, seu moleculæ mavis, ita deinceps dispergantur, ut & servent inter se mutuam aliquam convenientiam (ac

varios proinde auditus pari ratione feriant, fiatque aded ut videantur sonum audire numero eundem, tamen si non sit plusquam similis) & maneat in se unaquæque speciali coherentiâ, qua efficiatur, ut agnoscantur ad illud spectare, à quo sint emissæ; & talem sensationem ut plurimum creent, qualis ab illo, quod sonum emisit, apparatus est (ut dum sonus propè, liberòque spatio incurrit in aurem) sin minus (ut præ intervalli magnitudine, aut intersepto aliquo) confusè solùm aliquid exterius sonare insinuet. Quippe absque translata quadam, & à sonante usque re servatâ convenientiâ, coherentiæque, non fieret unquam ejusmodi, quæ esset distincta auditio.

Neque verò est, cur existimemus, cum semel vox, exempli causâ, emissâ in aërem est, ipsum deinceps aërem aut ab ea, aut ab aliis ex ea creatis configurari, conformarive in simileis, quæ, ut aliquis ait, perinde unâ avolent, ut juxta Proverbium, *Graculus cum graculo volat* (quippe nimio foret molimine opus, si aër quidem ad tale quid subeundum destinatus foret) sed simul, ac in nobis fit ictus, quando vocem emittimus, ipsam talem ex certis quibusdam spiritualis, subtilissimive effluxus frustulis seu moleculis ad hoc idoneis articulari, & appulsu ad aureis factò, auditionem in nobis creare.

Quòd tales porrò moleculæ in aurem subeuntes figuratæ sint, vel ex eo potest argumentum duci, quòd sonus non possit auditum jucundè, molestève afficere, nisi quia est aut eo lævore præditus, qui organi texturæ sit accommodatus; aut ea scabritie, quæ organum dilaceret. Res profectò videtur posse haud malè intelligi, si quis horrorem ferræ stridentis conferat cum dulcøre chelyos, vel raucum corvi bombum, cum suavi cantu cycni moribundi.

Ut non repetam autem ea, quæ facere huc visa, dicta antè jam sunt, difficultatem solùm attingo; unde fiat, ut noctu voces magis sonoræ sint, & simul cum magnitudine claritatem purè conservent? ad hoc autem id assumendum, quod constat ex superius dictis; motum scilicet fieri per Inane; & multum Inane interspersum esse corpusculis, seu moleculis aëris, quæ sunt ex Atomis contextæ; addendumque, dum interdiu est calor, & moleculæ hæ rarefcunt, diffundunturque Atomis, intercepta illa inania spatiola angustiotà necessaridè fieri; dum verò noctu viget frigus & moleculæ comprimuntur, con-

con-

constipanturque Atomi , fieri patentiora. Res scilicet constat in omnibus rebus , quæ dum intra vasa effervercunt , emollescunt , liquescunt , ampliorem locum occupant , quàm dum refrigescunt , in se redeunt , & contrahuntur.

Exinde ergo efficitur , ut progressa interdiu vox per dilatatum aërem , & incurrens in multa , creberrimæque corpuscula , aut obtundatur penitus , aut discerpatur , & multum , varièque elidatur detratúrque , at noctu progressa per liberum à corpusculis intervallum , pleno , expedito , & inoffenso cursu ad auditum perveniat , & una cum celeritate , claritatem quoque , & distinctionem servet.

Ex eodem certè capite est , cur pulsata vasa vacua resonent , plena muta sint , quodque corporum solidiora , ut aurum , sonum exilem , & obscurum edant ; laxiora , ut æs , insignem , & clarum.

## C A P U T XIV.

### *De Olfactu.*

**A**D Olfactum quod attinet , existimandum est Odorem , ut proportione circa Auditum , de voce , aut sono declaratum est , non facturum ullam sui impressionem , nisi ab odora re usque deferrentur moleculæ , seu corpuscula quædam ea ratione commensurata ipsi Olfactus sensorio ( quod ipsas esse nareis constat ) ut moveant , & afficiant ipsum.

Effluere certè , recederéque à rebus odores , vel id unum arguit , quod omnia habita odora , oleant magis fracta , contrita , igne exsoluta , quàm integra ; nempe quia seges corpusculorum idoneorum , quæ olfactum moveant , quasi intra corpus odorum stipata , revinctaque tenetur ; & corpore fracto , contrito , cremato , halitus , sive fumi instar profilit , ac effunditur , & olfactum afficere , si in eum inciderit , potest.

Afficere porrò ipsum solet , aut perturbatè , ac discrepantè ; ex quo odores ingratisunt ; aut placidè , & accommodatè , ex quo sunt odores jucundi. Nimirum intelligi oportet , quia nonnullæ moleculæ ,

culæ, sive corpuscula odoris æquabili sunt, & accommodata suæ perficiæ; nonnullæ æquo pluribus, majoribusve angulis, heinc fieri ut alii odores organum, quasi demulcendo, voluptate afficiant; alii, quasi dilacerando, dolore quodam exacerbent.

Alio certè modo se habeant oportet, quæ odoris corpuscula penetrant in nareis, cum torrentur cadavera, & cum scena est Cilici croco recens perfusa; resque ea ratione potest concipi, ut quemadmodum manus, dum admotâ lanugine, ipsam premit; admotâ urticâ, ab ea resilit; nempe illeic lævor, heic asperitas (seges putà illa aculeorum) oppositis afficiunt modis; ita oporteat corpuscula, quæ ex croco prodeunt esse lævia; quæ ex cadavere, aculeata; ut illa deliniant, alliciantque nareis; hæc compungant, & retrò pellant.

Quin-etiam, cum sint inter se tam varia Animalium temperamenta (imò & Hominum quoque inter se) ac aliis aded alia sit organi olfactus textura; mirum videri haudquaquam debet, si alii odores aliis placeant, ob figuras dissimileis corpusculorum, ex quibus constant; atque idcirco, si apes delectentur floribus, vultures cadaveribus; itemque, si canes percipiant quæ feræ transierint, quod ipsi non percipimus; quasi quòd illæ in transursu exhalatum reliquerint, non perinde nostrum percellat olfactum.

## C A P U T X V.

### *De Gustatu.*

**D**E Gustatu idem dicendum: scilicet, cum constet ejus organum esse Linguam, atque Palatum; ac nos tum gustare, sentireve in ore saporem, cum cibum mandentes, ita succum exprimimus, ut dum spongiam aquâ combibitâ comprimimus manu; succusque expressus interim per poros, seu plexa foramina linguæ, perque palatum diditur: tum asseri generatim posse, esse illum saporem dulcem, cujus corpuscula illi leniter, placidèque accommodantur; illum amarum, salsum, acrem, acidum, acerbum, auste-

austerum, &c. quæ asperiter, atque discrepante. Neque enim possunt mel, aut lac, jucundo linguæ sensu tractari, ingrato absinthium, aut centaurion; nisi quia illa constant ex corpusculis magis lævibus, ac rotundis; ista ex asperis, & hamatis magis; ut illa proinde suaviter attingant, ista compungant, & lacerent.

Quò fit, ut is rem non incongruè definiat, qui rotundas esse, congruaque mole Atomos, quæ Dulcem faciunt saporem dicit: magnâ figurâ, quæ Acerbum; multangulâ, minimèque orbiculari, quæ Asperum: acutâ, conicâ, incurvâ, non tenui, non rotundâ, quæ Acutum: orbiculatâ, tenui, angulatâ, incurvâ, quæ Acrem: angulatâ, distortâ, crurumque æqualium, quæ Salsum: rotundâ, leni, distortâ, parvâ, quæ Amarum: tenui, rotundâ, parva, quæ Pinguem.

At speciatim, cum sint tam varia, ut Animalium, sic Hominum temperamenta inter se; & cum, ut differunt inter se extremis lineamentis corporum, non possint non similiter differre internis texturis: idèd dici potest Sapores, qui grati sunt istis seu Animalibus, seu Hominibus, esse ingratos illis, quòd corpuscula, ex quibus sunt, texturæ organi illorum congrua, & accommodata sint; incongrua, & incommoda, texturæ organi istorum. Videlicet quatenus possunt qui in isto organo sunt meatuli rotundi, Atomos rotundas leniter excipere, triquetras discrepante: qui in illo sunt triquetri, leniter triquetras, discrepante rotundas.

Intelligitur quin etiam ex his, quæ fiat, ut ea per febrem, quæ prius placebant, displiceant. Nempe, quia textura conturbata est, & commutata proinde pororum figuratio, non possunt figuræ corpusculorum subeuntium, quæ prius congruebant, non esse incongruæ.

Pari etiam ratione, quæ fiat, ut cibus uni Animali salutaris, alii acre venenum sit; veluti cicuta, aut veratrum, quod exitio est homini, & quo tamen capræ, coturnicesque pinguescunt. Id videlicet evenit, propter texturas intimas, quæ diversæ inter se cum sint, potest, quod uni accommodum sit, alteri incommodum esse.

## CAPUT XVI.

## De Tactu.

**D**Enique de Tactu, non illo profectò, qui communis est omnium corporum, quatenus contingere se suis superficiebus invicem dicuntur (secus scilicet, ac Inane, quod nec tangi potest, neque tangere) sed de illo Animalium proprio, qui non sine Animæ perceptione est, & non unam corporis partem, sed omneis pro organo habet: de huiusmodi, inquam, Tactu subijcio dumtaxat, illud, quod ab ipso percipitur, percipi trifariam.

Nam imprimis quidem res Tactu sentitur, cùm applicatur exteriùs, seseve exteriùs insinuat. Applicatur, inquam, ut cùm manus sentit lapidem sibi applicitum; humerus impositum onus. Insinuat, ut cùm re calida emittente calorem, aut frigida frigus, subeunt in poros corpuscula, quæ pro eo statu, quo fuerit corpus, ipsum recreent, aut offendant.

Deinde, cùm res, quæ interiùs est, egeritur foras; ac fit interdum cum voluptate, maximèque cùm oneri est, & incommodat, ut dum semen excernitur; interdum cum molestia, ut dum propter corpusculorum angulos, meatum excoriat; quemadmodum per stranguriam, urinæve difficultatem.

Postremò, cùm res intra ipsum corpus eos motus subit, ut arietando, diducendo, distrahendo, convellendo, compungendo, radendo, excoriando, inflando, tendendo, rumpendo, aliisque modis innumeris constitutionem genuinam turbet, confundat, & concitet sensum. Quo modo omnes & capitis, & aliarum partium dolores internè creantur, Animalque seipsum perinde afficit, ut si quis manu propria partem quamlibet sui corporis feriat.

## CAPUT

## CAPUT XVII.

*De Animo, seu Intellectu, Mente, Ratione illiusque Sede.*

**E**T hæcenus quidem de Sensu. Dicendum jam de Animo, qui & Intellectus, Mens, Ratio, & Rationalis, principisque pars appellitari passim solet. Quin dicitur etiam plerumque Cogitatio, Imaginatio, Opinio, Consilium; ac illius est proprium, feriente etiam sensu, cogitare, quidpiamve apprehendere, intelligere, versare, meditari, discurre, deliberare.

Par est verò Animi texturam constare ex corpusculis omnium subtilissimis, lævigatissimis, rotundissimisque. Scilicet, quòd esse nihil possit ut tenuius, ita mobilius: neque enim res ulla est, quæ se ocyùs percieat, celeriusve quid faciat, quàm Mens, quæ si quid proponat, inchoetque ipsa, momento exsequatur. unde & in confesso sit, nihil fieri ipsâ ejus actione, seu cogitatione celerius.

Et sanè, ut aqua est longè mobilior, fluctuantiorque, quàm mel, quòd ex corpusculis magis lævibus, magis parvis, magis rotundis contexta sit; congruum est nullam rem constare ex rotundioribus, minoribus, lævioribus, quàm Mentem; quando res nulla esse mobilior, agitabilior, flexibilior potest.

Et in qua quidem corporis parte hæret Animus, ita cohæret Animæ, ejusve portioni eadem in parte coëxistenti, ut conjunctus ipsi individue sit, unamque naturam cum ipsa conficiat: verùm suam semper naturam ita tuetur, ac retinet, ut ejus proprium sit cogitare, Animæ verò affectus subire; utcumque propter cohæsiõnem & cogitare Anima, & affici Animus censeatur.

Nempe Animus quidem affectus, sive passionis expers est; at quia ut passiones à sensu pendentes excitantur in Anima ad eas parteis, in quibus est sensus, ita ex, quæ pendent à cogitatione, in ea excitantur, ad quam partem cogitatio est, & ad quam Anima res una cum ipso Animo cogitante est; efficitur, ut quasi aggregatum, quod in illa est parte, ex Animo, & Anima, unicus esset Animus, Animo quoque passiones tribuantur.



Heinc, seu divisim, seu conjunctim accipitur Animus, id saltem habet proprium supra reliquam partem Animæ, ut, sicut dum caput, aut oculus dolet, non idcirco toto conruciamur corpore; sic aliquando Animus dolore afficiatur, aut lætitia; cum cætera pars Animæ per corpus diffusa tali affectu caret. Aliquando, inquam, quia fieri potest, ut Animus eâ percellatur metus vehementiâ, quâ reliqua Anima unâ concutiatur, ac inde excitetur sudor, creetur pallor, infringatur lingua, oculi caligent, aures sonent, succidant artus, Homo denique concidat.

Quin- etiam, potest Animus censerî ad vitam dominantior, quàm Anima, reliquave Animæ pars; quatenus Anima in membris ne minimum quidem residere potest sine Animo: Animus autem cæsis circum membris, circumcisaque aded plurima parte Animæ, ita superest, ut vitam tueatur; planè ut pupilla ad visionem conferentior est, quàm reliquus oculus; quatenus læsâ pupillâ, incolumibus licet aliis partibus, visio perit: salvâ pupillâ, corruptis licet aliis partibus, visio constat.

Videtur porrò Animi, Rationalisve partis sedes assignari alia non posse, quàm media regio Pectoris; atque idcirco, quàm præcordia, sive ipsum Cor, quod in media est pectoris regione. Quippe id manifestè produnt, quos in pectore per sentiscimus, Metus, Lætitiæque affectus, & quoscumque alios pendere à cogitatione, cogitanteve Animo experimur.

*Quod hic habetur de Animi, Rationalisve Anima compositione ex Atomis, quasi corporea natura sit, refutatum habetur pag. 29. & seqq.*

## C A P U T XVIII.

*Non cogitare Animum, nisi per simulacra incurrentia.*

**D**ifficultas est solùm, quâ fiat, ut excitari Animus ad cogitandum rem aliquam possit? verum, cum manifestum sit cogi-

cogitari Animos res, eomodo, quo oculo videntur: constat debere ut visionem, ita cogitationem fieri per simulacra incurrentia.

Scilicet præter simulacra quæ incurrentia in oculum, & propter aliquantulum majorem crassitudinem accommodata illius texturæ, ipsum ad visionem eliciendam movent; vagari oportet per aërem innumera alia longè tenuiora, eaque seu derepta è corporibus, seu in ipso aëre formata, ut non multò antè dictum est, quæ per ipsum corpus penetrantia, & accommodata Animi texturæ, ubi ad illum pertigerint, ipsum ad cogitandum moveant:

Quo circa & fit, ut quemadmodum leonem, v. c. videmus, quia illius imago allabatur oculis; ita leonem cogitemus, quia ejus imago allabatur Menti. Quod si cogitemus Centauros, Scyllas, ac ejusmodi alia, quæ neque sunt, neque unquam fuerunt; contingere id potest, non tam ob formata sponte simulacra, quàm ex eo, quod, cum v. c. hominis, & equi simulacra sibi obvia fiunt, facillè, propter tenuitatem (& sicut aranea, bracteaque auri) junguntur, inque unum exinde formantur, quale Centauro tribuitur.

Sciendum verò, dum aliquando in eadem sive vigilando, sive dormiendo, cogitatione perseveramus, id fieri, non quòd aliquà unà ejusdem rei imagine, sed quòd pluribus continente fluxu succedentibus utamur; quæ, si eodem situ occurrant, cogitata res immota appareat; si variato, mota videatur: unde & fiat, cur in somnis præfertim, videantur nobis simulacra & moveri, & brachia, cæteraque membra in numerum jactare.

At, quí fieri potest, ut quod cuique libuerit, id ipsum statim Mens cogitet? nempe, quia cum præstò ubique simulacra omnifaria sint, maxima pars tamen incogitata præterit, ac ea solùm Mentem movent, ad quæ ipsa adverterit, attenderéve voluerit, seu ad cogitandum sese compararit. Et, nonne videmus etiam oculos, cum aliquid tenue cernere cœperint, contendere se, & ad id parare, ac donec quidpiam attentè cernunt, perinde esse cætera, ac si nusquam forent; tametsi eorum quoque simulacra excipiat?

Cùm sit porrò aliqua attentio Menti necessaria, ut res distinctè apprehendat, tum est adhauc magis, ut opinetur simpliciter, seu judicium quodpiam de ipsis, affirmando, aut negando ferat; at verò est

demum maximè, ut de iisdemmet ratiocinationem instituat; ac si curæ ipsi potissimum sit, ne hallucinetur.

Verùm & rem deduximus, de Criteriis cùm ageremus; & in gratiam speculationis rerum naturalium adnotare heic sufficit, humanum ratiocinium ea, quæ natura in lucem effert, suspicere primùm, & posterius disquirere, ac adinvenire, causasve ipsorum deprehendere: sed in his citiùs, in illis tardiùs; & aliquando quidem per prolixiora, aliquando per breviora tempora id evincere, seu ad cognitionem perfectam venire.

## C A P U T XIX.

### *De Affectibus, seu Passionibus Anima.*

**S**uperest alia, præter Sensum, Irrationalis Animæ pars, quæ dici Affectuosa potest, propter Affectus, Passionesve, quæ excitari in illa solent. Nominant etiam Appetitum, Cupiditatemve ab affectione quadam præcipua; cùm & sint, qui Concupiscentem, atque Irascentem distinguant.

Cùm dictum porro jam antè fuerit, Affectus, qui sensum sequuntur, in iis partibus, quæ sentiunt, creari, illos verò qui opinionem, creari in ipso pectore; idcirco, cùm aliunde sint duo quidam affectus præcipui, Voluptas scilicet, ac Molestia, seu Dolor; & prior quidem familiaris, accommodatùsque Animæ, posterior alienus, naturæque incommodus; par est utrumque excitari non modò in ipso pectore (ubi ferè Voluptas venit nomine Gaudii, Lætitiæ, Exultationis, Hilaritatis; & Dolor, Egrotudinis, Mœroris, Angoris, &c.) sed in partibus etiam aliis; in quibus, dum à statu naturali dimoventur, excitatur Dolor; cùm in eundem statum restituntur, Voluptas.

Ac si possent quidem Partes omnes in naturali statu manere, tunc aut nulla esset affectio, aut, si esset aliqua, ea dicenda esset Voluptas, propter placidum, & tranquillum statum: at quia, vel propter continuam principiorum motionem in Animalis corpore, quædam abscedunt, quædam accedunt; quædam diducuntur, quædam acervantur,

tur, &c. vel propter motionem, quæ est in rebus circumstantibus, quædam admoventur, quæ subeant, immutent, invertant, fecerant, &c. efficitur dolor (& ob priorem quidem causam, qualis, v. c. ex fame, siti, morbo sentitur; ob posteriorem verò, qualis ex unctione, contusione, contorsione, vulneratione) idcirco videtur primario creari affectus Doloris; ac simul, quod alienus sit, Aversionis, seu Fugæ illius, ac rei ipsam inducentis, cui idcirco Mali attribuitur nomen.

Subinde autem insequitur Cupiditas exemptionis à Dolorè, seu ejus status, à quo ille absit, atque adedò rei, à qua abigatur, quæque idcirco Boni nomen obtineat; ac tum, cum dolor eximitur, & sit in meliorem, hoc est, in naturalem statum reductio, ipsa excitatur, concomitaturque voluptas; adedò ut non esset supra Voluptas, nisi species quædam Doloris antecederet: ut observari facile est vel in ipsis, fame, ac siti, & voluptate, quæ mandendo, bibendoque percipitur.

Siquidem Voluptas ista non creatur, nisi quatenus cum actione interni caloris plurimæ partes dissipentur, unde ipsum corpus rarefcit, omnis natura subruitur, & stomachus præsertim vellicatur; aut glomerata aliunde caloris corpuscula præbent ipsi incendium, unde & dolor suboritur; quatenus, inquam, advenit cibus, qui defectum suppleat, artus suffulciat, patentem per membra ac venas cupiditatem edendi obturet; advenit & potus, qui ardorem restringat, exarefactas partes humectet, ipsasque in statum priorem restituat; ac aliunde utrumque sit cum placido, grato jucundoque naturæ sensu; quem tunc abesse manifestum est, cum quis non esuriens comedit, aut non sitiens bibit.

Videntur ergo isti esse quatuor generales Animæ Affectus, Dolor & Voluptas, ut extremi; Fuga & Cupiditas, ut interjecti. Generales, inquam, quoniam cæteri istorum sunt species, ac opinione intercedente fiunt, & quæ possunt potissimum ad Cupiditatem, Fugamque referri.

Nam ut præteream Cupiditatem speciatim Voluntatem dici, cum Mens illud, quod cogitat, ac bonum opinatur, vult; & Fugam dici Aversionem, cum id, quod cogitat, ac esse opinatur malum, averfatur; subinde verò Amorem v. c. esse voluntatem, qua ad fruendum

dum aliqua re ferimur ; Odium averfionem , qua à confuetudine alicujus recedimus ; videtur aliunde Ira nihil eſſe aliud , quàm cupiditas , qua in vindictam efferimur . Metus nihil aliud , quàm fuga , qua ob malum futurum contrahimur , & in nos quali ſecedimus , atque de ita cæteris.

Cæterùm , quia Cupiditas ( ac proportione etiam Fuga ) partim ipſa ſponte naturæ , & ex indigentia quapiam excitatur , eamque explere neceſſe eſt , ut natura incolumis conſtet ; partim creatur ex opinione , quæ interdum quidem ipſi naturæ inſtituto conformis eſt , & ad illius indigentiam tollendam ſic tendit , ut tollenda tamen neceſſariò non ſit ; interdum denique nihil ad naturam , neque ad aliquam illius indigentiam tollendam conducit ; heinc ſit , ut ſint Cupiditatum aliæ quidem naturales , & neceſſariæ ; aliæ naturales , ſed non neceſſariæ ; aliæ neque naturales , neque neceſſariæ , ſed inanes .

Et Naturales quidem , ac neceſſariæ illæ ſunt , quæ ut indigentiam , ſic dolorem ortum ex indigentia tollunt ; cujuſmodi eſt cibi , potus , indumenti , quo arceatur frigus . Naturales verò , ſed non-neceſſariæ ſunt illæ , quæ nihil aliud , quàm voluptatem variant , non verò abſolutè dolori detrahendo neceſſariæ ſunt , ut quæ eduliorum ſunt delicatiorum ; imò etiam , quæ venereorum , quibus Natura præbet principium ; & à quibus tamen poteſt quis non incommodè abſtinere . Denique neque Naturales , neque neceſſariæ illæ ſunt , quæ ad nullum dolorem ex naturæ indigentia ſubortum , tollendum feruntur , ſed ex inani ſolùm opinione creantur ; quales ſunt v. g. coronarum , ſtatuarum , cultus elegantis , pretioſæ veſtis , auri , argenti , eboris , & ſimilium .

Ad-hæc verò notandum eſt cùm Voluptas in boni fruitione ſit , Dolor in perpeſſione mali , ideò illam quidem , cum quadam Animæ effuſione , ac elatione fieri ; iſtum non ſine contractione , demiffionèque ejuſdem eſſe : atque idcirco nihil eſſe mirum , ſi Anima ſeſe , quantum poteſt , dilatet , ut bonum admittat in ſe ; comprimatur , ne admittat malum .

Fit porro diffuſio , ſive dilatatio ; quia ſtatim , ac boni , ſeu rei gratæ ſpecies ſenſum perculit , aut Animum quoque permovet , corpuscula , ex quibus conſtat , ita in ſenſorium , cor-ve ipſum ſub-eunt ,

eunt, ut texturæ tam Animæ, quàm corporis accommodata, ipsam speciatim Animam demulceant, jucundè afficiant, & versus rem ipsam, à qua sunt emissa, quasi catenulæ alliciant, ac trahant, adeò proinde, ut Animam in rem conversa, intentaque, versus ipsam, fruitionis ergò, quanto potest nisu veluti exiliat.

Contractio verò, quia statim ac mali, sive rei molestæ species sensum, Animumve percussit, corpuscula, ex quibus constat, quasi contuli, aut spiculula ipsam cum sensorio Animam ita fodiciant, ut texturam ipsius solvant; ipsaque illorum, quantum potest, devitandorum gratiâ, sese ipsum coarctet, & versus ipsum sui centrum, seu quasi radicem, quâ nempe est Cor, Animumve, refugiat.

Nihil porrò necesse est ex antedictis repetere, ex ipsa Animæ textura pendere, cur Animalium aliud ad Iram, aliud ad Metum proclivius sit, aliud comparatius ad placidos motus; neque addere varietatem hanc reperiri quoque in Hominibus, prout ex igneo, ex flatuoso, ex aëreo principio participantiozem habent Animam: quippe cùm videre liceat homines etiam doctrina perpolitos non ita posse radicibus semina ista evellere, quin ille proclivius ad iram decurrat, iste metu magis tentetur, alius ad clementiam æquo pronior sit; cùmque aliunde varietas morum, quæ tanta observatur ut in Animalibus, ita in ipsis Hominibus manifestè satis deducantur ex varia horum seminum inter se mistura.

## C A P U T XX.

### *De Motu Voluntario, ac Speciatim de Loquutione Nominumque impositione.*

**I**Am cùm Anima suapte natura mobilis sit, ac ipsum corpus, cui inexistit, ejusque membra movere valeat, motum est, quoties corpus, aut membra hisce aut illis motibus ciet, idcirco fieri, quia illorum ciendorum voluntatem habet; hanc

Bbb

volun-

voluntatem ab Animo imaginante excitari; & imaginationem hanc fieri ob imaginem, sive simulacrum, quod ipsum percipiat. Nempe nihil unquam facere Animus Mensve aggreditur, quin illud providerit; neque providet, quin illius simulacrum, seu imago constet.

Itaque, cum, exempli causâ, crura movemus, incedimusque, illud idem fit, quia primò simulacra incessus Animo accidentia, eum pulsant: inde incessus voluntas fit; tum autem cum se Animus ita commovet, ut ire, incedereque velit, ferit exemplo Animam, qua parte ipsi junctus tenetur: ista verò Animæ pars reliquam compulsat toto corpore diffusam, & per crura, ac pedes speciatim diffusam: unde & tota moles sensim protruditur, ac movetur. Ut præteream aërem quoque eatenus aliquid conferre, quatenus corpus totum rarefcit, aër verò in parteis subit: aded ut corpus duplici de causa perinde moveatur, ac navis, dum remis, ventisque impellitur.

Quod motus porro initium ab ipso usque corde, in quo inest Animus, fit, vel ex eo intelligi potest, quod videamus interdum v. c. equos patefactis repente stabulis, quasi carceribus, prorumpere tam subitò, quàm Mens ipsa avet, non posse. Id nempe, quia quasi conquiri tota substantia Animæ totos per artus diffusa, debet, ut concita, Mentis ipsius studium consequatur; atque ita procedit res primùm ex voluntate Animi, & porrò exinde per corpus, & artus.

Ac videri quidem mirabile potest, quod tantula corpuscula ex quibus seu Mens, seu Anima constat, tantum onus, quanta est corporis massa, movere, torquere, convertere valeant: sed, quò id sit mirum, cum ventus, res aded subtilis molimine tanto vim navis ingentem contrudat; & manus una, gubernaculum unum, illam, quantovis imperu euntem contorqueat, ac moderetur? & nonne etiam sunt machinæ, quæ per trochleas, & tympana, pondera magna commoveant, sustollunt, neque id magno nisu?

Cæterum, cum ex motibus, quibus parteis corporis pro voluntate, arbitriòque movemus, is dignus præsertim consideratione sit, qui in lingua attenditur, & Loquutio vocatur; idem videtur esse de illo speciatim quidpiam attingendum.

Itaque,

Itaque, cùm lingua ita sit in Animalibus respirantibus comparata, ut aërem contensè exspiratum, sonumque idcirco creatum, variè infringere, ac veluti formare valeat; efficitur, ut quia aliunde unumquodque Animal vim suam, qua quod potest, sentit, eaque utitur (propterea enim Taurus cornu impetit, equus calce ferit, Leo dentibus, unguibusque corripit, avis pennis fidit) efficitur, inquam, ut Animalia, & Homines præsertim, suæ linguæ vim ad exprimendum Animi affectus (etiam dum aliquid externum significare volunt) sentientes, tum sonum emittant, qui dicitur Vox; tum illum interventu linguæ, aliarumque partium ejus variationi inservientium, variè inflectant.

Et de Animalibus quidem etiam loquor; quoniam videmus illa quoque varias voces emittere, quatenus lætantur, aut dolent; & quidpiam metuunt, aut prosequuntur. Etenim canes, v. c. alium, aliumque sonitum edunt, cùm rabie districti minantur; cùm latrant, & omnia complent vocibus; cùm catulos blandè aut lambunt, aut morfu, pedibusque jactant, & gannitu interrim adulant; cùm baubantur in ædibus; cùm plorantes plagas summisso fugiunt corpore. Equi etiam hinnitu differt, cùm concussis artubus vulgè hinnit; cùm adhinnit eque; cùm pressus ab equite patulis premit naribus. Volucres quoque alias, aliisque & cùm de præda certant; & cùm tempestatum mutationes sentiunt, & cùm oriantur, voces fundunt.

Cùm verò Homo præ cæteris, & linguæ vim maximè sentiat, & pluribus modis illam inflectere sic possit, ut plureis voces articulet, quæ pluribus rebus significandis accommodentur; exinde est ipsa Loquutio, seu Sermo, quo Homines vulgè inter se loquuntur, dum & passiones Animi, resque alias significant, & non secus, ac nutu, digitoque demonstrant.

Quo loco, quia requirifoleat, qua ratione ab initio Homines rebus significandis nomina imposuerint; idèò sciendum est, nomina non fuisse ex mero hominum instituto, seu lege quadam imposita; sed ipsas hominum naturas, naturaleisve dispositiones, quæ in gentibus fuere singulis, tum cùm res ipsis occurrerent, specialibus Animi motibus affectas, & propriis visis, seu imaginibus compulsas, peculiari quadam ratione aërem ore emisisse,



ipsumque elisisse, dearticulasseque, prout singulorum affectum, visorùmque impetus tulit: & interdum quoque locorum varietas, seu varius cœli, solique genius in variis regionibus fuit: & quæ prolatae voces sic fuerunt, ac præsertim cum voluntate designandi aliis res, evasere Nomina rerum.

Cùm vellent etiam aliqui aliis res extra illorum conspectum constitutas proponere, sonos aliquos, vocesque ediderunt; ac tum fuere coacti easdem voces idemidem reperere; tum qui audiebant, ratiocinio quodam conjecturâque rem assequentes; ex multa denique assuetudine illorum mentem intellexerunt.

Et quia tamen varij varias ad eandem rem aliis significandam, dedere voces, ac varia proinde fuere nomina; idè deinceps nomina significandis rebus propria apud unamquamque nationem, & sensim, & quasi communi consensu delecta, assignatâque ita fuerunt, ut & significatus fierent adinvicem minus ambigui, & res possent eloquio compendiosiore explicari.

Concludo proinde primos Homines imposuisse Nomina rebus, non ex certa scientia, aut unius cujusquam imperio, vel dictamine (unde enim illi aut hæc scientia fuisset, aut potestas, quæ ad utendum vocibus dictatis plureis cogeret?) sed imposuisse potiùs, naturali quodam impetu permotos, ut solent, qui tussunt, stertunt, mugiunt, latrant, ingemiscunt: atque idcirco dici posse esse Nomina non instituto, sed naturâ, quatenus sunt quidam effectus, ac veluti opera naturæ; neque enim videre, & audire res (qui effectus quidam, operâque naturæ sunt) alterius omninò conditionis sunt, quàm res nominare.

## C A P U T XXI.

### *De Somno, & Insomniis.*

**S**Uperest pauca subjiciamus de Somno, ac Morte Animalium, Sduabus nempe rebus germanis, cùm altera quidem feriatio, altera extinctio sit sensus: & tritum valde sit, ut mors esse æternus somnus dicatur.

Cre-

Creatur autem Somnus, cum Animæ partes per totam corporis concretionem diffusæ aut cohibentur, aut distrahantur; aut nonnulla etiam corpora sive ab aëre, sive à cibo in dispersas incidunt, quæ partim ipsas à corpore abigant, partim intrò contrudant, ac turbent: tunc enim corpus, ut solito destitutum fulcimine, regiminèque, debile fit, ac membra simul omnia languescunt; cadunt brachia, & palpebræ; poplites procumbunt: denique non amplius est sensus.

Scilicet, cum indubium sit sensum esse ab Anima, reputandum omnino est, cum sopor sensum impedit, perturbatam esse Animam, forasque ejectam; non totam certè; nam alioquin non tam somnus esset, quàm mors, sed partem tamen; ac ita quidem, ut quæ est residua, sit intus oppressa, ac veluti ignis obducto cinere, sepulta; cum ut si ignem commoveris, quasi evigilat, & flamma confurgit, veluti ab extincto; sic reconstari sensus per membra, & quasi ex mortuo sulcitari valeat.

Quod dico autem corpuscula incidere ab aëre, quæ hanc excitationem faciant, aërem intelligo partim externum, qui nunquam cessat corpus pulsare, ac tundere (inde enim fit, ut extima cujusque Animalis pars solidescat, ac induretur) partim internum, seu qui ore tum inducitur, tum reflatur. Nimirum, cum utriusque ictus per tenuis meatus ad prima principia pervenit, eorum posituræ ita conturbantur, ut pars excedat, pars introrsum condatur, & quæ pars superest per membra, quod ob vias variè interceptas conjuncta secum ipsa non sit, solito munere fungitur nequit.

Quod à cibo etiam incidere dico, idèd facio, quod dum cibus intus didicitur, per venas, idem, quod aër, faciat; imò ut copiosiore, sic majore vi: quod fit, ut sopor, quem cibus creat, ob conturbationem majorem, sit solito gravior; uti & qui creatur ex nimia lassitudine, propter distractionem majorem.

Cæterum, cum possit res videri mira, qui fieri valeat, ut per Somnum nobis contingant Insomniæ: idcirco adnotari debet, quod non multò ante dictum est, vagari ubique continuè innumerabiliùm rerum simulacra, quæ præ sui subtilitate penetrare in corpus, & ferire, afficerèque Animum in pectore medio existentem

sic valeant, ut ille ad cogitandum res; quarum sunt simulacra; excitetur. Nimirum, quia illa non minus per somnum, quam per vigiliam penetrant, ac Animum feriunt, fit ut res dormiendo non secus, ac vigilando, videre videamur.

Efficitur autem, ut ea, quæ apparent, idcirco pro veris habeamus, quod consopitis sensibus, nihil possit occurrere, quod nos erroris admoneat, ac veris rebus falsum convincat: & jacente aliunde memoria habeamus v. c. pro vivis illos, qui mortui pridem sunt; quod cum præsentia illorum simulacra sint, mortis illorum non recordemur.

Si requiras verò, qui fiat, ut ea somniemus maximè, quorum præsertim studio teneamur, aut quibus per vigiliam studiosè in cubuerimus (nam & Oratores perorant, & milites pugnant, & navæ colluctantur ventis, & lusores ludos exercent, & cæteri cætera; ac neque id modò; quando aliorum quoque Animalium equi sudant, spirant, & quasi de palma contendunt: canes venatici jactant crura, voces repenti mittunt, reducunt auras naribus crebras; atque ita de reliquis) Dicendum est idè id fieri, quod ob factam recens impressionem in Animo, patentis viæ relictae sunt, quibus eadem simulacra subeant, ac præ cæteris Animam rursus moveant.

Certè ex hoc esse capite videtur, quod sitiens fontem somniet, ac bibat; mixturiens matulam cogitet, ac mingat: scilicet quod motus interni vias quasi aperiant, quibus subeuntia rerum affinium simulacra Animum permoveant. Quo modo fit quoque, ut simulacris pluribus, affinibusque coeuntibus, magni aliqui motus in Animo fiant; ac tum somnians videatur sibi magna sapere, magna gerere, magna loqui; clamores etiam tollat, ut si à quopiam jugularetur, mandereturve à Leone, aut Panthera, exterretur quoque, non secus, ac si ex alto monte se præcipitem daret; adeo ut etiam evigilatus vix sui compos denique fiat.

## CAPUT XXII.

*De Morte.*

**A**D Mortem verò quod attinet, ea nihil est aliud, quàm privatio sensus, propter excessum Animæ. Sensem heic dico non tantum actionem, cujus est etiam somnus privatio, sed facultatem quoque sentiendi, quæ simul cum Anima perit, ac una etiam Animus, adeo ut, Anima excedente, excedere etiam Animus, ut ipsi conjunctus censeatur.

Etenim, quandiu Anima quidem existit in corpore, tametsi deficiat alia quæpiam pars, nullatenus tamen est privatio sensus; ac sensus cum ipsa una deperit, simul ac dissolvi id contingit, quo continetur, seu illud totum corpus sit, seu pars aliqua, in qua sedem habeat. Neque vero obstat, quod corpus sive totum, sive ex parte ad aliquod tempus indissolutum remaneat: nam sensu nihilominus caret, ubi excefferit Atomorum copia ejuscemodi, quæ ad naturam Animæ constituendam est necessaria.

Porro & corpore exsoluto, Anima ipsa dissipatur, neque habet amplius easdem facultates, neque movetur amplius, neque obînet adeo amplius sensum. Non enim intelligi potest eandem rem etiamnum sentire, quæ motibus iisdem non utitur amplius; cum non inest amplius in eodem composito; sive dum amplius illa non sunt, quibus fovebatur, continebaturque, & in quibus existens obibat hujusmodi motus; resque se perinde in Anima, ac in oculo habet, qui avulsus radicitus, seorsumque ab ipso, cui inhæserat, corpore, videre nihil potest.

Cum dissipari autem dico Animam, Animum quoque intelligo, quando Animus ipsi individue conjunctus est; neque, ea pereunte, consistere potest: quo fit, ut hoc loco dicere Animum, Animamque perinde fit; quod par dissipatio competat utrique. Fit autem dissipatio hæc, non profecto in nihilum, (ut fieri necesse est dicant, qui Animam esse volunt Harmoniam, seu talem contemperationem, qualis ipsa est sanitas) sed in principia, corpusculave, ex quibus ejus textura est; idque non modo instar aquæ

aquæ vase conquassato diffluentis, sed etiam abeuntis in auras fumi, aut nebulæ; & tantò quidem facilius, quantò texturæ est tenuioris; cùm vel ipsis nebulæ, ac fumi simulacris valeat percelli.

Et certè Animam dissipari, interirèque vel ex eo constat, quòd concernatur, exoriaturque. Ac sunt quidem, qui æternam faciant; initium nempe ipsi negantes, ut avertant exitium, ac esse ante corpus, in quod extrinsecus veniat, fumentes, ut superesse à corpore, à quo sospes exeat, tueantur: verùm illud quidem prætereo, quod non videantur advertere æternum perdurans esse nihil posse, nisi tale sit, aut præ sui soliditate, ut Atomus; aut quod sit plagæ expers, ut Inane; aut quod careat loco, in quem excedat, ut Universum; neque item advertere, quantæ possit verti dementiæ, putare res adeò diversas, ac sunt immortale, & mortale; conjungi.

Prætereo id, inquam, ac requiro solum, quòd possit Anima in corpus insinuari extrinsecus, ac permanere per ejus partem, & non dissipari tamen, exsolvi que, quemadmodum cibus diditus per membra? & nonne potius deberet in corpore, ut avis in cavea morari: non verò eo modo, ut cum corpore crescere, simulque extendi intelligatur? & quorsam ergo cum corpore pervenit ad ætatis florem? aut quid est, tur in senectute metuat, non gaudeat è corpore, tanquam è carcere exire, & serpentis instar mortale spoliū relinquere? & si abscedens à corpore, quasdam sui reliquias sinit, nonne exsolubilis est? si non sinit; undenam ergo in cadavere tot gignuntur vermes?

Nam dicere quidem totidem Animas eò confluere extrinsecus, & volitare quasi umbras, deligerèque propriam materiam, fabricari sibi propria corpora, aliàque id genus, quàm absurdum est? uti & perridiculum est ad ipsos coitus, partusque Animalium circumstare quoddam quasi Animarum examen, & de insinuatione in corpus inter se mutuo contendere?

Et, nonne, si Animæ toties commutassent Animalium corpora, deberent sensum immutatæ illorum esse indoles; sicque jam leo esse non ferox, cervus non timidus, vulpes non dolosa, fugiens cervum canis, columbam accipiter? cùm &, si quis dicat

Ani-

**Animas humanas** immigrare solum in humana corpora; dicere non possit, tur Anima fiat è sapiente stulta; cur nullus puer prudens sit? cur nos, ut de se fabulati sunt, qui prima ista prodiderunt, anteaestæ vitæ, rerumque in ea gestarum, nusquam recordemur?

Exortum ergo Anima habet, à quo usque ut adolescit, vigescitque cum corpore; sic tendat oportet ad interitum, cum eodem senescens, ac sensim deficiens.

Hoc verò de Mente etiam dico, quam perfici sensim, atque debilitari constat; cum & aliunde non solum compariatur morbis, doloribusque corporis, verum laboret etiam propriis, & Medicinam quoque iis curandis admittat; quod fieri profecto non potest, quin accedat, abscedat, transponatur quidpiam in ejus textura: nam & admonere, quid illi per ebrietatem, epilepsiam, delirium contingat, nihil necesse est.

Id dignum consideratione, quod certæ parti corporis, non secus ac auris, oculusve affixa sit; ut pari proinde ratione cum toto incipiat, atque desinat, & vel ex eo quidem, quod unicuique rei, ut arbori, ut pisce, &c. certa, ac definita sit regio, in qua ut nascatur, sic degat, ac tandem esse sic desinat, ut consistere extra ipsam non valeat.

Sed & cum Homo membratim moriatur, sensimque expiret, quasi Anima partibili: quis experitur Animum non è pectore medio evanescere, sed per jugulum, & os incolumem exire? nam quod Anima quidem ipsa quali cribrata, atque divisa per ipsum corpus exeat, arguitur vel ex eo putrore, qui in cadavere ex illius discessu non aliunde est, quam quòd singulæ ejus partes situm commutarent, quem partes Animæ singulæ continebant. Ut taceam, quod Anima aliunde, bisecto raptim, aut conciso frustulatim corpore, non bisecari & ipsa, concidique frustulatim non possit.

Itaque sicut Anima ante generationem non fuit, ita neque post mortem erit: atque ut nihil ægri anteaestò tempore sensimus, ita nihil sumus post-futuro sensuri: tum nempe, cum non amplius erit aut tactus, aut planè ullus sensus, qui esse omnino aliquis non potest in separata Anima, cum jam sine organis sit, in quibus solis resident, & quibuscum solis agere possunt, aut pati sensus.

Quo fit, ut reputare liceat vanos esse Inferorum metus; neque enim Ixionem rotâ volvi; neque saxum Sisypho humero trudi in adversum; neque ullius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. Scilicet fabulæ hæ sunt; uti & quæ tradunt de Tantalos, de Cerbero, de Danaïdibus, de Furiis, deque cæteris, quæ si usquam sunt, in vita hæc sunt propter hominum depravatos mores:

*Tota hujus loci impietas repressa est, refutataque Pag. 29. & seqq.*

## S E C T I O   Q U A R T A.

### *De Rebus Sublimibus, tam Cælestibus, quàm Aëreis.*

**H**Actenus fuere res Humiles, sequuntur Sublimes, sive in Sublimi, hoc est, in Regione supra Terram fusa elatæ, atque apparentes. Hujuscemodi sunt Sol, Luna, alia Sidera, & quæ in ipsis contingunt, ut Ortus, Occasus, Conversiones, Eclipses, & similia; itemque Nubes, Pluviæ, Venti, Fulgura, Tonitrua, Fulmina, cætera id genus, scilicet, utcumque aliqui fecerant, & posteriora hæc sola *μετέωρα*, hoc est, Sublimia vocitent; congruum tamen est priora quoque illa & Meteora dicere, & unè Meteorologiâ (hoc est, tractatione de Sublimibus) utraque complecti.

Repetendum verò heic est, quod initio est insinuaturn, non esse alium statuendum finem cognitionis rerum sublimium sive conjunctim cum aliis, ut heic; sive separatim, ac per se, ut aliàs facimus, tractentur, quàm statum Mentis imperturbatum, ac persuasionem non vacillantem; veluti & in cæteris, de quibus solemus differere rebus.

Non sanè, quodd, cum res Sublimes ejusmodi sint, ut multifariam aut obtineant, aut obtinere valeant & generationis causam, & essentia declarationem iis, quæ percipiuntur sensibus, conformem, uni alicui modo speciali sic hærendum sit, ut circa propositiones

tiones de Moribus fit, aut circa illas Phycas, cujusmodi esse diximus illas, Universum est corpus, & Inane: Rerum principia sunt infestilia, ac ejusmodi cætera, quæcumque uno tantum modo cum rebus apparentibus congruunt: verum, quod sit firma persuasione tenendum, esse re ipsa hujusmodi res non uno, sed pluribus modi explicabileis, neque adoriendum esse aliquid, quod vireis excedat humanas; definiendo nempe unum certum modum, quo solo fieri res valeat.

Id, inquam, repetendum est, quod tum reputare oporteat, Physiologi esse muneris, causas præcipuarum, quæ in natura sunt, rerum, accuratè pervestigare; & heinc profluxisse quicquid felicitatis est situm in cognitione rerum sublimium, ac in eo potissimum, quod disquiritur, cujusmodi sunt, quæ in hisce Sublimibus visuntur, & quæcumque ipsis cognata quodammodo sunt: tum tenenda omninò hæc Regula sit, *Esse in istis rebus, id quod dicitur, Pluribus modis fieri: &, Non uno modo necessario contingere: &, Possesse alio quoque modo se habere.*

Quod quidem inculco, ne, si cum unî modo adhæserimus, is fortè displiceat, non ad naturalem alium recurramus, sed potius ad Divinam causam; quia hoc jam foret agnoscere multiplicem modum, ubi unicus est. Scilicet Divinæ naturæ tribuerentur curæ, & negotia; cum sit tamen simpliciter, absolutèque necessarium, ut in immortalî, beatàque natura nihil eorum sit, quæ dissolutionem, aut perturbationem inducunt. Statim quippe Mens apprehendit, fieri absolutè non posse, ut ipsi tale quid competat, perspectâ Immortalitatis, ac beatitudinis conditione.

Et certè hujuscemodi considerationis defectu, constat, inspectionem observationemque Occasus, Ortus, Solstitij, Eclipseos, cæterorumque ejusmodi nihilo facere per se feliciorum notitiam; sed perinde (ac fortè etiam amplius) metuere illos, qui hæc perspexerunt (neque tamen norunt quales sint naturæ eorum corporum, qualesque potissimæ causæ) ac si omninò non perspexissent, quando admiratio, quæ ex harum rerum inspectione oritur, reperire exitum circa dispositionem, ac modum, quo res maximæ peraguntur, non potest. Ex quo fit, ut nos adnitamur plureis invenire, & dicere causas Solstitiorum, occasuum, ortuum,



deliquorum, aliorumque id genus; uti & in reliquis confimilibus, quæ apud nos, seu in Terris contingunt.

Nisi verò censendum non est disquisitionem harum rerum minimè nancisci visum congruum, quæ nobis, ad tranquillitatem, felicitatemque acquirendam conducit; par profectò est, tam circa Sublimia, quam circa cætera alioquin obscura requirere causas juxta varios modos, quibus apud nos similia contingunt: ac illos minimè morari, qui neque unum certum modum, quo res aliqua possit se habere, aut fieri, neque modum multiplicem, quo contingere quidpiam valeat, nôrunt; solam verò rerum speciem, qualis nobis procul exhibetur, prætendunt, ac præterea ignorant, quibus ex rebus eveniat, aut non eveniat, ut perturbemur. Si reputemus certè contingere, ut aliquid uno certo modo fiat, ac exinde non perturbemur; certè, inquam, scientes aliunde posse pluribus modis idem fieri, non imperturbati minùs erimus, quàm si certo modo fieri perspectum haberemus,

Cæterùm omnia satis constanter explicata sient juxta modum multifarium rebus apparentibus congruum, quando quis retinebit, ac tuebitur quicquid verisimile est in ipso. Necessè est autem conjecturas ad ea, quæ sublimè creantur, ducere ex iis, quæ apud nos fiunt; ex iis, inquam, quæ observantur, aut perinde se habent, ac ea, quæ sublimè visuntur, siquidem talia fieri compluribus modis contingit. Quare & quod in unoquoque Sublimium apparet, attendendum est juxta ea, quæ cum ipso consonant. quæque pluribus modis fieri rebus apud nos contingentibus non repugnat.

Sed hæreo heic nimis. Quare, ut rem aggrediar, tamen si tota Super terrena regio soleat interdum Cœlum dici; quippe viciniore quoque Aër Cœlum interdum dicitur: placet tamen nomine Cœli, uti & Ætheris, eam regionis partem intelligere, quæ & superior est, & Sidera complectitur; nomine Aëris eam, quæ inferior, & in qua nubes, fulgetra, aliæque id genus visuntur, ac fiunt. Atque id quidem, ut dicturi posteriùs de Aëreis Sublimibus, à Cœlestibus, quæ ut præfati sumus, venire quoque nomine Sublimium debent, auspicemur.

Quod

*Quod hoc loco interseritur Providentia non consonum, refusatum est præsertim Pag. 129. & seqq.*

## C A P U T I.

### *De Substantia, & varietate Siderum.*

**P**Rincipio verò id supponendum, quod superiùs attingimus, nempe Solem, Lunam, cæteraque Astra, non per se, ac seorsim fuisse genita, & posteriùs à Mundo comprehensa; sed statim, simulve cum ipso conformationem, incrementumque, & magnitudinem suam accepisse (quemadmodum etiam & Terram, & Mare, & quæcumque Mundus asservat) juxta scilicet concrementa, convolutionesque interiùs factas tenuiorum quarundam, earumque seu spirituofarum, seu ignearum, seu utriusque simul conditionis naturarum: quippe ista sunt, quæ suggerit sensus.

Heinc verò videntur quidem Sidera substantiæ esse præsertim igneæ; ac præ cæteris ipse Sol, cujus calor sensu tam clarè probatur; at videntur quoque non tam puri ignes, quàm commista quædam concrementa esse, quibus sit alligatus ignis.

Etenim fieri non modò potest ut sint quasi quidam vitrei, politive disci, qui lucida, ignificaque corpuscula, ex ipsa regione Ætherea, per quam discurrunt, appellantia, & excipere, & reflectere, & qua proinde specie apparent, exhiberi valeant, con- similia enim fiunt apud nos: itemque, ut sint quasi nubes perinde illustratæ, & quasi accensæ; cum non secùs Parhelij fiant:

Sed potest etiam fieri, ut sint quasi quædam scaphidia parte sui cavâ continentia ignem; laternæ videlicet instar, aut catini prunas, Metallumve fusum, ignitumque continentis. Potest & ut sint quasi candentes laminæ, aut quasi lapides, qui in fornace ardescunt: quippe & nihil est horum, quod repugnet.

Quò magis potest fieri, ut Sol speciatim nihil aliud sit, quàm glebulentum quoddam spissamentum, quod pumicis, spongiæve

instar, creberrimis poris, meatibusque pervium, splendorem per ipsos, cum videlicet ignem intus contineat, ejaculetur.

Unum, quod fieri minimè possit, esse id videtur, quod aliqui dicunt, ut Sidera nempe animata sint, sive totidem Animalia, ac insuper totidem Dij. Quippe &, tametsi donemus esse unumquodque quasi quendam Mundum, seu potius quandam quasi Terram, quæ proprium sibi aërem, imò ætherem quoque habeat; nihilominus, ut nostra hæc Terra, licet Animalia producat, non idè ipsa est Animal; ita neque Sidera erunt; utcumque procreari in ipsis Animalia quædam posse concedatur.

Quantquam, ut istud ultrò admittam, quod præterea tamen ulterius contendunt rotundos, & volubiles hujuscemodi Deos dari, nihil aliud lubet, quàm repetere, quod jam superius institimus, portenta hæc esse, & miracula non sanè differentium, sed somniantium Philosophorum, videlicet cum immortalia mortali sermone notantes, ea proferant, quæ à Deorum felicitate tam aliena sint, & præstanti eorum natura sic videri indigna possint.

Quod superest, fuere jampridem duo aliqua Siderum, Astrorumve genera distincta. Nam quædam quidem sunt Inerrantia, quæ & situm semper inter se eundem observant, & viam semper eandem ab Ortum in Occasum tenent, neque illam unquam commutant: quædam verò Errantia, unde & Planetæ, seu Errones, dicuntur; quippe cum neque inter se, neque cum aliis eundem situm servent, & suos circuitus nunc magis ad Boream, nunc magis ad Austrum perficiant.

Si quæras autem unde nam hæc illis diversitas sit, dico fieri posse, ut Astra ea necessitate ab initio in orbem mota sic fuerint, ut alia quidem una, eademque conversione, ipsaque existente æquabili gyrationem acceperint: alia conversiones quibusdam inæqualitatibus affectas subierint.

Fieri etiam posse, ut per quæ loca suos motus obeunt, alibi quidem æquabiles spatiorum diffusiones sint, quæ & eodem versus, & subsequenter ipsa compellant, moveantque æquabiliter; alibi verò ea ratione inæquabiles, ut quas observamus in ipsis motuum varietates exinde proveniant.

Hu-

Hujuscemodi porrò rerum unam solam reddere causam, cùm ea, quæ apparent, esse posse multiplicem arguant, insanum est, nec rite consultum ab iis, qui Inanem depereunt Astrologiam, quique quarundam rerum causas inaniter explicant, cùm & Divinam interim naturam (ad quam plerumque hæc referunt) ab exhibendis variis ministeriis liberam non sinant.

*Huc etiam referenda sunt qua dicta sunt Pag. 129. & seqq.*

## C A P U T II.

### *De Magnitudine, & Figura Siderum.*

**A**D Magnitudinem verò Solis, Siderumque aliorum quod spectat, ea considerari potest vel secundum nos, vel secundum se. Et secundum nos quidem ea tanta est, quanta & apparet; quippe sensus non fallitur, & quicquid oculus in ipsis conspicit magnitudinis, sic in ipsis est, ut neque habeant aliquid extra circumductum, qui conspicitur, neque quicquid habent, intra eundem non habent.

At vero spectata Magnitudo secundum se, seu rem ipsam quod attinet, potest ea esse aut paullò major, aut paullò minor, aut præcise quanta videtur. Ista nimirum varietate exhibentur sensibus ignes, qui apud nos ex intervallo interdiu, noctùque spectantur; siquidem aut tanti, quanti & sunt, apparent, quemadmodum flamma lucernæ, si spectetur cominùs; aut minores, ut, dum eadem flamma interdiu, eminusque conspicitur; aut majores, quàm reverà sint, ut dum rursus eadem flamma noctu, eminusque spectatur.

Dico autem paullò aut major, aut minor; siquidem isthæc diversitas, ut verus nempe circumductus, ultra, aut citra illum, qui à nobis conspicitur sit, esse admodum magna non potest; idque desumpto quoque aliunde ex nostris ignibus argumento. Nam ex quantocumque intervallo alicujus ignis calorem sentimus; ex eadem & species illius justa nobis apparet; ut proinde, cùm  
Solis

Solis calorem heine, unde à nobis videtur, sentiamus, magnitudo illius iusta esse evariata sensibiliter admodum non possit.

Confirmatur autem nihil ab intervallo, quod sensibile est, ex ipsis Astris delibari, quia quæ remota, aërèque multo intercepto contuemur, circumscriptione confusa exhibentur: at vero & Soli is, qui intueri illum sustinent, circumscriptione diserta est; & ipso Lunæ circumductu nihil videri distinctius potest. Et Stellæ quidem scintillantes, tremulisque radiis quasi excurrentes apparent; sed hoc ipsum aliunde arguit esse ea illas propinquitate, ut disertè conspici valeant; quatenus quos apud nos igneis cominùs intuemur, pari ratione undulantes, tremulique sunt; quos eminùs vero, ij fixi, constantesque apparent.

Confirmatur rursus, quia si Sidera magnitudinem suam iustam ob intervallum amitterent, multo magis amitterent colorem; constat quippe res è longinquo priùs desinere germano conspici colore, quam præ exilitate prorsus conspici; atqui licet nullum intervallum sit ad hoc præstandum accommodatius (neque enim prolixior longinquitas est) non idcirco nihilominus Sidera amittunt germanum colorem.

Ac possunt quidem plurima adversus hunc locum urgeri; at verò ea nullo solventur negotio, si quis manifestis adhæserit rebus; ut in libris quidem de Natura ostendimus, ubi allata hac distinctione de magnitudine spectata & secundum se, & secundum nos, declaravimus nihil fecisse absurdi & illum, qui dixit esse Solem pedis humani latitudine; & illum, qui esse multis vicibus majorem, quàm Peloponnesum; & illum, qui esse ipsi Terræ æqualem, quoniam earum rerum, quæ secundum se majores, minoresque sunt, potest una secundum nos, quatenus visæ eminùs, cominusque fuerint, esse magnitudo.

De Figura hoc solùm dico, posse eam, cùm nobis orbicularis appareat, esse & globosam, & laminæ instar planam; atque idcirco Sidera esse aut quasi discos, aut quasi cylindros, aut quasi conos, acturbines, aut quasi clavos quosdam infixos, horum siquidem nihil est quod repugnet, quodque non habeat aliquam cum rebus apparentibus consonantiam.

## CAPUT III.

De Motu, & Anteverfione, Converfioneque  
Siderum.

**C**Um dictum paulò antè fit, effe Siderum alia Inerrantia, alia verò Errantia, & varietatem hanc ex eo peti, quod varios motus subeant, dicendum heic jam universè est, posse utrorumque motus fieri, aut toto Cœlo, cui vel unum, vel plura insint, circumducto, ut putà tanquam solido, ipsaque simul quasi clavos sibi infixos devehente: aut Cœlo, tanquam vel fluido, vel pervio meatibus, stante, iis vero intra ipsum per se circumductis.

Quia vero seu Cœli, seu Siderum fit motus, cœpisse is potest juxta necessitatem, tum, cum Mundus generaretur, factam, impressamque ex parte Orientis; potest sanè priore casu (si toti nempe Cœlo insit) ut cœpisse, sic continuari, aëris cujusdam abreptu: nam potest exterius esse duplex aër, unus quidem, qui supernè premat, Cœlumque in Occasum urgeat; alter, qui infernè eodem quasi subtervehat; idque præter alium, qui heinc inde Polos premat, contineatque: posteriore (si nempe motus ipsius insit Sideribus) aut abreptu aëris, aut ductu ipsiusmet ignis.

Videlicet potuit ab usque initio corpusculorum sese exhalando diffundentium copia aërem perrumpere, ipsumque elidere; ipse vero venti motionem accipiens, Astrâque corripiens, illa circumducere, ac motum in orbem, qui etiam-num sursum in iis visitur, continentem, creare. Potuit & ignis cujusque Sideris proprius, aut conclusus, quærensque viam, circumversari ut cœpisse, ita etiam-num pergere; aut liberior, quocumque cibus quemque vocavit, ita serpsisse, ut deinceps quoque ob calorem, aviditatemque adeo pabuli, procedere perrexerit in loca consequentia tanquam ad depastionem idonea.

Nempe nihil horum non est rebus apparentibus consentaneum, cum in promptu alioquin non sit, quæ causa motum urgeat Sideribus determinare.

D d d

Ar,

At, qui fieri potest, ut Sidera quædam sic antevertant alia, ut ista ab illis relicta spectare contingat? nempe id contingere potest, aut quia, cum ista eandem cum illis diurnam circuitionem obeant, segniùs feruntur; veluti Luna, quæ lentius, quam reliqua versus Occasum properans, ab ipsis relinquitur quasi à tergo versus Ortum. Aut quia abrepta motu diurno versus Occasum, feruntur tamen interea lentè motu contrario versus Ortum: quo pacto potest eadem Luna non tam versus Ortum à cæteris deferri, quàm versus Occasum ea deferere. Aut quia cum sola diurna revolutione, æqualique motu ferantur omnia, quædam tamen prolixius, quædam brevius spatium conficiunt: sicque Luna rursus, si supra Inerrantia sit, ut aliquibus visum est, perficiet tardiùs circuitum, observabiturque posterius relinqui.

Pronunciare certè simpliciter velle in hiscerebus aliquid, eos decet, qui magnificum, & portentosum quidpiam coram multitudine ostentare affectant.

Qui fieri rursus potest, ut Sol, ut Luna, ut Stellæ Errantes ubi ad Tropicos, loca Solstitialia pervenerint, cursum convertant, ac regrediantur? Scilicet, contingere id potest, aut quod ab initio ea circumgyratio fuerit his impressa Sideribus, ut spirali motu heinc inde ad loca Solstitialia limitato circumducerentur: aut quòd imitentur obliquitatem Cœli, quod progressu temporis eam situs deflexi necessitatem contraxerit; aut quòd reprimantur propter ærem, qui ipsa heinc inde præ frigiditate, densitate qualitatève alia repellat; aut quod ipsorum pabulum congruè, seu secundum eam viam continenter dispositum partim quidem ponè accendatur, partim prorsum aufugiat.

Siquidem hæc omnia, ipsisque affinia nihil continent discrepans ab ipsa rerum evidentia: si quis modo in hisce rebus possibilitati adhærens, revocare unamquamque ad id, quod est congruum apparentibus, valeat; nihil veritus illiberabilia Astrologorum machinamenta; dum immensam farraginem concentricorum orbium super-exstruere, interstruereque non cessant.

## CAPUT IV.

*De Ortu, & Occasu Siderum; deque Dierum, & Noctium longitudine alternante.*

**A**T verò Ortus, Occasusque & Solis, & Lunæ, & reliquorum Siderum contingere trifariam possunt.

Primum scilicet, per Apparitionem suprâ, & Occultationem infrâ; quòd existentia Sidera semper lucida, inextinctaque perseverantia, ita Terræ sursum, deorsumque circumferantur, ut nunc suprâ emergant, sive exoriantur; nunc deprimantur infrâ, sive occidant; ac Sol speciatim deorsum conversus, tenebras nobis faciat; revertens verò anticipet, & Cælum suis radiis quasi accendere per Auroram tentet. Scilicet nihil est ex rebus apparentibus, quod repugnet.

Deinde per Accensionem in regione Orientis, & per Exstinctionem in regione Occidentis factam. Scilicet ob talem ad utrumque locum dispositionem medij, ut dum Astra per illud transeunt, ista, quæ dico eveniant; quandoquidem nihil est rerum apparentium, quod refragetur; cum & fontes esse perhibentur, qualem Epiroticum esse jam antè memoravimus, qui non modò exstinguant, sed etiam qui accendant faces; & Oceano circumcumeunte Terram, possit Sol ad ipsum, in regione Occidentis exstinctus, redire per eundem, (ac transeundo quidem ultra Boream) in regionem Orientis, exindeque emergere, & simul accendi.

Tertiò per renovatam quotidie productionem, quatenus nihil repugnat, quòd minùs diebus singulis novi, v. c. Soles exoriantur, confluentibus videlicet ad Ortum variis ignibus, aut feminibus ignium, qui in orbem coëant, splendeantque, & imperum subeant, quo in Occasum pergant. Quippe & fama est observari ex montibus Idæ sic fieri; ac potissimum sub exortum Canis, & posse certis temporibus confluere igneis, intelligi ex eo potest, quod observatur fieri certo tempore in omnibus rebus. Nempe



pe ex seminum confluxu, & defluxu florent arbores certo tempore, certo tempore deflorescunt, certo erumpunt dentes, certo decidunt, atque ita de cæteris, quæ recensere foret prolixum.

Cùm porrò ipsa Solis supra Terram mora sit Dies, & absentia Nox, qui fieri potest, ut non semper dies diebus, noctes noctibus sint æquales, sed sint dies quidem per Æstatem longiores, & noctes breviores, per Hyemem vero alternatim noctes longiores, dies breviores? nimirum istud quoque potest tribus modis contingere.

Uno, quòd circuitiones Solis supra, ac infra Terram nunc celerius, nunc tardius fiant, quatenus & ipsæ locorum, seu viarum, quibus Sol incedit, longitudines sint alternæ. Atque id quidem ob posituram orbis vocati Signiferi, quem obliquè percurrit Sol, & in duplici cujus Signo noctem diei exæquans, ubi exinde ad Aquilonem, vel Austrum defleat, quantum itineris ad alteram partem aut supra, aut infra Terram detrahit, tantumdem ad alteram reponit.

Altero, quòd certa per Ætherem sint loca, quæ propter crassitudinem, factamque adeò resistantiam, transiri segnius, quàm alia valeant; ac talia esse, quæ sub Terris Solem Hyeme hæsitare cogant, sicque & noctes prolixiores, & dies breviores, quàm per Æstatem faciant. Sanè & quæpiam hujusmodi observare apud nos licet, juxta quæ consentaneum sit, ea, quæ sublimia sunt, explicare.

Tertio, quod alternis Anni partibus memorati ignes, seminæve ignium sic confluant, ut Solem creent citius, aut tardius; & Sol ex ea parte oriatur, unde longiorem, aut breviorẽ supra Terram cursum conficiat.

Qui sanè unum quid singulare in hisce rebus solum accipiunt, tum apparentibus repugnat, tum ab eo, quod Homini contemplari fas est, aberrant.

## CAPUT V.

De Siderum Luce ; & de Phasibus , ac Maculis  
Lunæ.

CÆterum, ut quidpiam de Luce tam Solis, quam cæterorum Siderum, ac Lunæ præsertim subjiciam: mirantur primùm homines, unde habeat Sol, cum tantulus sit, ut tantum lucis ex se fundat, quantum ad Cælum, Terram, Mare, quasi irrigandum splendore, caloreque sufficiat, neque propterea exhauriatur. Sed nernpe est Sol quasi fons, in quem subterconfluunt undique rivuli perennes. Quippe ex universo Mundo semina caloris ita in Solem confluunt, ut subinde ex ipso, quasi ex uno capite & calor, & lux quoquoeversum redundet.

Quin- etiam potest substantia Solis ejuscemodi esse densitatis, & quod ex eo lucis, calorisque profluit. ejuscemodi tenuitatis, ut quemadmodum parvus fons, rivulusve ex fonte deductus præta, campósque absque illius dispendio latè irrigat; ita absque dispendio sensibili Solis, illud ad universum Mundum quasi irrigandum sufficere valeat.

Potest verò & Aër esse ejus naturæ, ut luce non magna à Sole diffusa, quasi accendatur: ut possunt ex una scintilla totæ segetes accipere incendium.

Potest etiam Sol circum se habere inusum nobis pabulum, unde, sicut flamma lucernæ ex supposito oleo, jacturam refarciat. Potest & res aliis contingere modis.

Ad cætera Astra quod spectat, & Lunam ipsam maximè, fieri potest, ut quam præferunt lucem à seipsis habeant; fieri etiam potest, ut à Sole mutuentur. Siquidem etiam apud nos plæraque cernuntur ex seipsis lucentia, pleræque splendorem ex aliis mutantia; ac nihil est rerum sublimè apparentium, quod opinioni utrivis obstat.

Id videlicet, si quis modò multifarium modum Menti defixum teneat, & consentaneas ipsi suppositiones, causasque simul

consideret, ne ad ea attendens, quæ incohærentia sunt, vanè intumescat, & nunc huc, nunc illuc in singularem modum prolatur.

Verùm, quod ad Lunam quidem attinet, id mirabile cum primis habetur, quod tot Phæsis, seu incrementa, ac decrementa lucis accipiat. Enimverò potest, globosa cum sit, & splendorem à Sole habeat, ita ex ordine figurari (eo scilicet modo, quo aër orituro Sole illustratur, aut occaso obscuratur succedenter) ut à Sole abscedens crescere indies appareat, quod amplius, ampliusque illustratæ faciei ad nos referat, quousque plenam exhibeat; & deinceps ad Solem accedens, indies decrescere, quod minus, ac minus ostendet, quousque ex ea nihil ad nos vertat, ac penitus lateat.

Potest & Luna globosa existens, alterâ sui parte esse lucida, alterâ obscura; & conversione sui corporis nunc amplius, nunc minus ex utraque alternatim exhibere.

Potest & lucida ex se, pati obductionem succedenter factam corporis cuiuspiam opaci, quod hemisphæricum, excavatumque & unâ cum ea labens, ipsi continuò circumvolvatur.

Quid? quod nihil quoque juxta jam dicta refragatur, quod minus possit alia, aliâque, & certæ quidem formæ, figuræque, creari, ac aboriri Luna in dies singulos; eo modo, quo Veris, Æstatis, Autumni, Hyemis tempestates, ac multa in ipsis, stas vicibus adveniunt, & abeunt; nascuntur, & intereunt?

Nimirum res dicenda est, quocumque denique modo illa, quæ apud nos apparent, iis, quæ sunt ejusmodi, planam faciunt explicationem. Nisi fortè quis singularem modum perditè deperiens, alios inaniter rejiciat; neque valeat considerare, ecquidnam pernolle possibile sit; atque idcirco, quæ nefas est homini, pernolle affectet.

Deinde & illud in Luna mirantur, quod maculosa facie appareat. Sed videlicet potest ea facies apparere hujusmodi, aut ex natura varia, diversiformique ipsarum Lunæ partium; aut ex obductione corporis cuiuspiam non perinde opaci, sed utcumque caliginosi; non continuò circumvoluti, sed perpetuò potiùs hærentis; ac non ubique solidi; sed reticuli inftar variè perforati.

Potest

Potest & alio quovis modo ex iis, qui conformitatem tueri cum rebus apparentibus observantur. Hęc nempe est via, cui hærendum esse, quotiescumque agitur de Sublimibus, præstituendum est. Neque enim, si quispiam rebus apparentibus obliſctetur, is poterit unquam germanæ tranquillitatis particeps fieri.

## C A P U T VI.

### *De Siderum Eclipsibus, Periodisque ipsarum statis.*

**V**erum enim verò nihil est, quod majorem hominibus incutere stuporem soleat, quàm quod interdum derepente contingere Eclipsibus, defectusve lucis in Sole, ac Luna observant, quanquam, quidni hoc quoque possit pluribus modis contingere?

Nam primùm quidem potest Sol eam ob causam deficere, quòd Luna interposita cæcum suum orbem, corpusve opacum illi obijciat, ac ejus lumine Terram secludens, creet in ipsa tenebras, quousque subducta, lucis restitutionem faciat. Potest ob eam Luna, quòd Terra ipsi, Solique interposita, Solem, quasi oppressum supra teneat, illique eripiat; ac ipsam proinde, dum umbræ conum perlabitur, obscuret, quousque elapsa ex eo, recuperet lucem.

Deinde potest quoque Sol ex eo deficere, quòd quæpiam pars Cœli, aliudve quodpiam opacum corpus, cujusmodi est Terræ, unà cum ipso Sole labatur, & certis vicibus ipsum subeat, ejusque lucem intercipiat. Et Luna consimiliter, quòd corpus aliud, opacum quoque, illam inter, & Solem labens, Solis radios ipsi interrumpat; aut una etiam cum ea labens, non modò ejus Phaseis lentè peragat, sed interdum quoque umbram repentinam inducat. Ne memorem, si alterâ parte obscura, altera lucida sit, fieri quoque posse, ut interdum obscuram faciem repentè convertat.

Ad-

Ad hæc possunt tam Sol, quàm Luna idcirco deficere, quòd per loca igni infesta, inimicâque transeant, extinctionemque lucis patiantur, quousve, ubi illa præterierint, ipsam recreent, recuperentque.

Hac sanè ratione attendendi sunt familiares modi invicem collati, ac aliqui etiam complexè accepti; cum fieri possibile sit, ut plures simul concurrant.

Ordo etiam Periodicus, quo Eclipses certis temporibus accidunt, ita servari intelligatur, quemadmodum & apud nos servari in quibusdam (ut in tempestatum vicissitudine) contingit. Nulatenus verò Natura Divina ad hæc patrandâ advocetur: sed omnis expertis muneris, & cumulatissimè beata esse permittatur.

Nisi id fiat, tota de causis rerum Sublimium ratiocinatio irrita evadet; ut nonnullis jam accidit, qui modum amplexi impossibilem, in vanitatem exciderunt; quòd unum nempe solum probarint, cæteros omnes, tamen si forent possibles, expunxerint, & delati fuerint ad somnium id, quod Intellectus captum excedit; ac neque admittere apparentia, quæ par erat, signa, potuerint; neque noverint, quemadmodum ajunt, cum Deo lætari.

## C A P U T VII.

### *De Præsignificationibus Siderum.*

**R**Estant Præsignificationes transmutationum aëris attributarum Sideribus, cujusmodi sunt pluvix, venti, siccitates, æstus, & similia, quæ pro tempore ortus, occasusve Siderum quorundam, ut Canis, Orionis, Pleiadum contingunt.

Possunt verò hujusmodi Præsignificationes fieri, aut prout ipsæ tempestatum conditiones tulerint, eo modo, quo evenit in illis Animalibus, quæ nunc apud nos; nunc apud alios commigrando visa, tempestatum quidem indicia, sed non tamen causæ sunt; quippe etiam orientia, occidentiaque Sidera possunt istarum mutationum non causæ esse, sed indicia: aut prout non certò, sed

sed casu contingit, quo tempore Astra vel oriuntur, vel occidunt, causas quasdam exsistere excitatæ cujuspiam in aëre mutationis.

Siquidem neutrum horum pugnat cum rebus apparentibus; & qualis præter hanc, aut illam, aliâve conformem apparentibus, causa sit, pervidere haudquaquam licet.

Nequicquam porrò illud non est, quod obiter attigi de Præsignificationibus, quæ in aliquibus Animalibus observatæ, non-nisi pro conditione ejus tempestatis, quæ tunc temporis interveniat, fiunt; adeo ut deprehensi in Animalibus motus tempestates solum indicent, non icidem faciant: videlicet, quæ per Autumnum, v. c. à nobis abeunt, necessitatem præ se ferunt nullam, quâ fieri tunc Hyemem oporteat, neque Natura quæpiam Divina affidet, discessum observans Animalium, ut subinde ea, quæ ab ipsis fuerint indicata, perficiat.

Quippe stultitiæ genus hoc est, quod ne in Animal quidem ullum, in quo vel mica fuerit ingenii, possit cadere; tantum abest, ut in eam Naturam, quæ nacta est, ac possidet omnigenam felicitatem.

## C A P U T VIII.

### *De Cometis, seu Stellis Crinitis, & de vocatis Cadentibus.*

**Q**Uæ hætenus dicta de Sideribus sunt, attinent ad Solem, & Lunam, ac Stellas, quæ ab usque Mundi initio creata, in Cælo constanter hærent, ac apparent. Sunt verò præter has Stellas alię, quæ interdum gignuntur, recénsve apparent, & post dies, mensesve non multos aut intereunt, aut occultantur; & Cometæ, quasi Comatæ, Crinitæve stellæ dicuntur, quòd appendicem lucidam, quasi quandam comam, sive crineis gerant. Sunt & nonnullæ momentanæ, quæ penè nascendo evanescunt, & excursu quodam visæ cadere, Cadentes vulgò appellitantur.

E e e

E t

Et quod attinet quidem ad Cometas, illi aut gigni possunt, quod certis temporibus ignis in quibusdam ex Sublimibus illis locis & succendatur, & succensus pro copia, & dispositione materiæ nutriatur, moveaturque in aliquod tempus: aut ideo apparent, quòd per varias vices Cœlum motionem quandam propriam, qua parte nobis imminet, subeat; aded ut Astra hujusmodi manifestari compellantur; seu, mavis, ipsamet ob certam aliquibus temporibus dispositionem, prodeant; & ubi inferius versum nos venerint, manifesta fiant.

Evenit autem, ut Cometæ evanescant ex oculis, ob causas hisce oppositas. Videlicet, sive idonea materies ipsis consequenter posita non sit, uti est in eo ipso loco, in quo hæere deprehenduntur; unde & sensim pabuli defectu veluti extabescant; sive quòd aliquid ipsorum motui obnitatur; idque contingat, non solum quòd hæc Mundi pars, circa quam reliqua convertitur, immota existat, uti asserunt aliqui; sed etiam, quod esse in aère possit quædam in orbem circumactio, quæ circumlationem illorum inhibeat, aliòque desest; uti & Astris cæteris, quæ dicuntur Errantia, accidere ad Tropicos potest.

Quin etiam aliis pluribus modis id effici potest, si modò quis, id quod est rebus apparentibus consonum, expendere ratiocinando valeat.

Ad Cadenteis verò appellatas Stellas quod spectat; eæ creari possunt, aut ex ipsarummet verarum Stellarum fragminibus detritu factis; aut ex prolapsu ejus materiæ, cujus velut difflatio sit, uti & contingere in fulgurationibus potest; aut ex coeunte serie ignificarum Atomorum ad id præstandum conspirantium; ac motione facta, prout vis coeundi ab initio exstiterit; aut ex Spiritus intra nebulosos quosdam glomeres coactione, inflammationeque (scilicet dum convolvitur) ac disruptione ipsorummet cohibentium glomerum, motioneque in eam partem facta, in quam impetus tulerit.

Enim verò alij quoque sunt quibus fieri id valeat, minimè fabulares modi. Verùm de Cœlestibus quidem sublimibus dicta hæc sunt,

## CAPUT IX.

*De Nube.*

**S**equuntur Sublimia Aërea, seu quæ propiùs nos in Aëre fiunt. Ordiendum verò ab ipsa Nube, qua sublimè in aëre nihil gignitur, visiturve frequentius.

Nubes itaque generari, & constare potest, imprimis quidem quapiam cumulatione aëris, compellentibus ipsum ventis; adèò ut Nubes nihil aliud sit, quàm aëris incrassamentum. Deinde, implexione Atomorum invicem cohærentium, & ad concrementum hujuscemodi conficiendum idonearum; idque dum primùm coëunt in parvas nubium moleculas, istæque deinceps in majores moleis ita congregantur, ut in maximas denique evadant.

Ferè autem apparent ad montium cacumina consurgere, quòd primæ concretiunculæ sint adèò tenues, ut visum fugiant, ac vento interim transferantur, donec paullatim addensatæ in ipsis montium verticibus, qui ideo fumare videantur, appareant.

Quod si quis hæreat, unde nam tanta Atomorum copia conflueret ac suppetere in tantas nubium moleis possit; is cogitet, nisi aliunde, at saltem venire extrinsecùs posse ex Universi immensitate, ubi infinita illarum est vis; idque, quòd ipsis principiis exitus, & introitus, ut antea quoque dictum est, per Mundi spiracula non negetur.

Præterea verò gigni Nubes potest collectione effluxionum, exhalationumve è Terra, & Aqua eductarum, sursumque evectarum. Nam multa quidem corpuscula è toto mari educi, declarant vestes, quæ in littore suspensæ humorem concipiunt; sed & videmus passim ex fluviis consurgere nebulas, eamque halituum, fumorumque copiam, quæ sursum elata suffundat Cælum caligine, & nubeis paullatim conveniundo sufficiat.

Quin multis etiam aliis modis coagmenta hæc fieri nihil vetat.



## CAPUT X.

*De Vento, ac Prestere.*

**Q**UOD Venti obiter memini, admonet posse Ventum gigni, primò, dum Atomi, corpusculave ex locis quibusdam idoneis profiliunt, ac per aërem transvolant, idque vehementiore effusione facta ex quibusdam congestibus, qui comparati sunt ad hujuscemodi emissiones. Nempe, cum in angusto inani multa sunt corpuscula, ventus sequitur; & contra status aëris quietus, placidusque est, dum in multo inani corpuscula sunt pauca.

Nam quemadmodum in foro, aut vico, quandiu paucitas est, sine tumultu ambulatur; ubi turba in angustum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit; sic in hoc, quo circumdati sumus, spatio, cum exiguum locum multa corpora impleverint, necesse est alia aliis incidant, & impellantur, ac repellantur, implicenturque, & comprimantur: ex quibus nascitur Ventus; cum illa, quæ collustabantur, incubuere, & diu fluctuata, ac dubia, inclinaverit se: at ubi in magna laxitate corpora pauca versantur, nec arietare possunt, nec impelli.

Deinde, potest Ventus gigni, dum aër, aut halitibus à Terra, & Aqua exspiratis, aut Sole supernè incumbente impellitur, & agitatur, scilicet, quòd perspicuum sit, ubi aër agitando percitus est, creari Ventum: adèd ut Ventus nihil esse aliud videatur, quam aëris fluctus; & intelligi inde possit habere Ventum aliquid simile cum aqua commota, & violentiores ventos ex graviore causa commovente esse; eo modo, quo torrentes sæviunt, ac stragem propagant, cum imbris largis in monteis decidentibus, magnus fit aquarum decursus.

Presteres porrò sunt gyri ventosi (nam ignei quidem, amburentesque, à quibus est nomen, species quædam fulminis sunt) gigni verò possunt, aut ex ipsa nubis versùs loca inferiora diversiformi depressione, dum à copioso vento, qui se involverit, nubisque latera corraserit, defertur, & compellitur; ac ventus etiam ipsam proximè extrinsecus agit: aut ex circumstante in orbem ven-

to,

to, dum & aëre supernè incumbente, simulque compulso & circumfuso aëre ob densitatem prohibente, ipsa copiosa ventorum vis non habet unde, aut quâ diffluat; ac tum ad latera, tum supernè repulsa, nubem necessariò deorsum contrudit.

Et ubi quidem ipse Prester in Terram usque demittitur, Turbines vocati creantur; ubi verò in mare usque, appellati Vortices. Apparent autem Turbines rariùs, quòd montes illos conspectui præripiant; Vortices autem crebriùs, ob patentem maris planitiem, in quam videre licet nubem columnæ speciei è Cælo demitti, & quasi vi brachii, pugnòque detrudi; donec vi venti perumpente, mare ferveat, ac discrimen navibus vix eluctabile fiat.

## C A P U T XL.

### *De Fulmine.*

**H**Aud abs re verò innui esse quoque Presteres igneos, qui à Fulmine non differant. Quippe videntur fulmina fieri ex multiplici flatuum corpusculis igneis turgentium, intra nubium moleis conglomeratione, eorundemque evolutione, accensionéque validâ, & effractione nubis ab igne, qui in loca inferiora ita validè explodatur, ut prout se talis explosio habuerit, nunc versùs montem quempiam præcelsum (quod genus locorum ferunt sæpiùs fulmina) nunc versùs alia dirigatur.

Nam certè Fulminis naturam esse igneam, vel illud arguit, quòd persæpe ædeis, in quas impingitur, accendat; quodque relinquat ustionis notas sulphuris foetorem halanteis. Non gigni autem, nisi intra nubis, ex eo manifestum est, quod nunquam sereno Cælo fulminet, sed nubes priùs ita concrevant toto aëre, ut Cælum eripiant, & terra nimborum quasi nox cooriatur. Denique intra nubem contineri multa corpuscula, seu, mavis, quasi semina ignis, tum effectus arguit, tum ex eo intelligitur, quod inter corpuscula nubis infernè emergentia, non aquea modò,

sed etiam ignea, & alia multa commisceantur; cum & sit necesse, ut nubes non pauca ex ipsis Solis radiis concipiat.

Itaque, ubi flatus, ventusve, qui nubeis coëgit, sese cum seminibus ignis intra nubis sinum, cavitatemque commiscuit, vortex intus fit, qui rapidè versatus, mobilitate incalescat; &, vel præ intensione caloris, vel alterius ignis contagio (si alius forte præaccensus sit) maturum quasi fulmen erumpat, ac percussa nube elidatur, forasque feratur. Percinditur autem, ac effingitur nubes, quòd loca vorticem circumstantia densius occupentur ab ipsis nubis partibus: neque ob earum compressionem pateat rimula, qua donec diffatur, sese insinuare, ac sensim penetrando subducere possit: atque adèd necesse est, ut ignis denique creatus, sui diffatione tum nubem potentiùs perrumpat, unde & auditur Tonitru, tum foràs prodiens emicet, & corusca luce loca omnia compleat.

Potest verò etiam vis venti in nubem extrinsecùs incidere, quo jam tempore est fulmen maturum, & nube percussa occasionem facere igneo vortici, ut erumpat.

Potest & ipse igneus vortex tametsi in ipsa sui eruptione nondum accensus, in sui deinceps trajectu per aërem, ignescere; eo modo, quo etiam sæpe plumbea glans per eundem trajecta & fervida fit, & concipit ignem. Potest quin-etiam ignis creari in ipso ad rem, quam ferit, impactu; nempe excitatis utrimque seminibus ignis; eo modo, quo ex silice ipso chalybis attritu excitantur.

Sunt vero & alij plures quoque modi, quibus iste ignis accendi, ac fulmen adèd creari possit: fabala modò heinc amandetur. Ammandabitur porro, si quis in rebus inconspicuis decenter defumat ex eo, quod rebus apparentibus consentaneum est, conjecturam.

Causa interim dicetur ex his, quæ fiat, ut Vere, & Autumno fulminet frequentius, quàm tempestatibus cæteris? nempe Hyeme defunt ignis semina, Æstate flatus, ac strues nubium; Vere, & Autumno, congrua adsunt omnia.

Quæ item, ut tanta mobilitas sit, tamque validus ictus fulminis? nempe id impetus eruptionis facit, & subtilitas, ob quam nihil per viam obstat, & vis quæ partim gravitate quasi duplicatur, partim mobilitate increfcit.

Qui,

Quî, ut penetret per sæpta domorum? ut Metalla momento solvat? ut vasis integris vinum exhauriat? nempe & id facit corpusculorum subtilitas, ac mobilitas, impetusque, quo possit momento ea discutere, & distrahere, quæ vulgaris ignis, aut Sol, nisi tempore prælongo, non possit.

## C A P U T XII.

*De Fulgure, & Tonitru.*

**T**Ametsi porrò obiter innui, quî Coruscatio, sive Fulgur, quî item Tonitru gignatur; non obstat hoc nihilominùs, quin & ista fieri pluribus modis valeant.

Nam Fulgur quidem fieri potest, aut affrictione, collisioneque nubium, profiliente utpote ejuscemodi configuratione, seu Atomorum aggestarum dispositione, conformationeque, quæ effectrix ignis sit, & generet fulgur; eo scilicet modo, quo diximus fieri, dum ferrum, & lapis mutuò colliduntur.

Aut excitatione per ventos è nubibus facta eorum corporum, corpusculorumve, hoc est, Atomorum, quæ splendorem hunc coruscantem efficiant; nempe, quòd ventus, ac potissimum, si plumbeæ glandis instar percaluerit, eadem excutiat corpuscula, quæ mutuo attritu nubium excutiuntur.

Aut expressione; sed facta nimirum vel ab ipsis inter se nubibus, vel à ventis ipsis compellentibus compressione, quæ citra impetum collisionis fiat.

Aut interceptione lucis à Sideribus diffusæ, quæ deinceps nubium, ventorumque motu adigatur, ac è nubibus excidat.

Aut dilapstione è nubibus facta tenuissimi luminis, dum nubes interiùs ab igne coguntur; ac aliunde tonitrua ipso illarum motu quasi quidam bombus, creantur.

Aut accensione spiritus, quæ tum motus contentione, tum convolutione, ut dixi, vehemente fiat.

Aut

Aut fractione nubium per ventos, ac prolapsione Atomorum, quæ effectrices ignis sint, apparitionisque fulguris sint causæ.

Quin-etiam posse pluribus modis generari fulgur, facile erit perspectu illi, qui & rebus apparentibus adhæserit, & quod est ipsa consentaneum, pervidere valuerit.

Sic verò etiam potest Tonitru creati, aut ex spiritus intra nubium cavitates volutatione, quemadmodum in nostris vasis, intra quæ quidpiam circumrotatur.

Aut creato bombo ex ipsa intra easdem nubeis ignis difflatione, & quasi ebullitatione.

Aut ex earumdem Nubium diffractionibus, distractionibusque, ut cum vesica intenta crepat, charta frangitur, carbassus abrumpi-tur.

Aut ex affrictionibus, impactionibusque earumdem, postea-quàm adeptæ concretionem quandam quasi glaciale[m] fuerint; id-que compellente eas vento; quemadmodum ramosæ sylvæ Cauro perflatæ fragorem edunt, fluctus infracti murmurant; suspensæ etiam vestes, chartæ volantes ventorum vi, ac veluti verberibus versatæ, plangunt.

Aut extinctione ignis fulminei ex una nube erumpentis, & in aquosam aliam incidentis, ac idedò perinde stridentis, ut cum fer-rum candens è fornace eductum in lacunam conicitur.

Aut concrematione nubis aridioris, quæ perinde concrepitet, ac silauri ramus cremetur.

Uno verbo, hoc quoque membrum explicari posse modis plu-ribus ea, quæ apparent, persuasum faciunt, præstantque ne id, quod ignari, ac superstitiosi persuasum habent, opinemur, Tonitrus so-num significare apparuisse Deum aliquem, quippe cum non minùs alia corpora inter se collisa, sonum quoque edant, ut mola con-trusa, aut complosæ manus.

Ne quis porrò hæreat, quò fiat, ut Fulgur, ejusve aspectus exau-ditionem tonitru antevertat: id contingere sanè potest, aut quòd in certa quapiam dispositione nubium, simul atque spiritus in ip-sas inciderit, ea configuratio corpusculorum profiliat, quæ coruf-cationem edat; deinceps vero spiritus ipse sui evolutione hunc so-num perficiat.

Aut

Aut quòd , cùm utrumque simul generetur ; Coruscatio pernicitate concitatiore ad nos feratur , Tonitru verò posterius adveniat ; uti fit in aliquibus , quæ ex intervallo cernuntur , & resonantibus ictus impingunt ; prius enim conspici ictum , quàm audiri sonum manifestum est.

## C A P U T XIII.

### De Pluvia & Rore.

**D**icendæ jam sunt Aqueæ Concretiones , quæ partim manent fluidæ , partim frigoris impressione soliditatem quandam accipiunt ; & quæ fluidæ quidem manent , sunt Pluvia , & Ros , ex quibus illa nubiloso , hic sereno Cælo creatur.

Pluvia autem potest ex nubibus fieri ; aut dum rariores existentes , urgente seu vento , seu incubitu proprio comprimuntur , & in guttas coalescunt . Aut dum existentes densiores , vi caloris , aut venti rarefcunt , atque transmutantur ; seu , instar cere , ita liquefcunt , ut stillatim decidant .

Siquidem aquæ semina contineri in nubibus , notius est , quàm ut dici debeat ; ea enim cum ipsis pariter ascendunt , pariter succrescunt ; neque secus per ipsas , ac sanguis per parteis nostri corporis disperguntur . Neque verò modò ex omnibus fluviis humor in nubis tollitur ; sed nubes quoque mari incumbentes humorem non secus , ac vellera lanæ concipiunt .

Quare & possunt Pluviæ ex nubibus effluere , aut cùm vis venti nubis contrudit , & copia nimborum coorta supernè eas urget , ac premit : Aut cùm nubes vi ventorum rarefcunt , diffuerè que humorem patiuntur , vel calore Solis ita dissolvuntur , ut stillatim , & quemadmodum dixi , quasi cera tabescens , liquefcant .

Fieri porrò potest , ut Pluviæ sint interdum valde diurnæ , quoniam tunc contingit semina aquarum complura , aliis aliisq ; nubibus identidem suborientibus , ac undelibet aliunde translatis , creandæ pluvie suppetere ; cùm & fumans interdum terra , quem totum hunc humorem recipit , rehalet .

FF

At

At verò Ros fit, aut coëantibus mutud ex aëre corpusculis, quæ ejusmodi sint naturæ, ut ad talem humoris speciem gignendam comparata sint: Aut educatione corpusculorum ex humentibus, a quosive locis, quæ rorem præsertim sursum generent; ubi deinceps sic coëunt, ut & humorem istum conficiant, & in subiecta loca defluant: scilicet non pauca similia apud nos, ac in Vaporariis potissimum, fiunt.

## C A P U T XIV.

### *De Grandine, Nive, & Pruina.*

**E**X Aqueis Concretionibus, quæ impressione frigoris in soliditatem quampiam congelascunt, duz sunt, quæ cælo nubiloso creantur, videlicet Grando, & Nix; una, quæ sereno, scilicet Pruina.

Et Grando quidem generatur, aut cum validior est congelatio præ constitutione venti frigidi, quæ undique circumstet, ac urgeat nubium stillicidia, seu guttas alioquin abituras in pluviam; aut cum gelata moles in parteis dehiscit, & moderatâ liquefactione stillæ aquosæ rimis insinuatæ tum molis interruptionem, tum compressionem partium, & totius compaginis diffractionem ad hoc efficiunt, ut partes per se singulæ compactæ subsistant, fragminumque acervum qui dispergatur, faciant.

Rotunditatem verò horum fragminum qualemcumque fieri nihil prohibet; aut quòd extremi anguli undequaque rescindantur, præ casus nempe prolixitate; aut quòd in ipsa conformatione quidpiam seu aquosum, seu ventosum particulas singulas undique, ut dictum est, & æquabiliter circumstet; ambitusque earum proinde non inæquabilis evadat.

Nivem autem fieri contingit, aut diffusa tenui ex nubibus aqua, eâ ratione ut spumeseat (prementibus nemps nubibus idoneis, ventis verò distantibus) ac in ipso postea motu congelascat, ob vehementiorem quandam in locis nubium inferioribus, frigiditatis conditionem.

Aut

Aut facta quadam æquabili in nubibus congelatione, ad quam dum corpuscula aquea mutuò compressa, convicinèque appellunt, fiat aggeneratio, talem obtinens laxitatem, qualem præ se ferunt nivis flocculi; cum & eadem magis sese compellentia creent grandinem; cujusmodi duæ res in aëre maximè fiunt.

Potest & hæc Nivis confertim cadentis velut ejaculatio fieri per detricionem ex nubibus, quæ priùs conglaciaverint. Potest & aliis quoque modis Nivis generatio parari.

Pruina denique ex iisdem, quibus Ros, corpusculis fit: nempe cum roris guttulæ alterutro modo creatæ, propter certam frigiditatis conditionem in aëre concrefcunt, ac levem compactionem congelando accipiunt.

## C A P U T X V.

### *De Iride, & Halone.*

**N**on sunt verò heic prætereundæ duæ quædam dignæ notatu res, quæ in nubibus, sublimève apparent; Iris nempe, seu ille Arcus variis insignis coloribus, qui è regione Solis formatur; & Halos, sive Area, quæ coronæ candidæ instar Lunam interdum circumambit.

Creatur porrò Iris, aut quòd aër humescens ad verso Solis splendore refulgeat; aut quòd ea sit specialis natura tum lucis, tum aëris, ut ejuscemodi colorum species exprimat, sive omnes, sive unicam, à qua deinceps resplendescente, partes confines aëris talem colorationem subeant; quemadmodum fieri observamus, cum cujuspiam rei partes illustratæ resplendescere conterminas faciunt.

Ad rotundam formam quod spectat; creatur ista arcus species, quòd æquo undique intervallo ad spectatoris oculum referatur; aut etiam, quòd Atomi, quæ ex aëre in nubem feruntur, ita compellantur, ut quæpiam inde facta concretio in hanc formetur rotunditatem.

Halos verò sit circa Lunam, aut everso undequaque versum



Lunam crassiusculo, sive leviter nubiloso aëre, dum intèrèa efflu-  
xiones quædam ab ea derivatæ ipsam reprimentes eatenus excernunt  
(quippe non penitus discutiunt) quatenus in orbem circa ipsam nu-  
bilosa hac specie conformentur.

Aut aëre, qui circum ipsam, congruè coactò, ad exprimendum  
rotundam hanc crassiusculamque circa ipsam, spe ciem. Quod qui-  
dem secundum nonnullas ipsius partis fieri contingat, seu affluxu  
quodam exterius cogente, seu calore appositè ad id præstandum  
subinsinuatò.

## C A P U T XVI.

### *De Avernis.*

**S**Upereft aliquid dicamus de locis Avernis, quæ dicere ita sole-  
mus, quòd avibus infesta sint; quatenus ubi aves per ipsa trans-  
volare contigerit, extemplò concidant, ac intereant: itémque de  
Pestilentiz causis quatenus quidem ex aëre dependent.

Repetendum verò heic solummodò est, continere Terram omni-  
faria corpuscula ita diversimodè figurata, ut quædam naturæ Anima-  
lium conducentia, quædam nocentia sint; & propter illorum tex-  
turas inter se adèdè dissimileis, quædam sint nonnullis congrua, ac sa-  
lutaria, quæ comperiantur aliis incommoda, ac perniciofa. Quidni  
id verò? cùm immutatâ per febrim ejusdem hominis texturâ, ac  
temperie, quod vinum priùs summè juvabat, plagæ mactabilis in-  
star fiat?

Sed enim plurima ingrata, infestaque, & perniciofa incurrere pas-  
sim in gustatum, in olfactum, in tactum, ac in omneis sensus manife-  
stum est; ac ne arbores memorem, quæ vel sui umbrâ dormientibus  
gravedinem creant, vel tætro etiam odore necant; ne gravem vim,  
odoremque carbonum, & similia: quæso, quàm varia loca sunt, quæ  
graveis, noxiosque odores bituminis, sulfurisque exhalant. Scrutato-  
res verò Metallorum, qui evadunt tam lividi, qui tam citò intereunt;  
quos non exspirari vapores infestòs ex intimis Terræ partibus com-  
periunt?

Ita-

Itaque loca quædam sunt, è quibus ij halitus expirantur, qui in superfusum aërem eveci, ipsum aliquousque venenent, qualitatè mortifera inficiant; aded ut, cum aveis per eum transire contigerit, veluti si mulier mensum tempore Castoreum olfaciat, & obstupefiant, & repente prolapsæ vitam etiam amittant.

Prætereo autem, fieri etiam posse, ut aëre, qui inter aveis, Terramque suppositus est, vi halitus prorumpentis discusso, locoque facto propè inani, volucres non habeant fulcimentum, cui pennæ expansæ innitantur, ut propagare volatum possint; sicque labantur, ac procidant, pondere corporis prægravante. Et sic quidem Averna.

## C A P U T XVII.

### *De Pestilentia.*

**P**estilentia autem, seu affectio exitialis aëris, utcumque possit etiam supernè, nubis nebulæque instar advenire; tum tamen præsertim creatur, cum Terra intempestivis pluviis, ardoribusque, putrorem est nacta; isque halitus ex ea confurgit, qui inficiat aërem, & longè, latèque non modò in Homines, sed in alia quoque Animalia grassetur.

Aërem certè facilè induere affectionem halitusè Terra proximè expirati, tum Regionales vocati morbi indicio sunt, ut heic apud nos frequens *Podagra*, apud Achæos *Ophthalmia*, apud Ægyptios *Elephantiasis*; tum quod experiuntur, qui peregrinantur, dum aded perspicuè agnoscunt, quanta in locis variis aëris diversitas sit.

At propagari interdum hanc affectionem per aërem, ipsa Pestilentiz affectio declarat; ut illa imprimis, quæ proavorum nostrorum memoriâ, cum ortum habuisset in Æthiopia, ita in Lybiam, Ægyptumque, & universam penè Regis Persarum ditionem excurrit, ut etiam in nostram hanc Urbem, regionemque pervenerit, ipsamque planè vastaverit.

Fit porrò ista propagatio, dum venenatus halitus corpuscula sua aëri commiscens, corpusculorum illius situm ita transponit, per-

vertitque, ut quicquid similitum est suis, in eandem texturam conformet; ut dum ignis subiens corpusculis suis in lignum, coagmentationem ejus sic commutat, ut quicquid in illo igneorum est corpusculorum eliciat, & ex ipsis novum, ac sui similem ignem faciat. Deinceps verò, ut ignis mobilitate sua proserpens, habet unde sese in sylvam integram propaget; ita affectio pestilens præ mobilitate corpusculorum, ex quibus contexitur, sensim prorepat, ac aërem longè, & quousque admodum diversâ affectione inhibeatur, commutet. Nimirum dicas idem fieri, ut cum nubes, ac nebula per aërem repit, & paullatim, quâ graditur, immutat, conturbâtque ipsum.

Præterea autem, dum Homines aërem spirando inducunt in corpus, sorbere illos pariter ea affectus corpuscula, quibus, quæ similia in corpore sunt, eo modo, quo de aëre dictum, transponantur, pervertanturque, & contagio, vicinia, afflatu, ea transmittantur deinceps in alios, quæ parem perversionem faciant, præstentque, ut morbus populatim denique grassetur.

Atque hætenus quidem non Meteorologia modò, sed & universa Physiologia esto: de qua quæ pauca edisseruimus, ejusmodi profectò sunt, quæ contemplando facta perspecta præstent ut deinceps ea, quæ ipsis sunt affinia, possint perspicere, & valeant simul quæ causæ sunt effectorum naturæ specialium, pernosci. Nam qui ista quidem quam-maximè studiosè possunt, non prosequuntur; ij longè absunt, ut aut ipsa quatenus decet, perspiciant, aut finem, cujus gratiâ perspicenda sunt, consequantur.

Ac non sunt quidem unquam Mente abjicienda Criteria (neque ipsa adè evidèntia, quæ juxta illorum unumquodque est) quoniam si ab istis non discesserimus, id, unde oritur perturbatio, quòdque metum ingerit, recta cum ratione edisseremus, nósque ab ipso eximemus; causam videlicet tenentes eorum, quæ in sublimi fiunt, ac reliquorum simul omnium, quæ passim interveniunt, summumque terrorem cæteris incutiunt.

Verùm Criteriis suppositis, juvat maximè dedere seipsum speculationi Principiorum, ex quibus constant omnia, & infinitatis Naturæ, aliorumque his cohærentium, ac memoria jugi conservare ea, quæ de ipsis præcipua sunt, maximèque generalia Effata. Quippe exinde maximè licet procul fieri à fabulis, & statum illum  
Animi

Animi imperturbatum obtinere, qui germanus est, & unicus scopus, in quem nos, isthæc omnia edifferentes collineavimus.

# P A R S P H I L O S O P H I Æ

## T E R T I A.

Q V Æ E S T

### ETHICA, SEU DE MORIBUS.

**C**um jam supersit Ethica, seu Philosophia de Moribus; haud abs re dictum est initio esse eam præcipuam Philosophiæ partem habendam; quoniam illa quidem, quæ est de Natura, ut illeic quoque deduximus, supervacanea evaderet, nisi ad vitæ finem, qui Ethicæ est considerationis, conferret. Sanè ipsa quoque Prudentia, quæ ad hanc partem attinet, ideò naturali Philosophiæ præcellit, quòd illi imperet, ipsamque ut medium accommodet ad Moralis finem.

Quod dico interim Partem hanc circa vitæ finem versari, admonet, cur nobis sit moris eam dicere, quæ est de Vita, & Moribus, seu de Actionibus vitæ instituendis (neque enim mores aliud sunt, quàm humanæ vitæ consuetæ actiones) itémque de Fine, hoc est, de extremo, summove Bonorum, quæ prosequimur; ac rursùs de eligendis & fugiendis, quatenus præscribit Electionem eorum, quæ ad illum finem conducunt, & fugam eorum, quæ ab eodem avertunt.

Nam, ne longum morer; Finis quidem vitæ, tacito omnium hominum consensu, Felicitas est, sed cùm omnes ferè ab hoc fine aberrent; an-non necesse est id contingat, vel quia non eam, quam oportet, Felicitatem sibi præstituunt; vel quia quibus mediis oportet, ad illam minimè contendunt?

Cùm videamus sanè tam multos, quibus cùm abundè omnia sup-  
pe-

petant, quæ ad vitæ usus necessaria sunt ( quippe & affluunt opibus, & decorantur honoribus, & filiis probæ indolis florent, & quicquid demùm videretur posse vulgè expeti obtinent ) eveniat nihilominus, ut anxij, querulique sint ; curis, & sollicitudinibus scateant, percellantur terroribus, vitam uno verbo degant miseram : intelligi exinde licet ignorare illos, in quo sita sit, & unde habenda felicitas vera, ac ideò esse illis pectus instar vasis, quod partim fluxum, pertusumque expleri nullatenus possit ; partim liquore tætro imbutum, quidvis receptum conspurcet, ac vitiet.

Quare & operæ pretium est beneficio hujus de Fine, ac Felicitate Philosophiæ pectus sanare, purgarèque ; ut & paucis rebus explebile sit, & nullâ non re jucundè fruatur. Philosophandum sed enim nobis, non ad speciem, sed seridè est : quando nobis opus non est, ut sani videamur, sed ut sani simus. Philosophandum item quamprimùm, neque in crastinum differendum ; quoniam hodie quoque beatè vivere interest ; & hoc mali habet stultitia, quod semper vivere incipit, destinatve incipere, & nunquam tamen interim vivit.

Mirum sanè dictu ! semel nati sumus : bis nasci non licet, ac desinere ætatem oportet : Tu verò, ô bone ! cum diem crastinum in tua potestate non habeas, cras te victurum reputans te in horas venturas differs, ac interim hodiernum amittis ? Sic omnium vita cunctando perit ; exindèque est, ut nostrum non-nemo inter occupationes moriatur. Nemo non ita exit è vita, quasi modò intraverit ; ac potest ideò sensibus quoque exprobari infantia, quod quasi alienum agentes negotium, vivere se non senserint, vitæque ipsis tota abierit sine fructu vitæ.

Admiramur ergo ita vivere, ut nos temporis exacti non poeniteat, ac die præsentè ita fruamur, quasi crastinus ad nos nihil attingeat. Videlicet ad crastinum suavissimè accedit is, qui minimùm egens, appetensque crastini est ; & grata illi supervenit hora, cujus nimiam sibi non fecerit spem. Cum molestum sit vitam semper inchoare ; esto nobis illa continuo, quasi perfecta, absolutaque, & quasi cumulo ipsius nihil desit. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur ; nos verò demus operam, ut nostra sit grata, ut secunda, ut non modò præsens, sed etiam, ut jam collocata in tuto.

Sanè

Sanè hoc est demùm fugere stultitiam, evehere se in illam Sapientium quasi speculam, è qua videre cæteros liceat palanteis errare, & vitam nequicquam quærere in vita. Quod si esse reputas suave, è Terra nautas colluctanteis cum rempestatibus spectare; aut citra tui periculum exercitus prælia miscenteis contueri: nihil esse suavius omnino potest, quàm è sereno Sapientiz folio desipientium turbas, contentionesque contemplari. Non sanè, quod jucundum sit cæteros malis affici, sed quod iisdem malis non involvi delectet.

Cæterùm, ut liceat nobis pro virili, & quadamtenus adjutare illos, qui pervenire ad hoc Sapientiz quasi culmen desiderant; sic ea congeremus, quæ hisce de rebus meditati hæctenus sumus, ut dicamus primùm de Felicitate, quæ summum bonum homini est; ac deinceps de iis, quæ ipsi creandæ, conservandæque conferunt, quæque aliud non sunt, quàm ipsæ Virtutes.

## C A P U T I.

*De Felicitate; seu fine Bonorum, quatenus illius  
Homo capax est.*

**E**T de Felicitate quidem hoc solum præmitto, idcirco illam dici Finem, hoc est, Ultimùm, Extremum ac Summum Bonorum; quod cum ea Bona dicantur, quæ ad sui prosecutionem appetitum alliciunt, & ex ipsis bonis quædam propter se, quædam propter alia expetantur, ipsa Felicitas tale bonum sit, ad quod referri omnia oporteat, ipsum autem nusquam.

Neque obstat, cum Felicitas, & Beatitudo, seu beata vita idem sint, à nobis nihilominus Beatæ vitæ finem aliquando dici; id facimus enim phrasi gentilitiâ, quâ Beatæ vitæ finem, & Beatam vitam pro eodem habemus; non verò quâ significemus esse ulteriorem finem aliquem, ad quem Beata vita referri censeatur.

Hoc autem præmissio, par est duplicem ab usque initio distinguere

Felicitatem; unam videlicet Supremam, quæ intensio- nisque sit incapax; alteram subalternam, in quam cadere adjectio, & detractio voluptatum potest.

Et prior quidem concipitur quasi quidam status, quo nullus possit melior, suavior, desideratior excogitari; in quo nihil sit mali, quod timeas, nihil boni, quod non habeas; nihil quod agere libeat, ac non liceat, qui denique constantior sit, quàm ut amitti unquam possit.

Posteriorem autem habemus, ut statum, in quo, quantum licet, quam-optimè sit; seu in quo bonorum necessariorum quam-plurimum, malorum quorumvis quam-minimum adsit; atque adeò in quo traducere vitam suaviter, tranquille, permanenter detur; quantum quidem ipsa conditio regionis, societatis, generis vitæ, constitutionis corporis, ætatis, & similibus circumstantiarum permiserit.

Non est verò nequicquam, quòd ita distinguo, ac definitio: siquidem tamen perspicuum videatur priorem illam esse habendam Dei propriam; non desunt tamen, qui de se, suâque sapientiâ magnificè sentientes, illam sibi ut polliceri, sic adrogare audeant, ac sese idcirco Deo pares dicant, modestiq; sint, si se uno Jove reputent minores.

At illi videntur profectò suæ mortalitatis, imbecillitatisque oblit, cùm quicumque illius sunt conscij, agnoscere facillè possint non esse homines alterius, quàm posterioris capaceis; ac multum præstare Sapientiam, si cùm omnes homines quadamtenus miseri sint, te in statu collocet, in quo sis minimè omnium miser; aut inter varios miseræ gradus, quibus obnoxius natus es, collocet in eo, in quo sis quàm minimè miser. Quippe istud demùm est, esse felicem, iis carere malis, quibus angî posses; ac iis interim bonis frui, quibus majora eâ, quâ es conditione, esse non possint.

Hæc certè est causa, cur censeam Sapientem, tamen carebit sensu oçulorum, tamen etiam aurium, futurum nihilominus beatæ vitæ participem; quoniam & adhuc perseverabit in quam-multis licebit bonis, & iis malis privabitur, nisi corporis, saltem Animi, quibus alioquin posset vexari.

Quin etiam profiteor Sapientem, tamen dirè torquebitur, adhuc tamen felicem fore. Nempe non divinâ illâ quidem, sed hac humanâ felicitate, quæ in Sapiente semper est tanta, quanta esse maxima, pro conditione temporis potest.

Nam

Nam in tormentis quidem dolores perferunt; interdum etiam ingemiscunt ob illos, atque ejulat; sed interim tamen, quia facta illos patiendi necessitate, minime ipsos exasperat, seu præ impatientia, ac desperatione gravioris non facit, quin potius quam-maximâ potest Animi constantiâ illos mitigat, quodammodoque leviores reddit; eatenus sanè beatior est, quam si illis succumberet; illorum videlicet instar, qui cruciati similibus, non pari virtute, & constantiâ eos tolerant; neque paria habent à Sapiencia, (quæ adhibet saltem vitæ innocentiam, conscientiaque securitatem) quibus ea levent adjumenta.

Quare neque est, quod quis cavilletur, esse ergo nobis pro eodem Phalaridis Taurum, ac rosas; & Sapientem proinde, dum in illo Taurum periretur, clamaturum. Quàm suave est! quàm hoc non curo! quàm pro nihilo habeo! siquidem alia sunt, quæ sapiens malit sibi contingere, ut corporis quies ab omni incommodo libera, & Animi remissio bonorum suorum contemplatione gaudens; alia sunt, quæ quamvis nolit accidere, cum accidunt tamen, & constanter perferunt, & illa etiam laudat, comprobaturque: quatenus habet, unde sibi de sua constantia gratuletur, ac dicere potest, Uror, sed invictus. Quidni optabile sit, non quòd urit me ignis, sed quòd non vincit?

Atque hæc quidem prout contingit Sapientem quoque esse obnoxium ut morborum doloribus, sic cruciatibus tyrannorum; tametsi neque illos accersat, neque istos provocet, quantum quidem decorè potest. Quod superest autem, neque ea semper, neque omnibus tempora incidunt, in quibus longè ut indolentiùs, ita & feliciùs vivere non liceat.

## C A P U T II.

*Voluptatem sine qua notio Felicitatis nulla est, rem bonam suapte natura esse.*

**C**Um porro & suave, seu volupe sit, sine dolore vivere, & suave quoque, seu volupe bonis frui, ipsisque recreari; constat qui-



quidem felicitatem non posse sine utraque hac, aut altera saltem, suavitate, voluptateve intelligi (nempe pro eodem Voluptatem, Suavitatem, Iucunditatem, cæteraque id genus habeo) verum esse aliquos videas, qui magnâ pompâ adversus ipsam Voluptatem sic disserant, quasi quidpiam malum sua natura sit, ac adedò ab ipsa sapientia, felicitatèque alienum.

Quare & priusquàm disquiramus reverane Felicitas in Voluptate consistat, declarandum est Voluptatem esse ex natura sua quid bonum; uti & Dolor oppositus quidpiam est suapte natura malum.

Sanè verò cùm illud sit Bonum, quod juvat, quod placet, quòdque adedò amabile est, appetitumque allicit; uti & Malum illud, quod nocet, quod est ingratum, quòdque idcirco sui odium, aversionemque concitat; nihil est, quod magis, quam Voluptas demulceat, magis delectet, magis diligatur, expetatur magis; ut contra nihil est, quod magis quàm dolor incommodet, displiceat, abhorreatur, refugiatur. Adedò proinde ut Voluptas non modò esse videatur Bonum, sed ipsa quoque Boni ratio, quatenus est id, cujus causâ res aliqua bona est, seu expetitur; uti & Dolor non modò Malum, sed ipsa etiam Mali ratio, quatenus est id cujus causâ res aliqua est mala, seu refugitur.

Quippe & tametsi interdum Voluptatem refugiamus, non ipsa tamen est Voluptas, quam refugimus, sed quem fortè habet annexum dolorem; uti &, si dolorem aliquando prosequamur, non ipse est dolor, quem prosequimur, sed quam voluptatem fortè habet adjunctam.

Nam, ut rem dicam paullò explicatiùs, nemo ipsam Voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit; sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porrò quisquam est, qui Dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, confectetur, adipisci velit; sed quia nonnunquam ejusmodi incidunt tempora, ut labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem.

Ut enim ad minima veniam: quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam: nisi, ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum jure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiæ consequatur; vel illum,

illum, qui dolorem eum fugiat, quo Voluptas nulla pariat; at verò eos & accusamus, & iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditiis præsentium voluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate, non provident. Similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitiâ Animi, id est laborum, & dolorum fuga.

Et harum quidem rerum facilis est, & expedita distinctio. Nam libero tempore, cum soluta nobis est eligendi optio, cumque nihil impedit, quò minùs id, quod maximè placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor depellendus. Temporibus autem quibusdam sæpe eveniet, ut & voluptates repudiandæ sint, & molestiæ non recusandæ.

Itaque tametsi omnem Voluptatem esse quid bonum existimemus, & omnem Dolorem quid malum: non asserimus tamen oportere semper aut prosequi illam, aut fugere hunc; sed esse in ipsis sicut qualitatis, ita quantitatis habendam rationem. Nempe præstare, ut dolores sustineamus aliquos, quo voluptatibus potiamur uberioribus; ac expedire, ut abstineamus ab aliquibus voluptatibus, ne subinde dolores difficiliore perferamus.

Quò fit, ut hic sit quasi fons, ex quo de Criteriis agentes, Cationes varios circa Affectum, Passionemve deduximus, habentes putà Voluptatem, & Molestiam, sive Dolorem pro Electionis, Fugæque Criterio, neque id profectò injuriâ. Siquidem commensuratione, & rerum juvantium, lædentiumque delectu dijudicare hæc omnia decet, quandoquidem bono interdum, ut malo, & vice versa interdum malo, tanquam bono utimur.

Ex hisce ergo, ut rem inculcem, dico nullam Voluptatem esse per se malum, sed ea, quæ nonnullas voluptates pariunt, ejusmodi esse, ut multò ampliores voluptatibus dolores inducant: addòque proinde, si voluptas omnis sic in seipsam colligi posset, ut nullum dolorem neque in se complecteretur, neque post se relinqueret; fore omnem ipsa sui collectione non minùs perfectam, absolutamque habendam, quàm sint opera naturæ præcipua, forèque adeò, ut voluptates nullatenus inter se differrent, ac possent idcirco indiscriminatim optari.

Quin etiam, si illa quoque ipsa, quæ sunt luxuriosis efficientia

voluptatum, liberarent eos rerum sublimium, & mortis, ac doloris metu; docerentque qui essent fines cupiditatum; nihil haberem, quod reprehenderem; cum undique completerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id est malum.

### C A P U T III.

#### *Felicitatem universè in Voluptate consistere.*

**N**unc, ut ad id, quod proposui accedam, videtur planè Felicitas in Voluptate consistere; quanquam id comprobandum primò universè est, ac dicendum posteriùs in quam spaciatiùs consistat.

Universè ergo videtur Voluptas esse ut principium, ita & finis Beatæ vitæ; quando esse eam bonum primum, & nostræ, omnisque animalis naturæ congenitum deprehendimus; ipsaque est, à qua electionem, fugamque omnem auspicamur, & in quam tandem desinimus; hoc affectu usi, tanquam Regulâ ad bonum omne dijudicandum.

Et quod Voluptas quidem sit primum, congenitumque bonum, seu, ut solent dicere, primum aptum, accommodatumque naturæ, ex eo demonstratur, quòd omne Animal, simul atque natum sit, voluptatem appetat, eaque gaudeat, ut Summo Bono; Dolorem aspernetur, ut summum malum, & quantum possit, à se repellat (& videre certè licet, ut ne Hercules quidem ab interula succensa depectus, sese contineat, quin lacrymetur.

*Clamans, fremensque; at undique resonant Petra  
Locorum, & Eubææ juga alta montium.*

Facit verò id omne Animal nondum depravatum, ipsâ naturâ incorruptè, atque integrè judicante.

Itaque nulla est ratio, neque disputatione opus, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit; constat scilicet hoc sentiri; ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel; quoniam nihil oportet exquisitis rationibus confirmare; satis est admonere. Et enim,

enim , quoniam detractis de Homine Sensibus , reliqui nihil est : necesse est , quid aut secundum naturam , aut contra sit , à natura ipsa judicari : Voluptatem etiam & perse expetendam esse , & dolorem ipsum per se esse fugiendum . Etenim quid percipit , & quid judicat , quò aut petat , aut fugiat aliquid , præter Voluptatem , & Dolorem ?

Quod verò Voluptas , ut primum naturæ accommodatum est , sic etiam expetendorum extremum , sive bonorum finis sit , vel ex eo potest intelligi , quod Voluptas sit sola , ob quam cætera sic expetimus , ut ipsa non ob aliud , sed sui-met causâ solum expetatur . Quippe possumus quidem alia expetere ; ut delectemur , seu voluptate afficiamur : at nemo requisierit propter quam causam delectari , aut affici voluptate velimus . Profectò non magis , quàm propter quam causam esse felices desideremus ; ut putà quod ut eodem gradu , sic pro eadem re haberi Voluptas , ac Felicitas debeant ; atque adeò pro Fine , sive ultimo , ac summo bonorum , ad quod referantur quidem cætera , ipsum autem aliò nusquam referatur .

Confirmatur autem ex eo , quod Felicitas non aliunde esse , ut jam præmonuimus , Felicitas intelligatur , quàm quia est status , in quo licet quam suavissimè , jucundissimèque , hoc est , quanta fieri potest maxima cum voluptate degere . Tolle enim hanc suavitatem , jucunditatem , voluptatem ex vita ; ecqua ; amabò , tibi notio Felicitatis supererit ? non illius modò , quam dixi Divinam , sed etiam alterius , quam humanam haberi ; quæque aliunde magis , & minus , sive intentionem , ac remissionem non suscipit , quàm quis cadere in ipsam adjectio , & detractio Voluptatis potest ?

Ut res etiam possit ex comparatione voluptatis eum dolore manifestiùs intelligi ; constituamus aliquem magnis , multis , perpetuis fruentem & Animo , & corpore voluptatibus ; nullo dolore nec impediante , nec impendente ; quem tandem hoc statu aut præstabiliorem , aut magis expetendum possumus dicere ? inesse enim necesse est in eo , qui ita sit affectus , & firmitatem Animi , nec mortem , nec dolorem timentis , quod mors sensu careat , dolor in longinquitate levis , in gravitate brevis soleat esse : ut ejus magnitudinem celeritas , diuturnitatem allevatio consoletur . Ad ea cum accedit , ut neque Divinum Numen horteat , nec voluptates aut bonorum præ-

teri-

teritorum memoriâ , aut futurorum expectatione partas effluere patiatur, earumque assidua recordatione lætetur, quid est, quod huic possit, quod melius sit, accedere?

Statue contra aliquem confectum tantis Animi, corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt: nulla spe proposita fore leuius aliquando; nulla præterita, nec præsentis, nec expectata voluptate; quid eo miserius dici, aut fingi potest?

Quòd si vita doloribus referta maximè fugienda est: summum profectò malum est vivere cum dolore; cui sententiæ consentaneum est, ultimum esse bonorum, cum voluptate vivere. Neque enim habet nostra Mens aliud quidpiam, ubi consistat, tanquam in extremo; omnesque & morbi, & ægrotudines ad dolorem referuntur, nec præterea est res ulla, quæ aut sua sede naturam sollicitare possit, aut frangere.

#### C A P U T IV.

*Voluptatem, in qua sita Felicitas est, esse Indolentiam corporis, & Tranquillitatem Mentis.*

**V**erumtamen, cum sint duo quædam, ut paullo antè est insinuatum, voluptatum genera; nam Alia quidem spectari potest tanquam in statu, seu quiete; aded ut nihil aliud sit, quàm placabilitas, sedatio, & vacuitas; immunitasve à perturbatione, ac dolore: Alia verò tanquam in motu; aded ut consistat in suavi motione, veluti lætitia, hilaritate, & quacumque sensus jucundè, & quodam quasi cum dulcore, & tirillatione movetur, ut dum quis per famem, & sitim comedit ac bibit: ided quæri potest, in utraque ne; an in altera, & quanam foelicitas consistat?

Dicimus ergo voluptatem, in qua consistit felicitas, sive finis beatæ vitæ, esse voluptatem priorem, hoc est, stabilem, seu in statu, atque idcirco non aliam, quàm Indolentiâ corporis, & Tranquillitatem Mentis.

Quocirca & cum universè Voluptatem Beatæ vitæ esse finem dicimus, longè profectò absurdus, ut eas voluptates, quæ sunt viro-

virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus spectantur in ipsa motione, actioneque fruendi, quâ nimirum sensus jucundè, dulciterque afficitur, intelligamus; veluti quidam rem ignorantem, aut à nobis dissentientem, aut alioquin adversum nos malè affecti, interpretantur; sed illum dumtaxat, ut res iterum dicatur, intelligimus, non dolere corpore, ac Animo non perturbari.

Siquidem non comotationes, comestationesque perpetur; non ipsa cum pueris mulieribusque consuetudo, non piscium delicia, aut quæcumque aliæ mensæ lautioris cupediæ, jucundam vitam pariunt; sed quæ cum sobrietate, serenóque adeò Animo est ratio, causas cur quidque eligendum, fugiendumque sit, investigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima Mentis occupat perturbatio.

Ut noscatur verò quamobrem hæc sola voluptas sit finis; observari debet naturam ad voluptatem aliam primario, & tanquam ad finem non tendere, quàm ad stabilem; quæ ex amotione doloris, molestiæve consequitur. Nam mobilem quidem non habet ut finem, sed apparat solum tanquam medium ad stabilem, nimirum, ut sit quasi condimentum operationis illius, quæ ad eximendum dolorem, molestiamve est necessaria. Sic enim, cum fames, & sitis v.c. res sit molesta, Animalque incommodet; primarius finis naturæ est, ut in eo statu Animal constituat, in quo sit ab hac molestia immune: & quia id, nisi comedendo, bibendóque non potest fieri; ideò suavitate ipsam comedendi, bibendi que actionem condit, ut Animal tantò libentius sese ad comedendum, bibendumque accingat.

Ac vulgò quidem Homines præposterè agentes, nimirum inconsideratè intemperanterque abrepti, voluptatem, quæ est in motu, tanquam finem sibi præstituant; verùm advocata in subsidium sapientia voluptates in ordinem, & concinnitatem redigit; docetque non aliam pro beatæ vitæ sine constituendam, quàm quæ finis sit secundum naturam, quæque non alia profectò sit ab ea, quam prædiximus. Etenim duce ipsâ Naturâ quicquid agimus, eò spectat, ut neque corpore doleamus, neque Animo perturbemur; ac ubi id semel assequuti sumus, omnis Animi procella sedatur, & nihil majus est, ad quod respectemus, quasi requirentes quidpiam aliud, quo ipsum tam Animi, quàm corporis bonum compleatur: tunc enim voluptate egemus, cum ex illius absentia excitur in nobis dolor; ac cum non dole-

H h

mus;

mus ; tunc nulla in nobis voluptatis indigentia est.

Ex quo fit proinde, ut magnitudinis voluptatum terminus, seu voluptas summa, ipsa sit doloris amotio, seu qui amotionem consequitur status. Nam ubicumque voluptas adest, quandiu quidem adest, ibi nihil est dolens, aut ægrum, aut utrumque simul. Fit etiam proinde, ut privatione doloris terminata voluptas summa, variari quidem, distinguique possit, augeri autem amplificarique non possit. Natura enim, quousque omnem prorsus dolorem exemerit, voluptatem auget, at sublato omni dolore, non patitur ipsam secundum magnitudinem provehi, sed admittit solum varietates quasdam minimè necessarias; utpote quæ ad id ne doleamus, non comparentur.

Quin etiam heinc fit, ut abs re insultent, qui causantur nos non habere illud, omni dolore carere, ut aliquid dolorem inter, & voluptatem medium; sed ipsum cum altero membro sic confundere; ut non solum pro voluptate, sed etiam pro summa voluptate habeatur. Nam quoniam, cum privamur dolore, ipsa liberatione, & vacuitate omnis molestiæ gaudemus; omne autem id, quo gaudemus; voluptas est, ut omne id, quo offendimur, dolor; doloris omnis privatio rectè nominata est voluptas. Ut enim cum cibo, & potione fames, sitisq; depulsa est, ipsa detractio molestiæ consequutionem affert voluptatis; sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis.

Unde & potest quoque discrimen ostendi, cum urgent non esse, cur status ille medius voluptas potiùs, quàm dolor dicatur. Quippe detractâ voluptate, non statim consequitur ægritudo, nisi in voluptatis locum dolor fortè successerit; at contrà gaudemus omittendis doloribus, etiam si voluptas ea, quæ sensum moveat, nulla successerit; eoque intelligi potest, quanta voluptas non dolere sit; & nisi quis capiat, eos interroget, qui morborum doloribus acerbissimis instantur.

Quod verò etiam sunt, qui rident, objiciuntque esse voluptatem hanc constitutionem quasi dormientis, ac nos inertis insimulant; idcirco faciunt, quia non advertunt constitutionem hujusmodi non esse nobis merum torporem; sed potiùs ejusmodi statum, in quo omnes vitæ actiones placidè simul, atque jucundè peragantur. Nam nolumus quidem Sapientis vitam esse quasi torrentem, rapidumve flumen; at non idcirco tamen esse voluimus quasi aquam restagnantem, & mor-

tant;

tuum; sed potius quasi aquam fluvij tacitè, placidèque labentis. Quare & contendimus ejus voluptatem esse non inertem, sed eam, quam ratio efficit firmam sibi.

Verùm hosce ut mittam, & ad id, quod caput est, redeam, in idè-  
que insistam, duo apud nos bona sunt, ex quibus illud summum, bea-  
tùmque componitur; ut Animus sine perturbatione; ut Corpus sine  
dolore sit: atque ita quidem, ut hæc bona, ubi omni molestia detracta,  
plena fuerint, minimè crescant: quò enim crescat, quod plenum sit?  
si corpus omni dolore caret, quid accedere ad hanc indolentiam po-  
test? Si Animus constat sibi placidusque est, quid accedere ad hanc  
tranquillitatem potest? quemadmodum serenitas Cæli non recipit  
majorem adhuc claritatem, in sincerissimum nitorem repurgata; sic  
hominis corpus, Animùmque curantis, & bonum suum ex utroque  
necessitatis, perfectus est status, & summam voti sui invenit, si nec  
æstus Animo est, nec dolor corpori. Si qua extrà blandimenta con-  
tingunt, non augent summum bonum, sed ut ita dicam, condiunt,  
& oblectant: absolutum enim illud humanæ naturæ Bonum, corpo-  
ris, & Animi pace contentum est.

## C A P U T V.

*De iis, quæ hanc Felicitatem, seu Voluptatem pa-  
riunt, ut cum-primis Virtutes sunt.*

**I**Am, cum ista Corporis, Animique pax, hoc est Tranquillitas in  
hoc, in illo Indolentia, completa Hominis Felicitas sit; nihil no-  
strâ magis interest, quàm ea, quæ ipsam facere, tuerique possunt,  
meditari, quandoquidem, dum illa adest, quod non habeamus, ni-  
hil est; dum abest nihil non agimus, ut consequi ipsam possimus; &  
tamen, ut dictum jam est, plerumque non consequimur.

Itaque videtur imprimis non secus de Felicitate, quàm de Sani-  
tate philosophandum esse; siquidem constat illum statum, in quo  
Animus sine perturbatione, corpus sine dolore est, nihil esse aliud,  
quàm perfectam totius Hominis sanitatem. Quo sit, ut intelligi



liceat, quemadmodum in corpore, sic in Animo quoque ipso, ea, quæ sanitatem creant, & conservant, ipsa eadem esse, quæ obstant, ne morbi adveniant; aut si advenerint, curant, expelluntque.

Cùm verò adversus Corporis morbos comparata sit Medicinæ ars, quæ remedia iis præcavendis, propulsandisque adhibet; idè non multam circa illos superest nobis operæ; sed quædam Monita esse posse satis videntur.

Unum, ut, quò averti possint, aut leviores fieri, & plerumque curari, colatur Temperantia, vitæque sit sobria, atque continens; quòd morborum seges non aliunde soleat, quàm ex opposito vitio proficisci.

Alterum, ut cùm eos patiendi incubuerit necessitas, Fortitudo occurrat, & tum perferantur Animo constanti, tum præ impatentia non exasperentur; ac vel illud solatio sit, quòd futuri sint, aut magni, breves; aut diuturni, leves.

Adversus Animi autem morbos comparata quidem Philosophia est, unde & illam Animi quasi medicinam meritò habemus: verùm ea non perinde ab iis, qui Animo laborant, consulitur aut adhibetur. Id nempe, quia corporis morbos ipso Animo judicamus; morbos verò Animi neque sentimus corpore; neque Animo aut agnoscimus, aut judicamus, ut par est; quoniam ipsummet quo judicandum sit, ægroet. Unde & intelligi potest, esse reverà Animi morbos perniciosiores, quàm corporis; ut inter morbos corporis, illi omnium gravissimi, & periculosissimi sunt, qui sui sensum adimunt, sicuti veternus, aut febris ardentior.

Quin-etiam esse Animi morbos deteriores, quàm corporis, eadem declarat ratio; qua voluptates Animi sunt voluptatibus corporis potiores. Videlicet, quòd corpore nihil nisi præsens, & quòd ad est; Animo autem & præterita, & futura sentiamus. Ut enim æquè doleamus Animo, cùm corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si v. c. aliquod æternum, & infinitum impendere malum nobis opinemur; quòd idem licet transferre in voluptatem, ut ea major sit, si nihil tale metuemus: cùm & illud perspicuum sit, maximam Animi aut voluptatem, aut molestiam, plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, quàm eorum utrumvis, si æquè diu sit in corpore.

Quo-

Quoniam verò duo quidam sunt capitales Animi morbi, Cupiditas nempe, ac Metus, cum propaginibus variis, cùmque adjuncta ubique Ægritudine, seu Molestia, eo modo, quo corporis morbi cum adjuncto Dolore sunt; ideò Philosophiæ est munus adhibere remedia, quæ ipsos, ne Animum invadant, prohibeant; aut, si invaserint, tanquam è præsidio dejiciant. Tales sunt potissimùm cupiditates inanes opum, honorum, aliarum rerum, & metus à Diis, à morte, & alii, quibus latè grassantibus, nulla unquam pars Animi relinquitur sana.

Remedia porrò, quæ Philosophia adhibet, ipsæ sunt Virtutes quæ à Ratione, seu Prudentia generaliore profectæ, hujusmodi Affectus arcent, & expellunt. Dico autem Rationem, seu generaliorrem Prudentiam, quoniam cùm sit quædam Prudentia specialior, actionibus vitæ singularibus dirigendis inserviens; agnoscitur tamen altera generalior, quæ nihil aliud sit, quàm ipsamet Ratio, ipsumve Rationis dictamen; ac idem plærisque habeatur cum ipsa Sapientia; cùm aliunde Virtus nihil aliud sit, quàm perfecta quædam dispositio Animi, quam Ratio, seu Prudentia creet, ac Animi morbis, seu vitiis opponat.

C A P U T VI.

*De recta Ratione, ac Libero Arbitrio, à quo laus  
omnis Virtutum est.*

**H**inc, cùm deinceps de Virtute, ejusque speciebus videatur dicendum, præmittendum est quidpiam de ipsa Ratione, ac simul de eo, quod in ea est, Libero Arbitrio; cùm exinde sit universa, quæ Virtuti competit laus; uti est & oppositum quod Vitio debetur, probrum, ac vituperium.

Iraquæ, cùm Ratio generatim nihil aliud sit, quàm facultas ratiocinandi, seu judicandi, ac unam rem inferendi ex alia; tum illam speciatim heic accipimus, quæ in rebus agendis, seu Electionem, Fugamque cadentibus, judicat, ac infert, seu ratiocinatur.

H h 3

Cùm

Cùm possit autem iudicium, sive ratiocinium rectè, perversèque institui: illa quidem Ratio, cujus pravum est iudicium; non est propriè ratio; nosque illam potiùs Opinionem dicimus: at tamen, ob frequentem usum, dicatur quoque, si lubeat, Ratio, dummodo prava intelligatur; uti & recta Ratio dici potest Opinio, modo intelligatur ea, quæ sana sit.

Ac ipsam quidem Rationem rectam tum naturæ bonitas facit, tum rerum peritia, sive Experientia, ac observatio sedula, ex qua efficitur, ut quasi habitis firmis correctisque Principiis, ratiocinatio solida sit, & jure ad illius provocetur iudicium, qui expertus est, ac prudens rerum; sed & huc faciunt, quæ de Criteriis in Canonica disputata sunt, quæque recensere nihil est jam opus.

Interim porro cùm dico res in electionem, fugamque cadentis; suppono esse quoque in nobis Liberum rationis Arbitrium, hoc est, facultatem eligendi, & prosequendi id, quod esse ipsa ratio bonum iudicavit; respuendi vero, ac refugiendi, quod eadem iudicavit malum.

Esse autem id reipsâ in nobis, experientia probat, & communis sensus, quo constat nihil esse laude, vel vituperio dignum nisi quod liberè, voluntariè, iudicatur, ex electione fit; ac idcirco pender ab eò, quod est in nobis, quodque ab omni dominatu liberum, immunèque est, ac ejusmodi, ut propterea præmia, suppliciaque jure legibus constituentur: cùm fieri nihil posset iniquius, si hominum actiones essent condicendæ rigidæ illi necessitati, quam ex Fato ortam aliqui, ut omnium Dominam introducunt, dum quicquid accidit, aut fit, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse declarant.

Satius longè profectò est, fabulosæ, hoc est, vulgari de Diis opinioni addici, quàm Physicorum Fato servire; imponentium ipsum cervicibus nostris, ut sempiternum Dominum, quem dies, noctesque timeamus. Quippe illa opinio, ob reverentiam, quæ Diis habetur, ut exorentur, facit spem; hoc verò habet necessitatem inexorabilem adjunctam.

Ac verum est quidem in rebus ratione carentibus fieri aliqua necessariò (quanquam non ea necessitate, quæ impediri non valeat; uti & in Canonicis, & tum, cùm de Causis ageremus, attigimus) at in Homine ratione utente, & quatenus quidem illa utitur, necessitas pror-

prorsus est nulla; ac nos idè conati sumus declinationem motuum asserere Atomis, ut deduceremus, qui posset Fortuna humanis rebus intervenire, ac illud quod in nobis est, sive Liberum Arbitrium, minimè periret.

Nempe congruum omnino est, ut nos in omnem partem versemus, & contendamus ingenium; in id incumbendo, ut quomodo-cumque demum à motione sempiterna Liberum tueamur Arbitrium, ac pravitatem evadere inculpabilem non patiamur.

Quod de Fortuna autem dico, non eò sanè facit, ut ipsi tribuamus Divinitatem aliquam, non modo instar vulgi, sed illorum etiam, qui illam habentes ut causam quampiam instabilem, non existimant quidem porrigere ipsam quasi manu hominibus boni, aut mali aliquid, quod ad beatam vitam faciat, sed putant tamen illam bonorum malorumque insignium occasiones suppeditare: non eo, inquam, facit; sed ut agnoscamus, sicut necessitate, & consilio, sic etiam fortunâ multa fieri, ac idcirco Sapientis esse, ut se comparet adversus Fortunâ.

Porrò, cum quicquid bonitatis, aut malitiæ est in humanis actionibus, non aliunde pendeat, quàm ex eo, quod, quis sciens, & volens, seu liber facit; ideo Animus est assuefaciendus, ut & sanè sciat, hoc est, ratione rectâ utatur; & sanè velit, hoc est, ut Liberum Arbitrium ad id, quod verè est bonum, flectat, ab eo, quod verè est malum, deflectat: siquidem talis assuetudo eam dispositionem in Animi gignit, quam esse Virtutem definivimus; uti opposita gignit eam, quam proinde licet definire Vitium.

Taceo autem illud esse verè Bonum, quod Voluptatem, ut sinceram, ita sine ulla unquam futura molestia, ac pœnitentia creat; illud verè Malum, quod sincerum Dolorem, & sine ulla unquam futura voluptate, & allubescencia parit. Verum autem utrumque dico, ad ejus discrimen, quod nisi apparens, fucatumque non est; cujusmodi quidem est Bonum, quod voluptatem præsentem creans, insequitur nihilominus molestiam, ac pœnitentiam habet: Malum vero, quod dolorem, molestiamve præsentem pariens, voluptatem habet, allubescenciamque futuram, ut intelligitur ex iis, quæ deducta jam antè sunt.

## CAPUT VII.

*De Virtutibus ipsis generatim.*

**C**æterum, cum sit omnis Virtus aut ipsa Prudentia, Rationisve rectæ dictamen, prout ipsi assuescimus; aut ab ipsa Prudentia; rectæve Rationis dictamine regatur, ac pendeat; constat ad hoc posterius genus spectare tum illam, qua quis est erga se affectus, tum illam, qua erga alterum; cum Prudentia aliunde ea sit, qua quis ad regendum comparatus est, non modò seipsum, verùm etiam alios.

Et quæ Virtus quidem est ad alterum, ea dici Justitia generatim solet; at ea qua quis erga seipsum affectus est, duplex vulgò distinguitur, Temperantia, & Fortitudo. Moris est nobis ut utramque Honestatis nomine complectamur, uti dum agere ex virtute, nihil esse aliud, quàm Prudenter, Honestè, Justè agere dicimus; videlicet, quatenus ii qui sobriè, continentèrque vivunt, vivere honestè, seu decorè dicuntur; & qui gerunt se fortiter, gerere se honestè, seu decorè censentur.

Quare & nos quoque, ut cæteri solent, quadruplicem distingui-  
mus Virtutem, ut putà Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Justitiam; sed ita nihilominus, ut Prudentiam non tam ulli opponamus affectui, quàm Incogitantia, Ignorantia, Stultitia (nisi tamen ex accidenti, quatenus perturbatio rationem veluti occæcat, facitque, ut homo imprudenter agat) & Justitiam similiter, non tam affectui, quàm Malitia, qua quis in fraudes pronus est (nisi etiam ex accidenti, quatenus ira, odium, avaritia, aut passio alia facit, ut injulè agatur;) Temperantiam autem opponamus alteri memoratorum paullò antè affectuum, videlicet Cupiditati; & Fortitudinem alteri, videlicet Metui.

Patet proinde, quod antè dixi, Rationem esse sobriam, rectæve institutam, quæ vitam jucundam, seu beatam pariat, eò spectare, ut intelligamus, præstare id illam beneficio Virtutum, quas ingenerat, ac tuetur. Et quod adjeci illam investigare causas, cur quidque eligendum, fugiendumve sit, ac abigere opiniones, ob quas plurima Menteis occupat perturbatio; eò attinere, ut intelligamus esse

esse etiam idem cum generaliore Prudentia, quæ est omnium Eligendorum, Fugiendorumque principium, ac ideo Bonum maximum, quod ab ea exortæ Virtutes perturbationes sedent, edocentes vivi jucundè non posse nisi prudenter, honestè, justèque vivatur, ut neque prudentur, honestè, ac justè, quin vivatur simul jucundè.

Efficì autem ex hoc vides quamobrem censeam esse Virtutes Beatæ vitæ congenitas, ac fieri non posse, ut ab iis vita jucunda separetur. Nempe cætera quidem omnia, ut caduca, atque mortalia, sunt à germana, constantique voluptate seperabilia; sola autem Virtus, ut bonum perpetuum, atque immortale, inseparabilis ab ea est.

Simul verò ex his intelligitur, esse omnes Virtutes inter se connexas, & ex capite quidem duplici; Uno; quia cum ipsa principe Prudentia cæteræ omnes conjunctæ sunt, ut cum capite membra cætera, aut cum fonte rivi ex ipso manantes: Altero; quia tam Prudentia, quam cæteræ cum jucunda vita coherent; & neque, nisi adsint Virtutes, esse jucunda vita potest; neque adesse Virtutes possunt, quin vita simul jucunda sit.

Neque porro tametsi omnes inter se nexæ Virtutes sint, ideo pares inter se sunt, sicut aliqui autumant, qui & paria esse inter se Virtutes omnia, peccataque defendunt. Nam & potest quis esse ad justitiam quam Temperantiam comparatior; & potest, in uno esse, quam in alio Temperantia perfectior; nam (quod citrà quidem invidiam sit dictum) ipse, v. c. diutiùs jam in eo sum, ut in sobrietate proficiam, non toto asse pascor; Metrodorus, qui nondum tantum profecerit, toto. Constat & inter homines esse alium alio sapientiosem; & ex iis, qui rectè & ex Virtute agunt, non paria decerni præmia omnibus; uti neque peccantibus paria decernuntur supplicia. Nempe, quòd iis sensus, moreque repugnent, qui paria omnia faciant, & peccare æquè contendunt eum, qui Parentem, & eum, qui servum verberet injuriâ: cum & sint, apud quos nihil distet, fabam comedas, an Parentia caput.

Sed hocce, ut mittam, illi alij sunt, qui, quòd Virtutes ad Voluptatem, seu Felicitatem comparatas esse dicamus, insimulant, ac debacchantur, quasi intelligamus eam; quæ obscœna, infamisque Voluptas sit. Verùm illi sinendi sunt, ut lubuerit, de-

blaterare; nam & quod Virtutem summum Bonum faciunt, facimus & nos, si modò de mediis ad beatè vivendum conducentibus sermo sit; neque enim aliud est ullum, quod, quantum ipsa Virtus, possit, ipsaque aded præstantius sit (scilicet non opes, non gloria non amici, non liberi, &c.) At, si de ipso beatè vivendo, seu Felicitate sit sermo: quid-ni sit hoc bonum Virtute superius; cum finis sit, cui obtinendo ipsa Virtus interserviat?

Inclamant aliunde, quòd Virtutem enervem faciamus, dum tantum ipsi virium non tribuimus, ut sapientem omni passione, affectuè carentem reddat, seu patiatur illum aliquibus tangi, ut quòd v. c. in amicorum morte mœreat, lacrymetur, gemitus, ac suspiria ducat: verùm, cum magni jure faciamus quod possit nos Virtus & à vanis terroribus, & à cupiditatibus inanibus eximere, quando ista capita sunt graviorum omnium perturbationum; non parvi quoque ducimus, si ad cæteros affectus quod spectat, illos ad ejuscemodì mediocritatem redigat, in quo remaneat aliquis humanitatis veluti sensus,

Illa certè omnimoda, quam jactare solent, mœroris detractio, à majore alio malo proficiscitur, immanitate scilicet, ac immoderata vanæ gloriæ ambitione, & quasi rabie: aded ut videatur longè præstabilius passionem quampiam experiri; mœrore quopiam affici, oculos non pati turgere, sed in lacrymas fluere; & quæ ij patiuntur, aut fingunt, qui affectu tenero esse, amantesque videri volunt, quàm ex horum decreto sapere, & ringi.

## C A P U T VIII.

### *De Prudentia universè.*

**V**erum, ut aliquid speciatim de Virtutibus singulis dicamus; ducendum initium à Prudentia est, cujus cum sit munus vitam regere, & quicquid in vita contingere potest, sic prospicere, ut ad beatam vitam illud dirigat; videri potest una omnium Virtutum munera complecti.

Et

Et quòd Prudentia quidem comparetur ad hoc, ut quæ in vita accidunt omnia, siue omnes vitæ actiones ad beatam vitam, seu felicitatem, Voluptatè mve expositam componat; nimis quam manifestum est. Ut enim Medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonæ valerudinis causa probamus; & Gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet utilitate, non arte laudatur; sic Prudentia, quæ omnino ars vivendi putanda est, non expetere-tur, si nihil efficeret in vita: nunc autem expetitur, quòd est tanquam artifex conquirendæ, & comparandæ ejuscemodi volu-ptatis.

Prudentia enim (seu fortè mavis Sapientiam dicere) est una, quæ non modò præcaveat, ne quid incidat, unde corpus doleat, sed quæ etiam potissimum mœstitiam pellat ex Animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat; qua præceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant sæpe Rem-publicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditio-nes, bella nascuntur; nec hæ sese foris solùm jactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt; sed intus etiam in Animis inclu-sæ inter se dissident, atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici; ut Prudens, siue Sapiens solus amputata, circumcisaque inanitate omni, & errore, Naturæ finibus conten-tus, sine ægritudine possit, & sine metu vivere.

Quòd si vitam omnem videmus perturbari errore, & inscitiâ, Prudentiamque esse solam, quæ vos à libidinum impetu, & for-midium terrore vindicet, & ipsius fortunæ modicè ferre doceat injurias, & omneis doceat vias, quietem, & tranquillitatem fe-rant. Quid est, cur dubitemus dicere, & prudentiam propter voluptatem expetendam esse, & imprudentiam propter molestias esse fugiendum?

Quod dico autem Virum Prudentem ferre modicè Fortunæ in-jurias, idèd est, quòd nisi speciatim, at generatim saltem eas ha-bet provisas; neque, si quidpiam præter spem, præterque suscep-ta consilia contingat, idcirco se cruciat quòd norit non esse hu-manæ solertiæ, sagacitatis, facultatis, aut providere, aut impe-



dire, ne quidquam adversi molestique eveniat. Imò satius ducit ratione bene institutâ ( quantum videlicet humana imbecillitas patiat ) infortunatum fieri quàm malè in itâ fortunatum; ac nihil esse putat præclarior, quam si quidpiam fortuna pulcrè feliciterque dirigat, fuisse id ipsi non sine iudicio, deliberationeque commissum.

Quamquam & ita se gerit Sapiens, ut cupiditates inaneis rescindens, ad necessaria se contrahat, quæ tam pauca, parvâque sunt, ut ea vix ulla eripere fortunæ iniquitas possit; adeò proinde, ut cùm nulla, vel planè exigua fortuna intervenire Sapienti possit, is videatur illi posse dicere, *Occupavite, Fortuna, atque cepi, omniaque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.*

Verumtamen de rescindenda cupiditate inferiùs: nunc, cùm spectari Prudentia possit, quatenus quis aut seipsum regit, aut domum, seu familiam aut civitatem, seu Rempublicam; sicque aut Privata, aut Domestica, aut Civilis distinguitur. Agedum de singulis pauca.

## C A P U T I X

### De Prudentia Privata.

**E**T de Privata quidem, unum ferè est caput, ut quisque genium suum nôrit, & nihil naturâ repugnante adorsus, maturè provideat de statu, in quo totam vitam exacturus sit, & cui omneis vitæ actiones sic accommodet, ut quàm fieri possit indolentissimè, atque tranquillissimè vivat.

Oportet enim sibi finem, sibi vitæ scopum ratum, constantemque præfixum habere; & ratione quidem bene in itâ secundum omnem evidentiam quâ solemus expendere, si quid opinamur, aut statuimus; omnia quippe, nisi id fiat, indiscretæ temeritatis confusionisque plena evadent, ac suscepti institutive subibit sera pœnitentia.

Quin etiam, nisi occurrente quavis occasione unamquamque actio-

actionum tuarum, ut ad hujuscemodi scopum, sic ad ipsum naturæ finem, quem tibi in illo constituendo proposueris, referas; sed ad aliud quidpiam sive prosequendo, sive refugiendo deflectas; non erunt tibi vitæ actiones propriis sermonibus consentaneæ; sed tranquillitatem exempli gratiâ verbis extollens, negotiosum re ipsa te; turbationique obnoxium prodes.

Is porro præscriptos à Natura fineis in vitæ ratione ineunda perspexit, cui perspectum est, quàm parabile sit, facileque occurrat, quod necessarium ad vitam sit; seu, quod ad detrahendum, quicquid ob indigentiam in corpore dolet, sufficiat. Exinde videlicet novit ita præclare seriem vitæ totius constituere; ut nullatenus rebus, ac negotiis contentionis, ac aded aleæ periculique plenius indigeat.

Ex hoc proinde fit, cur Sapiens paupertatem non valde timeat, quando tam rarum est, ut ea, quæ necessaria sunt, cuiquam desint. Quod si fortè ea quoque desint, ac pecunia ad ipsa comparanda indigeat; non idcirco tamen vitam sic instituet, ut Cynicorum more mendicet, sed aliquos potius ac Sapienciam ita erudicendos suscipiet ut & rem agat Sapientia dignam, & sibi interim necessaria ab iis, quibus rerum sit abunde, provideat.

Quatenus tamen, & quousque aut istud, aut aliud ipsi affine præstandum sit, ubi necessaria deficiunt (ac id agitur, ut quæ sita Animi fiducia, ea, quæ in diem accidunt, generose excipiamus) adhibenda est ipsamet Sapientia, Philosophiave in subsidium; malo scilicet consultori earum rerum arbitrium, quæ nostra intersunt, permittimus, si quod naturæ est necessarium, sine Philosophia & metimur, & apparatus.

Quare oportet Philosophantem hujuscemodi rebus providere, & usque-dum quidem adhibita ipsis cura diligens eas suppeditarit. Quandiu autem quidpiam ex ipsis, sine quo perfecta constet fiducia, potest detrahi, non attingere se opibus, alimentisque comparandis.

Philosophiâ igitur duce, harum rerum studium suscipiendum est; ac fiet brevi, ut agnoscat quæ Virtus, & quanta boni sit, id solum in ipsis, quod sit minimum, simplex, levèque, requirere; quoniam quod in vita suavissimum, & à molestia alienum est, id

ex minimo quo quis sit contentus, dependet. Quæ verò secum impedimenta sollicita rerum comparatio trahit, cum agnoscantur ex gravitate, laboreve corporis, aut ex ipsa rerum comparandarum difficultate, aut ex abductione à speculationum longè præstantissimarum studio (quod continens esse operæ-pretium fuerit) aut quapiam alia demùm ex causa, ea sanè evadit protinus infrugifera, neque digna, quæ cum perturbationibus consequentibus commutetur.

Quod præmonui autem, ut quisque genium suum nôrit, seseve ipsum consulat, ut sui ipsius destinationem, quatenus se ad aliquid idoneum compererit, faciat, idcirco feci, quòd alioquin nihil esse possit ærumnosius, & à tranquillitate alienius, quàm illud vitæ genus sequi, ad quod ineptum sinxerit Natura.

Quò fit, ut neque vito desidiofo vita actuosa sequenda sit, neque actuoso desidiofa: quippe ut illi otium quies, actio labor est; sic isti otium labor, actio verò quies. Sic timido, ac leni defugienda militia est; audaci, atque impatienti umbratica vita. Siquidem neque ille in bello, neque iste in umbra potest tranquillè degere; quod idem potest facile intelligi in cæteris: aded proinde, ut nihil sit tutius, quàm illud solum aggredi, quod exsequi non adversante, repugnantèque natura possis.

Unum addo, ut quantum licet, is status, qui deligitur, quò securior sit, & tranquillior, deligatur mediocris. seu qui neque valde emineat, neque valde abjectus sit. Quoniam versari in civitate neque ut leonem, neque ut culicem oportet; ne aut hujus instar facile exteraris, aut instar illius insidiis capteris.

## C A P U T X:

### *De Prudentia Domestica.*

**A**D Domesticam Prudentiam quod spectat, cum ea esse posse videatur, aut Conjugalis, & Paterna; aut Herilis, & Possessoria; licet circa priorem quidem ad id solum attendere, quod elicitur ex iis, quæ sunt mox de genere vitæ instituendo dicta.

Vide-

Videlicet, si ita quidem comparatum te noveris, ut vivere cælebs sine angore non possis; ut possis patienter morosam uxorem, malè moratos liberos ferre: ut valeas non admodum angere, ubi videris liberos ejulanteis morbo, laboranteis, tibi præmorienteis; ut non sollicitudinibus variis distineri, distorquerique quod omnia necessaria ad conjugalem statum provideas; quod nocumenta omnia avertas, atque id genus cætera: eo casu & ducere uxorem & suspicere liberos, quibus Prudentia conjugali, & paterna consulas, licet. At nisi talem te noveris; vides, si ducas, si suscipias quantum tibi ad Beatam vitam, hoc est, germanam tranquillitatem, sis facturus impedimenti.

Ac præsumere quidem potes & uxorem morigeram, & bene natos liberos; & curas non multas, nec magnas; verumtamen præsumes solum, neque se quia Deus tibi vadem dabit, rem ita cessuram, ut præsumpseris. Quare cum sit saltem res admodum anceps; alienum à Sipientia est, ultrò subire aleam, aced se conjicere, unde, si deinceps pœniteat, revocare pedem non possis.

Dico tamen, ultro, quoniam potest aliqua vitæ circumstantia exigere, ut invitus licet, nuptias adeas, liberosque suscipias; veluti si eo loco sis, ut tibi sit Patriæ commodis serviendum. Nam, quod nonnulli quidem prætextunt propagationem generis, cui veluti adstricti sumus: periculum sane non est, ne desint, qui & nuptias colant, & procreandis liberis vacent, ut invidendum proinde sit, si Sapientes aliqui pauci ab hoc munere præstando abstineant.

Quod si quispiam casus, aut certum consilium, necessitate aliqua te ad nuptias adegerit; tum & uxor est eo loco habenda, ut tui amantem, partisque curarum suscipientem reddas; tum liberi ita curandi, ut partim Natura præscribit, quæ ad hoc nos instigat, ut simul atque nati sunt, illos depereamus, sollicitique pro iis sumus (quod ovibus etiam ac lupis, aliisque Animalibus est commune) partim ipsa Sipientia, quæ ita instituendos monet, ut & Patriis legibus obsequentes sint, & ipsæmet fieri sapientes exoptent.

Neque verò hæc cura modò pro liberis propriis suscipienda est; sed

sed pro liberis etiam Amicorum, ac si pupilli præsertim sint; cum nihil esse possit amicitia dignius, quam se tutorem gerere, ac parentis loco erga illos habere, quos Amicus præmoriens & summè amaverit, & ut orphanos, ita præsidio indigentes reliquerit.

Circa posteriorem, & quatenus quidem subsunt servi, ac famuli, qui ipsi sunt necessaria quidem, sed parum plærumque jucunda possessio; ita debet Sapiens dare operam, ne insolescant, ac morosi fiant, ut mansuetè se, quantum fuerit fas, erga illos gerat; & discolos quidem penè invitus castiget, memor scilicet esse homines; facilè autem indulgeat, veniamque condonet, ac si qui præsertim indolis non malæ, diligentisque existierint. Et ne id modò, sed etiam ubi aliquos natos ad Sapientiam compererit, quales apud nos non defuere, ac ipse præ cæteris *MVS*, illos & promoveat, & Amicos vocet, & philosophari secum suave ducat.

Quatenus autem familiaris res subest; illius curam ita habebit, sicque in futurum prospiciet, ut id tamen citra avaritiam, ditescendique cupiditatem fiat. Sed de hac quidem cupiditate postea. Interim verò non debet Sapiens rem familiarem negligere; quia id ex usu vitæ est; ne si pessum nempe res eat, ac deinceps quæ sunt ad vitam necessaria non suppetant, philosophando obex fiat, dum aut laboriosè requirenda erunt, quæ potuerant nullo, exiguoque negotio servari; aut emendandum, petendumque importunè ex alio, quod quis potuerat ex seipso facili studio obtinere; aut senescendum, ægrotandum, moriendum ea in egestate, quæ tranquillitati Animi non parum officiat.

Ac præter illa quidem, quæ sunt vitæ usibus necessaria, esse quædam possunt, quæ pro conditione personæ, loci, temporis habenda necessaria sint, ac idcirco non habenda neglectui: at esse præsertim eorum cura debet, quorum ad tollendum indigentiam naturalem necessitas est, quibusve negatis natura ipsa dolet. Talis est frugis provisæ copia; ipsique eos magis commendamus, qui frumentum, domum, quam qui suppellectilem pretiosam important; delectat nos certè maximoperè, quòd cum nuper gravi obsidione urgente, tam multi fame in hac nostra civitate perierint; ipsi tamen potuerimus tot, ac tam bonos familiaris, Amicosque nobis convenientis servare;

re; non congestis lautis eduliis, sed provisa fabarum copia, ex qua ad certum numerum licuit dietim impertiri.

## C A P U T X I.

### *De Prudentia Civili.*

**Q**Uod attinet demùm ad Civilem Prudentiam; id reputandum haud secus est, quod circa ipsum genus vitæ eligendum est insinuatum.

Nempe, si qui sint natura ambitiosi appetentésque gloriæ, actuosi aliunde, & publicis rebus gerendis idonei; ac insuper ij, quibus aut nascendi conditio, aut fors, & occasio januam facilem ad publicæ rei administrationem aperiat; possunt ij non quietem sectari, sed se publicæ administrationi, actuosæque vitæ deditos, suæ naturæ obsequi: scilicet, cùm sint ita comparati, ut ex vita otiosa perturbationem, & molestiam, dum quod concupiscunt, non assequuntur, trahant.

At si qui aut suapte natura comparati ad otium sint; aut ambitionem, vanitatémque vi rationis represserint; aut quid id sit rei experti, quasi ex procellis emerferint; aut tot, tamque magnis exemplis facti cautiore fuerint; haud abs re illi reputabunt esse sibi otium longè præstabilius, neque esse congruum, ut illud cum vita actiuosa commutent; nisi quid fortè interueniat ex parte Rei publicæ, quod eorum industriam deposcat; unde & concludimus, Sapientem non esse ad Rempublicam nisi quid intervenerit, accessurum.

Quid ni? cùm illi otium sectanti liceat faciliùs longè, ac tutiùs eundemmet finem consequi, quem sibi viri ambitiosi per pericula, ac labores præstituunt?

Nam de horum scopo ut dicam; non defuere unquam, qui ut securitatem ex hominibus adipiscerentur (ac pro conditione quidem Principatus, & Regni, ex quibus eam vulgò comparari putant) affectaverint gloriâ præfulgere, illustresque evadere; existi-

stimantes se hac ratione statum securū, tranquillūque ex hominibus paraturos. Ac si secura quidem fuit, tranquillāque ipsorū vita, ij sunt illud ipsum, quod naturæ est, bonum consequuti: nisi autem secura, tranquillāque fuit (ut revera esse vix potest) tum exciderunt sanè ab eo, quod naturę congruum nancisci ex principatu frustra appetierunt.

At cūm Sapientis scopus sit idem, securitas nempe, & tranquillitas vitæ, quanto, amabò, compendio ad eum pervenit, cūm vitæ civilis turbas fugiens, directò, ac statim seipsum, in profundissima quiete, & quasi in portu omninò silente, tranquillòque constituit? Felix profectò, qui perñerit summum Bonum, Beatāque vitam, non in principatu, aut potentia dominatrice consistere; non in numerosā pecunia, aut possessione rerum ampla; sed in vacuitate doloris, sedationeque affectuum, ac dispositione illa Animi, quæ ipsis Naturæ finibus omnia circumscribens, efficit, ut paucis contentus id obtineat, quòd illi nisi imperent multis, opesque magnas habeant, obtinere se posse dissidunt.

Certè, si de me liceat dicere, felicitati summæ duco, quòd factionibus Civitatis me nunquam immiscuerim, ac populo nunquam placere, adularique studuerim. Ecqua verò id facerem ratione? quando quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus, ego nescio. Quàm verò & mihi, & ipsi Metrodoro simul non nocuit, occultis vixisse; cūm videlicet inter bona tanta, quibus licuit parvis in hortis, inque obscura Melite frui, nobilis hæc Græcia nos non modò ignotos, verūm etiam penè inauditos habuit!

Dixi autem, nisi quid interveniat ex parte Reipublicæ; quoniam si Respublica vocet, ac opera nostra reipsa indigeat, inhumani sumus, si cūm licuerit plurimis prodesse, nolimus. Simus & nobis ipsis injuri; cūm, nisi salva Republica, esse nobis non liceat, id quòd maximè cupimus, otiosus.

Haud ergo sic se habet Sapiens, ut videre aliquos licet, qui professi Sapiētiā, videntur sibi adèd pulcrè præ fastūs abundantia, perspectum habere negotium politici regiminis, ut paria Lycurgo, ac Soloni moliri se posse confidant.

At si rogetur, ut leges ferat, ut & formam regiminis, & Magistratuum

Tuum

tuum munera præscribat; id non detrectabit: ratus nempe illos, qui primi condidere leges, ac jura, & constituere regimen, Magistratùmque in Urbibus, vitam constituisse in statu securo admodùm, & tranquillo; cùm si quis de medio ista tolleret, vitam viveremus ferarum, & qui alium haberet obvium, ipsum tantùm non devoraret.

Sin vocetur, ut Princeps sit, & juxta leges, ac regimen jam constitutum Rempublicam regat; non detrectabit similiter, ratus, tametsi ea res aleæ plena plærumque sit, posse tamen virum Sapieniem sic prospecta habere omnia, sic providere omnibus, ut exigua illi, quod antè dicebam, Fortuna interveniat, & maximæ interim gravissimæque res consilio ipsius, & ratione administrantur. Dabit verò operam imprimis, ne, cùm hominum infirmiores debitum obsequium potentioribus exhibuerunt, isti illos aut opprimant, aut egere rebus ad vitam necessariis, ipsi iis affluentibus, patiantur. Quippe, cùm is sit omnis societatis, ac Rempublicæ adq̄ finis, ut ex operis mutuis præstitis, vita omnium sit tuta, ac beata quàm-maximè licet.

Tandem, si à Principe vocetur, & occasio poscat, ut seu consilio, seu auxilio obsequium illi exhibeat; id denique non detrectabit; ratus, cùm sit non modò pulcrius, verùm etiam jucundius, beneficium dare, quàm accipere; rem fore ut pulcerrimam, sic longè jucundissimam, beneficium conferre in Principem, ex quo ad tam multos sit redundaturum. Sed hæc de Prudentia.

## C A P U T XII.

### *De Temperantia universè.*

**S**equitur Temperantia, pars, ut jam est dictum, Honestatis prior, ac talis quidem, quæ præcipuam honesti, ac decori continere rationem videatur. Nempe cùm illius sit munus Animum cupientem reprimere, ut Fortitudinis est eundem metuentem erigere; minùs indecorum habetur pusillanimitate demitti, quàm



cupiditate efferrî; atque idcirco magis decorum cupiditati obfistere, quàm ad verſus metum eniti.

Initio verò illud quoque circa Temperantiam obſervandum eſt, expeti ipſam non propter ſe, ſed quia voluptatem pariat, hoc eſt, Animis pacem afferat, & eos quaſi concordia quadam placet ac leniat. Siquidem, cùm in moderandis cupiditatibus verſetur, ac idcirco in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut ſequamur, moneat; non ſatis eſt judicare quid faciendum, non faciendumve ſit; ſed ſtare etiam oportet in eo, quod ſit judicatum.

Plerique autem, quòd tenere, atque ſervare id, quod ſtatuerent, non poſſunt, viſti, & debilitati obſecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec quid proventurum ſit, provident: ob eamque cauſam propter voluptatem & parvam, & non neceſſariam, & quæ veſ aliter pararetur; & qua etiam carere poſſent ſine dolore; tum in morbos graveis, tum in damna, tum in dedecus incurrunt; ſæpe etiam legum, judiciorumque poenis obligantur.

Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propterea dolores conſequantur, & qui ſuum judicium retinent, ne voluptate viſti faciant id, quod ſentiunt non eſſe faciendum; hi voluptatem maximam adipiſcuntur prætermittenda voluptate. Jidem etiam dolorem ſæpè perpetiuntur: ne, ſi id non faciant, incidant in majorem.

Ex hoc verò intelligitur, Temperantiam eſſe expetendam, non quia voluptates aliquas refugiat, ſed quòd ab illis ſe continens, moleſtias declinet, quibus devitatis, voluptates conſequatur majores. Id verò interim ita faciat, ut res honeſtati, decorique vertatur, ac intelligi valeat poſſe eoſdem ut voluptatis, ita decori amanteis eſſe, imò & taleis, qui cùm omnes Virtutes & colant, & retineant, ea plerumque præſtent, atque conſequantur, ex quibus manifeſtum fiat, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia, atque ea, quæ maximè maliperant, & concupiſcant, ad bonos pervenire.

Porrò, quia Cupiditatem, circa quas verſatur Temperantia, aliæ Naturales, aliæ Inanes ſunt, & ex Naturalibus aliæ Neceſſariæ, aliæ Non-neceſſariæ (ut præteream Neceſſariarum alias pertinere

nere simpliciter ad Vitam, qualis est cibi atque potus, unàque voluptatis, quæ in motu est, alias ad ipsam Felicitatem; qualis Indolentiæ, & Tranquillitatis, sive Voluptatis in statu) constat profectò non abs re distinxisse nos in Physiologia Cupiditatum genera tria. Diximus nempe alias esse Naturaleis, & Necessarias, alias Naturaleis, sed Non-necessarias, alias neque Naturaleis, neque Necessarias, sed Inaneis, seu ex opinione inani prognatas.

Et quia esse illas Naturaleis, Necessariásque diximus, quæ nisi expleantur, dolorem in corpore creant, constat eas, quæ ad nullum dolorem, noxámque, nisi expleantur, deducunt, & cum studio tamen vehemente sunt, eas taleis evadere non ob necessitatem, sed propter vanam opinionem; ac tametsi principium aliquod à Natura habeant, id tamen, quòd ultra modum diffunduntur, non habere ab ipsa Natura, sed ab inanitate opinionum, quæ homines reddunt ipsi etiam feris, hujuscemodi diffusioni non obnoxiiis, deteriores; quin-etiam ipsas cupiditates probari vel ex eo posse, esse non modò non necessarias, verum-etiam non-naturaleis, quòd appetentiam contineant diffluentem, difficiléque, aut etiam nullo modo explebilem; & plerumque etiam causæ nocuementi alicujus esse jure reputentur.

Ut de quibusdam autem præcipuis speciebus Temperantiæ, juxta præcipuas aliquas Cupiditatis species, dicamus; seligi possunt Sobrietas, quæ opponitur Gulæ, seu nimix cupiditati cibi, ac potus; Continentia, quæ Libidini, seu cupiditati Venereorum effræni; Lenitas, quæ Iræ, seu cupiditati Vindictæ; Modestia, quæ Ambitioni, seu cupiditati Honoris; Moderatio, quæ Avaritiæ, seu cupiditati Divitiarum; denique ob affinitatem, quæ est inter Cupiditatem, ac Spem; ipsa Mediocritas, quæ est inter spem, desperationémque futuri.

## C A P U T

## CAPUT XIII.

*De Sobrietate adversus Gulam.*

**I**mprimis verò dici non potest, quantum sit bonum Sobrietas, quæ nos ad victum tenuem, simplicem, parcumque reducit; docens nos, quàm id sit exiguum, quod Natura desiderat; ac planum faciens necessitatem, qua illa laborat, posse rebus tenuibus, paratùque facilibus, cujusmodi sunt polenta, fructus, herbæque, & aqua, abundè sanari.

Id nempe, quod ob indigentiam molestia corpus afficit, præclare, & quantum sat est, eximunt, quæ nullibi non suppetentia, simplicem siccorum, humidorumque alimentorum naturam habent; quod superest verò, quicquid in luxum abit, id spectat ad cupiditatem, quæ neque necessaria est, neque occasione alicujus rei molestiam necessariò inferentis, creatur: sed partim, quia quidpiam angit, vellicatque, ob id solùm, quòd ejus absentia impatienter toleratur; partim, quia absoluta, & sine ullius molestiæ intermissione oblectatio præsumitur; partim, ac, ut paucis dicatur, quia Menti inhærent inanes, falsæque opiniones, quæ neque ad faciendum ullum naturalem defectum spectant, neque ad aliquid habendum, ex cujus absentia corporis ipsius compages dissolvatur, tendunt.

Siquidem, vel ipsa, quæ ad manum sunt, abundè sufficiunt obtinendis iis, quibus natura indiget; hæc quippe ejusmodi sunt, ut partim ob simplicitatem, partim ob exiguitatem, nullo negotio sint parabilia. Heinc illi quidem, verbi gratiâ, qui carnibus vescitur, opus etiam est inanimis rebus: at illi, cui sunt res inanimæ satis, dimidio solùm opus est; ac ipso quidem tum facile, parabili, tum ad apparandum modicis sumptibus egente.

Sunt porrò quatuor quædam præcipua commoda, quæ Sobrietas parit. Unum, quòd victui simplici, minimève splendido, copiosoque, assuescere, sanitatis numeros implet. Videlicet opiparæ, uberisquæ epulæ sunt, quæ cruditates, gravedines, podagras, febres, morbósque alios gignunt, exasperant, protrahunt; non

non vero escae simplices, quas natura ut necessarias, ita salutareis facit, producitque, & non cæteris quidem Animalibus modo, sed ipsi quoque Homini, qui illas tamen suo malo depravat, iisque cupediis vitiat, ob quæ deinceps illas deperiens, nihil aliud, quam suam deperit perniciem.

Quamobrem si sapperimus, cavendum nobis est ab eo cibo, cujus fruitionem deperimus, prosequimurque, & quem tamen ubi illius fuerimus facti compotes, fuisse malo nostro gratum reputamus. Hujuscemodi autem est, qui opiparus est, ac pinguis; quo minùs probari carniùm usus potest, qui sanè potiùs officit sanitati, quàm ad illam proficit. Argumentoque esse potest, quòd cum sanitas conservetur per eadem per quæ amissa recuperatur; constet ipsam tenuissimo, & citra carniùm usum victu recuperari.

Nihil autem mirum, si hominùm vulgus putet esum carniùm ad valetudinem conferre; idem enim est, qui existimat sanitatis tuendæ vim esse in ipsis voluptatum quasi prolutionibus; etiam vene-rearum; quarum tamen est nulla, quæ quicquam proficit alicui; cum & bene sit, nisi etiam noceat.

Alterum est, quod hominem ad usum vitæ necessarios expeditum, & impigrum facit. Quippe, seu functiones Animi requiras, serenitatem, aciem, vigorem Animi tuetur; seu functiones corporis; ipsum ut sanum, sic vegetum, agile, diligens tuetur: at repletio, satietas nimia, ingurgitatio, crapula, Animum obfuscat, retundit, ac languidum reddit; corpus autem ut morbidum, sic debile, segne, prægravatum facit. Quæso verò ecquid speciatim tibi pollicearis de illo, cui ob vinum largiùs epotum, gravantur membra; præpediuntur crura, lingua tardescit, madet. Mens, oculi nant, singultus, jurgia, clamores gliscunt?

Longè sanè aberit Sapiens, ut in comotationibus, temulentiaque pernoctetur; qui aut vinuli hemina esse contentus debeat, aut pro potu suavissimo obviam quamque aquam habere. Neque verò id modò; sed longè etiam aberit, ut lautis dapibus se inferciat, aut pinguibus, & crassis ventrem oneret, cui sufficere debeant simplicissimæ; imo ipsa naturæ dona.

Quodd:

Quòd si hujusmodi tenuium, simpliciumque ciborum usus ad habendum Milonis robur, aut universè ad virium corporis contentionem minimè confert; neque sanè eo robore, intensisque viribus Sapiens indiget, si contemplationi quidem, non vitæ actuosæ, petulantique sit incubiturus.

Tertium, quòd præstat, ut si quando per intervalla sit mensa splendidior, ipsi degustandæ comparati sincerius simus. Non profectò, quòd viles cibi æqualem epulis sumptuosis voluptatem non afferant; ubi exempta prorsùs fuerit, quæ cibi defectu molesta est fames ( nam polenta etiam, & aqua voluptatem maximam pariunt, si quis modò famem, sitimque expectans, iis, cum indigerit dumtaxat, utatur ) sed quòd isti assueti lautioribus epulis, earum suavitatem præ saturitate penè continenti non sentiant, perinde ac Sapiens qui ad eam percipiendam, gustatum præ victus tenuitate comparatum affert. Quo pacto accidit illi quoque, ut publicis spectaculis sincerè præ aliis, si interesse aliquando iis contigerit, obletetur.

Quod nego autem tenuissimo victu, id est contemptissimis escis, & potionibus minorem voluptatem percipi, quàm rebus exquisitissimis ad epulandum; improbari quoque, nisi ab eo non potest, qui sibimetipsi vanis imponat opinionibus; qui non attendat illos solos magnificentia jucundissimè frui, qui eâ minimùm indigent; qui nunquam siti, aut fame pressus, aquam, aut cibarium panem usurpârit. Me profectò quod attinet; pane cibario, & aqua vescens, aut non-nihil dumtaxat casei Cithæridij ( si quando epulari juvet paullò sumptuosius ) superaddens, voluptate abundo in corpusculo; ac nuncium remitto voluptatibus, quæ ex vulgari epularum magnificentia percipiuntur. Unde & efficitur, ut, si modò panem, polentamve, & aquam habuero, paratus sim vel cum ipso Jove de felicitate certare.

An addam verò eduliorum magnificentiam, ac varietatem non modò ipsam Animam perturbatione non exuere, sed ne augere quidem voluptatem in corpore; quando ipsa quoque, eo, quod dolebat, exempto, finem reperit? Exempli gratiâ, carniarum usus, de quo mox loquebar, nec speciatim adimit quidquam, quod

quod naturæ molestum sit; neque aliquid peragit, quod nisi compleatur, in molestiam sit abiturum. Interim autem gratiam habet violentam, ac fortassis quoque ex contrario militam; quatenus ad vitæ durationem minimè valet; confert autem solum variandis voluptatibus, similis usibus Venereis, vinorumque peregrinorum potationibus, sine quibus potest natura, seu vita manere; cum ea sine quibus manere non potest, compendiosa penitus sint, facileque & salvâ justitiâ, liberalitate, tranquillitate, otio plurimo obtineri possint.

Ac tali-ne persuasione sint homines vulgares, nihil est, quòd moremur; viget siquidem petulantia, intemperantiâque in id genus hominibus; adèd proinde, ut verendum non sit, ne quandoque desint, qui Animalibus vescantur. Nam, si omnes quidem optimè de rebus sentirent, nihil foret opus aucupio, vel aucupibus, piscatoribus, aut subulcis; ac hujuscemodi Animalia degentia per se, & incustodita, præfectoque carentia, brevi perinde perderentur, devastarenturque ab aliis insidiantibus, multitudinèmq; absumentibus, ac in aliis innumeris, quibus homines non vescuntur, contingit. At verò multiplici semper, vel omnigena potiùs vigente disipientia inter homines, non deerunt unquam innumeri, qui ea depascantur, helvones.

Quartum denique, quod nos reddit interritos adversus fortunam. Nempe illi timeant fortunam oportet, qui sumptuosè vivere assueti, arbitrantur non posse vitam non miserrimè transigi, nisi suppetat unde dietim minas, talentaque impendant. Ex quo efficitur, ut plærumque vitæ negotiosæ obnoxij fiant; & plærumque rapinas, cædeis, sceleraque similia patrent: At, cui viles cibi, ut fruges, oleraque sufficiunt; cui sunt panis, & aqua satis; cui est intra hæc desiderium clusum; quid est, quod ille fortunam timeat? quotusquisque enim est ad ista pauper, quænam fortunæ malignitas ad hæc usque sese demittit? eccui ita invidet, ut non fabas, non lenticulas, non fructus, non herbas, facile comperiat? nam de aqua quidem passim occurrente, quid necesse est dicere?

Ego certè, ut de me ipso, verecundè licet, pergam dicere ipsis

Hortulorum plantaribus contentus, & lætus iis sum, & volo hoc etiam pro foribus esse inscriptum: *Hospes, heic bene manebis: heic summum bonum voluptas est. Paratus erit ipsius domicilij custos; hospitale, humanus, & se polentâ excipiet; & aquam quoque largè administrabit: & dicet, ecquid bene acceptus es? Non invitant enim hi hortuli famem, sed extinguunt; nec majorem ipsi potionibus sitim faciunt; sed naturali, & gratuito remedio sedant.*

In hac voluptate ego quidem consenui; qui & rationibus mecum initis deprehenderim ne toto quidem asse me pasci, nihilominùs certos habeo dies, quibus maligniùs famem extinguam; visurus, an aliquid desit & plena, & consummata voluptate, vel quantum & an dignum sit, quod magno labore pensetur.

## C A P U T X I V.

### *De Continentia adversus Libidinem.*

**D**Einde, Virtus quoque eximia ipsa est Continentia, sive abstinentia à Venereis; quippe quorum usus, ut paullò antè dixi, nunquam proficit; & præclare agatur, nisi etiam noceat.

Iis certè abuti intemperanter, est facere vitam vigore effœtam, curis anxiam, morbis molestant, duratione brevem; quo fit, ut vir Sapiens esse in eo debeat, ut & capi se amore non sinat, longè sit, ut reputet esse Amorem quidpiam, quod immitatur divinitùs, ut illi propterea esse indulgendum videatur.

Et quò minùs quidem amore capiatur, ut incentivo ad Venerea careat, nihil æquè prodest, atque tenuis victus, de quo dictum mox antè est; quando, quæ ex nimio edulorum usu turgescit copia seminis, & fomes, & pabulum est, quò creatur amoris incendium; sed & confert secundum hoc, tum honesta, & quæ præfertim circa Sapienciam est occupatio; tum meditatio incommodorum, quibus obnoxij illi sunt, qui se ab amore abripi sinunt.

Nam

Nam univetsè quidem mulieris, puerive amori se addicere, illud secum trahit, ut vires absumantur, pereant labores, labatur familiares res, vadimonia fiant, officia langueant, fama ægrotet: ac dum Sicyonia in pedibus, grandes Smaragdi in digitis, aliâque ornamenta in corpore rident, Animus ipse se, tanquam sibi malè conscius remordeat, quòd desidiosè ætatem agat, annosque bonos perire sinat; cæteraque id genus alia, quæ ennumerare est promptum.

Speciatim verò ecquid mali non trahit, velle rem habere cum ea muliere, qua leges interdixerint? longè sanè aberit Sapiens; ut quidpiam tale cogitet, cum abstererere ipsum debeat vel ingens illa sollicitudo, quâ sunt prævacenda, quæ multa, & magna intercurrunt pericula; cum & plærumque eveniat, ut qui hæc adoriuntur, vulnerentur, contrucidentur, aut adigantur ad carceres, ad exilia, ad graviores pœnas. Unde & efficitur, quod antè dixi; ut nempe propter voluptatem & parvam, & non necessariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere possent, sese dolori maximo, pœnitentiæ purâ gravissimæ subjiciant.

Nisi proinde incontinentem esse, ac molliter uni hujuscemodi voluptati succumbere, non est se interim fraudare voluptatibus & multis, & magnis, quibus fruitur, qui continentur, & sub legum præscripto vivens, Sipientiæ sic vacat, ut Mentem quidem neque hebetet, neque curis excruciet, neque affectibus cæteris perturbet; corpus autem neque enervet, neque morbis vexet, neque dolore torqueat; sicque bonum illud summum consequatur; quod, ut antè dixi, non ipsa puerorum, mulierumque consuetudo; uti neque piscium deliciæ, neque aliq̄ cupediæ mensæ lautioris parere possint.

Prætered verò non subesse, cur dum abstinentia à Venereis heic universè commendatur, quispiam inferat esse ergo etiam à legitimis nuptiis abstinendum; quippe, quæ nostra hac de re sit sententia, est jam antè dictum. Adde heic solùm, quod dixi Amorem non immitti divinitus, eo facere, ut intelligatur si quis liberis careat, nullosve ex uxore suscipiat, non esse id Cupidini, Venerive iratis tribuendum; sperandumque, ut votis, atque



sacrificiis potiusquàm remediis naturalibus evadere in Parentem possit.

Addo autem præterea abfuturum Sapientem ut Cynicorum ritu vivat, seu ea sit in verecundia, quam isti in propatulo ostentant. Nam quòd se dicunt Naturam sequi, & reprehendunt, ac irridunt, quòd ea, quæ turpia re non sunt, verbis flagitiosa dicamus; quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis : nam latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe est, sed dicitur non obscenè; liberis dare operam, re honestum est, nomine obscœnum; pluraque in eandem sententiam adversus verecundiam disputant : non videntur satis advertere, vivere se in societate, non verò in agris, & ferarum ritu, quo modo Naturam purè sequerentur.

Quippe ex quo nomen societati dedimus, jubet nos Natura eo sine servare leges societatis, ut fruentes communibus bonis, malum nobis non accersamus, quale est, nisi alia poena, at saltem infamia, sive ignominia, quæ sequitur in verecundiam, defectumve ejus pudoris, quem ejus, in qua vivimus, societatis mores præscribunt, & à quo, in voce, aspectu, aliisque adjunctis spectato, ea, quæ meritò laudatur, Pudicitia est dicta.

Addo denique facere, non parum, ut ad Pudicitiam, sic universè ad Continentiam, & à Musica, & à Poëtica abstinere, quatenus ab utraque sunt, & cantilenæ, & eæ voces, quæ suavitate quadam fusæ, aliud nihil sunt, quàm libidinis incentiva.

Nempe hac de causa nostra est sententia solùm Sapientem de utraque rectè & ut Virtutem decet, verba facere, quòd cæteri illecebris utriusque facillimè capti, utrique indulgeant; solus Sapiens damno, cujus causa sunt, perspecto, eas eliminat, declarando Musicam esse inter cætera, ut bibacem, & pecuniarum facilè prodigam, ita segnitiei amantem, & ad omne bonum honestum, generosumque opus inutilem : Poëticam verò, inter cætera, esse eam, quæ homines semper in vitia, ac potissimum in libidinem pronos fecerit, etiam ipsorum Deorum exemplo; cum ipsos, ut irâ inflammatos, sic libidine furentis induxit, effecitque, ut videremus non eorum modo bella, pugnas, prælia, vulnera, dissidia, odia, discordias, ortus, interitus; sed etiam querelas, lamentationes, vincula,

la,

la, cum mortali genere concubitus, mortaleisque ex immortali procreatos, cæteraque id genus, à quibus sanè homines, quibus Mens fuerit, abhorreant.

## C A P U T X V.

### *De Lenitate adversus Iram.*

**A**D hæc Lenitas, sive Mansuetudo, ad quam etiam Clementia, & Misericordia referuntur, ita adversus Iram, Vindictæve cupiditatem comparatur, ut laudatissima Virtus sit; quoniam Ira, ac potissimum immodica gignit insaniam. Quippe per iram Mens effervescit, caliginèque suffunditur, micat ardor ex oculis, pectus rumpitur fremitu, dentes quatuntur, vox strangulatur, horrent capilli, & facies succensa, minasque intentans ita est horrenda, fædâque aspectu, ut Mens, tam sui impotens, quàm omnis decori oblita videatur: Lenitas verò sic Mentem sanat, sanamve potius sic continet, ut neque ipsa emoveatur, neque passio in corpus exeat, qua quidquam præter decorum fiat.

Cæterum, cum Ira accendi, effervescerèque ex acceptæ injuriæ opinione soleat; injuria verò inferatur ab hominibus præ ipsorum aut odio, aut invidia, aut despicientia: quæ fieri poterit, ut Sapiens ita injuriam toleret, ut erga inferentis lenis, atque placidus maneat? nempe rationis præsidio fretus, quo & jam dixi illum adversus fortunam se comparaturum. Quippe injuriam habet in rebus fortuitis, maturèque agnoscit non esse in sua situm facultate, ut cæteri hominum sint julti, passionibusque non abripiantur; ac idè tam parùm irascitur, commovereturque ob injurias illatas ab hominibus, quàm ob incommoda, aut damna, quæ à fortuitis casibus, universèque ab aliis causis extra facultatem positis adveniunt.

Non commoveretur, exempli gratiâ, propter fervores, aut algores, qui à tempestatibus inducuntur; quoniam tempestatum suas vices obeuntium hæc natura sit, quam immutare ipse non possit;

quamobrem neque commovetur ob injurias, quas inferunt petulantibus, & improbi, quod illi pro sua natura sic agant, & ut seculus agant, naturamve mutant in ipso non sit. Neque verò aliunde esse congruum putat rationi, ac sapientiæ malum malo addicere ( scilicet præter nocumentum, quod extrinsecus accidit, accersere sibi sua opinione extrinsecus perturbationem ) aut quia alius voluit molestiâ Animum ejus afficere, ita desipere ut molestiam admittens, illi quasi gratificetur.

Ac par est quidem virum Sapiensem bonæ famæ curam eatenus habere, quatenus despectui non sit; siquidem nonnullæ etiam voluptates ex bona fama profiscuntur, uti ex mala & ex contemptu ipsam consequente aliquæ molestiæ; verum bonæ famæ cura est habenda, non tam ulciscendo injuriam, aut irascendo in inferentem ipsam; quàm bene, innoxieque vivendo, neque contumeliæ, aut maledicentiæ veram ullam causam, occasionemve præbendo. Nempe hoc præstare nostræ opis est, non verò ut alius sua non utatur malignitate.

Quò sit, ut si etiam, qui tibi est inensus, ac se pro inimico gerit, quidpiam postulet, id denegandum ipsi non sit; si modò & liceat, & possis proinde securus ab eo fieri, qui à cane non differat, sitque aded quadam quasi ossa placandus. Quanquam nihil satius, tutiusque est, quàm illius malitiæ, ut vitæ innocentiam, sic propriæ conscientiæ securitatem opponere; & quod superest, ostendere se injuriâ superiorem esse.

Proferò verò, cum fieri etiam possit, ut Sapiens, quod antè dicebam, vocetur in jus, & non modò injuriam, sed etiam calumniam, accusationem, damnationem paciatur; cogitat tunc quoque, esse quidem fitum in sua potestate, ut bene, & ex virtute vivat; sed non ne cæteros erga se malignos, injustosque experiatur, neve ab ipsis præter fas, & æquum accusetur, causamque apud Judices etiam iniquos dicere teneatur. Quare, neque accusatoribus, neque testibus, neque iudicibus irascitur suis; sed bonâ fretus conscientiâ, nihil de sua lenitate, tranquillitateque remittit; & se hoc quoque casu superiorem habens, spectat ipsum intrepidè, & in judiciis animosè, intrepidèque versatur.

Neque

Neque porrò est, quod quispiam objiciat repugnare hisce, quæ de lenitate jam doceo, id quod suprà de famulorum castigatione dictum est, quoniam & ad dyfcolos solùm castigationem redigimus; & illam in familia, non secùs ac in Republica animadversionẽ in scelestos, necessariam esse manifestum est, &, ut Princeps, aut Magistratus civium scelera citra iram punit, ita potest Pater-familias citra iracundiam famulorum delicta. Non repeto autem id, quod dictum est, de indulgentia erga illos, qui bonæ alioquin indolis, diligentẽsque extierint.

Hisce addo virum Sapiensem non leniter modo injurias laturum, non mansuetè modo veniam habiturum, sed officiosè etiam illi, qui sese in meliorem frugem receperit, gratulaturum. Quippe, cùm initium salutis ipsa peccati notitia sit, ideo gratulatio instituenda est, ut sicut ob talem notitiam peccati horror incutitur, ita illius quod fieri debuit, quodque deinceps faciendum est, pulcritudo exaggeretur, studiùmque illius magis incalcescat.

## C A P U T X V I

### *De Modestia adversus Ambitionem.*

**A**D Modestiam quod attinet, sufficere ea possunt, quæ superius deducta sunt, ubi ostendimus Sapiensis non esse affectare Magistratus, honoresve in Republica summos: verùm se ita continere, quasi in angulo quopiam delitescat. Quare & inculco heic solùm, quod consilium cuique Amicorum do: Occultus, seu privatus vive (sed cum ea tamen cautione, nisi quid ex parte Reipublicæ intervenerit) quando, ut vel ipsa docet experientia, *is bene vixit, qui bene latuit.*

Nimisquam certè est familiare, ut videamus illos, qui ad summum succedunt honorem, dejici invidià, quasi fulmine; ac serò demùm agnoscere, satius multò esse quietem parere, quàm sudando, & per augustum ambitionis iter luctando, regere imperio res velle,

velle, eoque evehi, unde nihil sit aliud, quàm casus & magnus, & præceps timendus. Quid, quod isti, quos gloria, honoréque præfulgenteis vulgus suspicit, infelicissimi ideò sunt, quòd intra pectus gravissimis molestissimisque curis corrodantur. Cave scilicet credas illos vivere Animo securos; quandoquidem fieri non potest, ut qui esse timendi videntur, ipsi multos non timeant.

Et licet videas illos classeis longè, latèque dimittere, imperitare legionibus, stipantium turba circumdari, cave putes illos degere tranquillè, aut omninò sinceræ ullius voluptatis participes fieri: quoniam hæc omnia ridicula, ludibriàque, & insomnia sunt, quatenus & merus, & curæ sequaces non metuunt reverâ strepitus armorum, non reverentur fulgorem auri, non splendorem purputæ; verùm audacter inter Reges, rerùmque potentis versantur, ac vulturis Poëtarum instar, ipsa præcordia depascuntur.

Cave quin-etiam existimes proficere quidquam nostro in corpore istam regni gloriam, nobilitatem, gazam; cùm videre præsertim liceat, non decedere citiùs febris, si in picturis textilibus, rubentique ostro jasteris, quàm si in veste plebeja cubes: ac non nihil lædat veste purpureâ, auróque, & monilibus pretiosis onustâ carere, si nobis modò plebeja sit, quæ frigus arcere à corpore possit. Quid verò si pannis, stramentisque lætus doceas quàm vani mortales sint, qui non intelligentes quàm ea sint parva, quæ beatam vitam faciunt, ad hæc, quæ habentur magnifica, Animis attonitis inhiant? magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur, & in panno: non enim dicentur tantùm illa, sed probabuntur.

Certè, & tamen si aliunde domus ipsa argento non fulgeat, auro non renideat, citharis non reboet, aurea juvenum simulacra lampadas manibus tenentia, ut suppeditent lumina epulis nocturnis, non habeat; nihilo profectò est minùs jucundum copora curare molli prostratos in gramine, & propter quidem aquæ rivum, ac sub altræ arboris ramis, & tempestate præsertim vernâ, quâ herbæ floribus consperguntur, cantus avium mulcent, perflant Zephyri, tota denique Natura attridet.

Quare

Quare, & cui sic vivere in agris, aut in hortulis suis licet, quid est, quamobrem honores ambiat, & non potius sese modeste concineat? nam & aliunde quærere gloriam ostentatione virtutis, scientiæ, eloquentiæ, nobilitatis, opulentiæ, famulitii, vestium, formæ, incessus, & similibus, ridiculæ est vanitatis; ac in hisce omnibus modestia exigit hoc solum, ut ne quid præ rusticitate, insulsiitate, neglectu nimio adversus decorum peccetur. Scilicet, ut antè dicebam, æque vilis est, abjectique Animi ob ista insolescere, & ob jacturam, absentiamve eorundem Animo demitti.

Heinc, si forte Sapiens aliquas majorum, aliorumve statuas, imaginesve habuerit, longè erit, ut eas ostentet, gloriamve ex iis quæreret; & licet illas non negligat, sollicitè tamen in porticibus, potiusquàm alibi, collocet, ac tervet.

Sic verò neque sollicitus de sepultura admodùm erit, neque de ea quidpiam sumptuosum mandabit. Id solum ipsi curæ erit, quod possit successoribus utile, jucundùmque esse; ratus, quod ad se, corpusve mortuum attinet, interfore parùm quo se modo habeat, quippe vanitatem etiam ultra mortem propagare, infanum est; uti & prætextus, quo aliqui nolint, ut ante objiciebam, dentibus ferarum laniari: nam si id quidem malum sit, quò non sit acerbum ignibus torreri, in melle situm suffocari, rigescere sub marmore, Terræ pondere obrutum urgeri?

## C A P U T XVII.

### *De Moderatione adversus Avaritiam.*

**S**equitur Moderatio, seu illa Animi dispositio, qua quis parvo Scontentus est, quaque profecto nullum majus adesse homini bonum potest. Nempe esse parvo contentum, res est omnium ditissima; quando & grandes divitiæ sunt ad legem Naturæ composita paupertas. Scilicet modò non esurire, non sitire, non algere, contingat; foelicitas divinx parest; & cui hoc habenti,

M m m

nihil-

nihilque aliud aventi defunt cætera, utcumque pauper vulgo habeatur, is ditissimus nihilominus est.

Quam vero res honesta est hæc paupertas, læta cum sit, contentaque eo, quod est satis; hoc est, iis Naturæ divitiis, quæ ad hoc sufficiunt, quod dixi, non esuriant, non sitiant, non algeant! sanè quando istæ Naturæ divitiæ terminatæ sunt, facillèque parabiles, earum verò, quæ juxta inaneis opiniones concupiscuntur, nec modus ullus, nec finis inveniri potest, gratiæ sunt habendæ Naturæ beatæ, quòd necessaria paratu facilia; & quæ paratu sunt difficilia, non necessaria fecerit.

Et cum oporteat virum sapientem in ea esse spe, ut tota vitæ serie defuturum sibi nihil sit: nonne hanc spem abundè fovet perfacilis rerum istarum tenuium parabilitas; cum alioquin illa, quæ sumptuosa sunt, bene sperantem perinde non faciant; & hacce de causa homines vulgares tamen si plurima possideant, perinde tamen, ac si illa defectura sint, congerendis semper, quæ nunquam cumulo perfecto habeantur, laborent?

Unde & debet facere ad hoc, ut contenti simus facillè parabilibus, simplicissimisque rebus, meminisse quemadmodum ne omnia quidem in unum congestæ divitiæ quicquam virium habeant ad Animi perturbationem præclara aliqua ratione solvendam; mediocres autem, passimque obviæ, & ad obtinendum comparatissimæ res incommodam corpori indigentiam tollant, cum & aliunde ejusmodi sint, ut cogitanti mortem, demittere ipsas haudquaquam sit grave.

Miseræ sanè Hominum Mentès, cæcæque eorum pectora! nolite videre ipsam Naturam nihil sibi aliud dicere, quam ut summoveant à corpore id, quod propter indigentiam dolet, & quod superest, fruantur jucunda, & sine cura metûque, Mentè: non verò ut se totâ vitâ ad id habendum comparent quod sit ad vitam necessarium; atque ita quidem inhiantes, quasi tum quoque victuri sint, cum vita frui desierint, non pervidentes utpotè, quam sit lethale omnibus nobis ab ipso exortu pharmacum propinatum.

Quod si ea, quæ sufficiunt, & ad quæ nemo pauper est, delicias quoque, quas hominum vulgus deperit, non ministrant; iis tamen

men Natura non eget; neque desinit interim sinceræ ex tenuibus, simplicibusque id genus rebus voluptates suppeditare, quemadmodum dictum jam est. Unde & Sapiens sic est affectus, circa eas res, quæ pecuniæ cupiditatem afferunt, (quod nempe amor, ambitioni, quotidianis sumptibus copiæ suppetant) ut, cum procul ab iis omnibus rebus absit, non sit, cur pecuniam magnopere desideret, vel curet omnino.

Quod dico autem, Divitiarum, quæ juxta inaneis opiniones concupiscuntur, nec modum ullum, nec finem esse; id est, quod cum parvo Natura satiatur, inanis opinio cupiditati præiens, cogitet semper aliquid, quod non habeatur, & quasi adhuc desit, cupiditatem ad illud vocet. Unde & efficitur, ut cui pauca non sufficiunt, satis illi esse nihil possit; sed quod plureis opes congestas habuerit, eò plureis sibi reputer deesse.

Quamobrem, cum nunquam penuria sit parvi, debet vir Sapiens, cui illud adest, grandeis, quod dicebam, putare divitias; siquidem illis deest, cum cæteræ quantumvis magnæ, parvæ sint, quoniam deest illis, quod sit infinitum. Ex quo consequitur, ut cui sua non videntur amplissima, licet totius Mundi dominus evaserit, miser tamen sit; quippe cum miseria indigentæ sit comes; & illi, qui adeptus totum Mundum fuerit, defuturi sint Mundi cæteri, quos vana opinio haud secus monstrabit, quàm pauca habenti totum istum Mundum concupiscendum monstraverit.

Vis proinde quempiam divitem facere; scito non divitiis ejus adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum esse. Tunc enim solum cum inanibus cupiditatibus resectis, sese ad Naturam composuerit, nihilque ampliùs, quàm quod illa exigit, concupierit, sentiet se reverà esse divitem; quia tunc solum sibi nihil deesse sentiet. Unde & hoc illi inculcandum est: si ad Naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives. Exiguam Natura desiderat; opinio immensum.

Hæc certè Animi dispositio, seu mavis facultas, qua sibi ipsi temperando, quicquid necessarium Naturæ non est, ex cupiditatibus detrahitur, unà cum adjuncta simplicissima, ac facilissima rerum necessariorum parabilitate; hæc, inquam dispositio



eandem parit securitatem, quæ habetur ex placido secessu, de-  
vitationeque multitudinis; quando illius beneficio, versanti eri-  
am in societate, mediâque multitudine, nihil ampliùs deest,  
quàm seorsùm agenti.

Ex eodem verò capite est, quòd quisquis unquam sibi fiduci-  
am securitatèque ex rebus externis, quâ optimâ ratione licet,  
comparare aggressus est, is possibilìa quidem paratu, tanquam à  
se non aliena quæsit; at impossibilìa pro alienis habuit. *Quin-*  
*etiam possibilium bene multa non attigit; ac ea omnia, quæ ob-*  
*tinere nihil fuit necesse, abdicavit.*

Porrò hujusce abdicationis, detractionisque memoratæ defe-  
ctus; quantæ quæso miseræ est, hominum, ut pertuso vase con-  
tinuò haurire, neque Mentem unquam explere? nam ut tace-  
am multas parasse divitias, mutationem fuisse, non finem mi-  
seriæ, sive quia curis se onerarunt, quibus antea erant immunes;  
sive quia locum fecere insidiis, quibus & captati & imperiti fu-  
erint; ut inquam id taceam; hoc saltem miseræ est summæ, te,  
quòd pascaris uberiùs, eò majore fame cruciari.

## C A P U T XVIII.

### *De Mediocritate inter Spem, Desperationemque futuri.*

**D**Enique verò cùm omnis universè cupiditas ad id feratur,  
quod non habetur, & concepta habendi spe, quasi habend-  
um proponitur; unde & spes cupiditatem lactans quadam cum  
voluptate est; uti & opposita desperatio fovens metum, ne quod  
concupiscitur, non habeatur, non est sine molestia: ideò ali-  
quid subjiendum est de Mediocritate, quæ tum generatim ad-  
hibenda est, circa id, quod concupiscitur, ac esse aut speratur,  
aut desperatur futurum; tum speciatim circa vitæ durationem, si-  
ve potiùs perpetuitatem, cujus ut cupiditas accenditur, ita de-  
speratio dis cruciat.

Itaque

Itaque illud *Mente imprimis generatim tenendum est*; id, quod est futurum, ac in rebus quidem contingentibus, neque omninò nostrum, neque omninò non nostrum esse. Videlicet, ut neque illud, tanquam eventurum haud dubiè speremus, quod aliquo casu interveniente diverti valeat, neque etiam, tanquam haud dubiè non eventurum desperemus, quod possit, à quo evertatur nullus casus intervenire: sicque efficiatur, ut non destituti omni spe, sine voluptate aliqua non simus, aut omninò frustrati spe, molestia quapiam afficiamur.

Illud certè discriminis inter Sapientem, stultumque est, quod Sapiens exspectet quidem futura, sed ab illis tamen non pendeat: interim autem & potiatur præsentibus (animadvertendo quanta sint ea, quàmque jucunda) & præterita gratè recordetur: Stulti autem vita, ut supra dicebam, ingrata, ac trepida fit, quod tota in futurum feratur.

Quam multos nempe videre licet, qui non meminerunt præterita bona, non fruuntur præsentibus? futura modo expectant, quæ, quia certa esse non possunt, conficiuntur & angore, & metu, maximèque cruciantur, cum sero sentiunt frustra se aut pecuniæ studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ, nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiundi spe inflammati, multos labores, magnosque susceperant. Ne quid dicam de istis aliis, qui minuti, & angusti, omnia desperant, ac ut plurimum sunt malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi.

Dico verò sapientem virum præterita bona gratè meminisse; quoniam queri satis non possum, quòd nimis ingrati adversus præterita simus, quòd quæcumque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter voluptates numeremus, cum certior nulla sit voluptas, quàm quæ jam eripi non potest. Præsentia videlicet bona nondum tota in solido sunt, potest illa casus aliquis incidere, futura pendent, & incerta sunt, id solum, quod præterit, inter tuta sepositum est.

In bonis autem præteritis non illa modò habeo, quibus potiri concessum fuit, verùm ipsam quoque malorum, quæ potuerunt nobis incidere, devitationem, neque minùs ipsum ab iis, quæ inciderunt, ac esse potuerunt diuturniora, liberationem, ac una ip-

ipsam recordationem, reputationem, gratulationem, quod fuerint tolerata constanter.

Quod attinet porro ad cupiditatem producendi in immensum vitam; innui jam illam viro Sapienti idcirco esse rescindendam, quod in promptu sit desperatio, quæ sine molestia, angoré que non est. Facit verò huc cogitatio illa, quod ex infinito tempore ætatis non major voluptas possit percipi, quam percipiatur ex hoc, quod videmus esse finitum; si quis modò illius fineis recta ratione dimetiat.

Quippe, cum ratione demetiri fineis voluptatis, nihil aliud sit, quam reputare, ut antè dixi, Voluptatem summam non aliam, quam vacuitatem tum doloris, tum perturbationis esse; constat illam neque majorem, neque minorem fieri longinquitate temporis; neque minorem, remissioremve ejusdem brevitate reddi.

Et quamvis sperata productior, seu longioris ævi voluptas videatur voluptatem præsentem intensiorem facere; id tamen apud eos, qui voluptatis finem non recta ratione, sed cupiditate inani metiuntur; quique sic se habent, quasi cum non erunt, seu vita deserit, sint sensuri molestiam ob privationem voluptatis, quam sentirent, si superessent. Ex quo factum est, ut antè monuerim exquisitam notitiam, quod mors nihil pertineat ad nos, præstare, ut hac vita mortali fruamur, non quidpiam temporis incerti adjiciendo, sed immortalitatis cupiditatem abjiciendo.

Quamobrem, cum præscripti sint à Natura fines voluptati corporis, ac illos temporis æterni desiderium adimat; necesse est Mens, seu ratio superveniat, quæ, ut par est, ratiocinando de hujusmodi finibus, ac desiderium eliminando sempiterni temporis, vitam undique perfectam constituat, efficiatque, ut ea contenti, haudquaquam ipsa temporis infinitate indigeamus.

Quin-etiam, ne tum quidem voluptate frustrabimur, cum rerum mortalium conditio excessum è vita molietur; quippe, prout optimæ vitæ perfectum, atque aded delectabilem nanciscemur finem; discedentes videlicet tanquam convivæ vitæ pleni, & debitè perfuncti eo munere, quo perfuncturi accepimus vitam.

## CAPUT XIX.

*De Fortitudine universè.*

**F**ortitudo superest quam alteram partim Honestatis esse ideò diximus, quòd comparata adversus Metum, & quicquid incutere eum solet, præster, ut qui se non timidè, & ignavè gerunt, sed animosè, & fortiter; gerere se honestè, & decorè dicantur. Cùmque res latè pateat, tum videtur potissimùm fumpisse occasionem ex bello, in quo qui sese fortiter, atque adeò honestè gerunt, gloriam præ aliis adipiscuntur, exindèque fit, ut Honestum ferè intelligatur id, quod est populari fama gloriosum.

Esse autem & hanc virtutem comparatam ad voluptatem, quatenus exposita est, vel ex eo intelligitur, quòd neque laborum perfunctio, neque perpeffio dolorum per se ipsa allicit, nec patientia, nec assiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipsa, quæ laudatur, industria, ne Fortitudo quidem: sed ista sequimur, ut sine cura, metuque vivamus, Animumque, & corpus, quantum efficere possumus, molestiâ liberemus.

Utenim mortis metu, exempli gratia, omnis quietæ vitæ status perturbatur: & ut succumbere doloribus, eosque humili Animo, imbecillòque ferè miserum est; ob eamque debilitatem Animi multi parentes, multi amicos, multi patriam, plerique etiam seipfos penitus perdididerunt: sic robustus & excelsus Animus, omni est liber cura, & angore; cùm & mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequàm nati; & ad dolores ita paratus est, ut meminerit maximos morte finire, parvos multa habere intervalla quietis, mediocrium nos esse dominos, ut si tolerabiles sint, feramus, sin minùs, æquo animo è vita, cùm ea non placeat, tanquam è theatro exeamus.

Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem, ignaviâque vituperari, nec fortitudinem, patientiâque laudari suo nomine, sed illas rejici, quia dolorem pariant: has optari, quia voluptatem.

Quod

Quod dixi porro Fortitudinem comparatam esse ut adversus Metum, sic adversus omnia, quæ incutere metum solent, eo tendit, ut intelligamus eadem esse mala, quæ ut præsentia cruciant, sic futura metuuntur, atque idcirco addiscamus ea, quæ futura aut ipsi nobis fingimus, aut quomodocumque apprehendimus, non metuere, ea vero, quæ præsentia sint, patienter constantèrque ferre.

Ac ex variis quidem malis, quæ ipsi nobis fingimus, neque re ipsa futura sunt, præcipua sunt, quæ vel à Diis metuimus, quasi ipsi aut mali sint, aut esse mali authores possint: vel à morte, quasi ea secum, futurumve post se malum aliquod sempiternum trahat. Ex iis autem quæ & sic metuimus, ut advenire valeant, & sic interdum præsentia sunt, ut nos molestia afficiant, ea sunt, quæ aut Dolorem corpori inferunt, aut Ægritudinem in Animum inducunt.

Et quæ Dolorem quidem creant, sunt morbi, flagra, ignis, gladius, id genus alia; quæ verò Ægritudinem, ea, quæ dicuntur mala externa, cujusmodi sunt aut publica illa tyrannia, bellum, everasio Patriæ, pestis, fames, &c. aut privata, ut servitus, exilium; carcer, infamia, orbitas, & quæ id genus alia sunt.

Id verò discriminis est inter hæc omnia ex una parte, & Dolorem, Ægritudinèmq; ex alia; quòd Dolor, atque Ægritudo mala per se sint, ista omnia non sint, nisi quatenus ad dolorem, & ægritudinèmq; referuntur, ut causæ: neque enim, nisi dolorem, & ægritudinem parerent, foret quamobrem refugerentur.

Et pauca quidem ex ordine attingenda de istis sunt: sed adnotandum prius est, Fortitudinem, non quasi naturâ, sed quasi rationis consilio ingeneretur, esse habendam. Differt scilicet Fortitudo ab Audacia, Ferocitate, inconsulta Temeritate, quæ in Brutis etiam animantibus reperitur; quippe cum propria Virorum, & ex consilio quidem, seu prudenter agentium; sicque meriti illam oportet, non corporearum virium robore atque impetu, sed firmitudine Animi, honesto instituto, seu proposito constantèr hærentis.

## CAPUT XX.

*De Fortitudine circa metum Numinis.*

**V**idetur autem esse imprimis de duplici quodam gravissimo metu dicendum : quia si quid unquam Mentis finem, summamve, quæ Animi sit propria, voluptatem peperit, ipsa fuit expunctio earum opinionum ( adde & ipsis affinium ) quibus metus maximi ipsi Menti incutiebantur. Scilicet miseri Mortales in eò semper sunt, quòd non sanis quibusdam ducantur opinionibus, sed quopiam rationis experte affectu, ut non desinientes proinde ratione id, quod reverà malum est, parem, neque minùs intensam perturbationem suscipiant, quàm si illa reverà essent, propter quæ turbantur.

Quod solet porrò priore loco maximum metum incutere, maximamque adeò perturbationem creare in hominum Mentibus, illud est, quod existimantes esse quasdam beatas, atque immortalis Naturas, censent tamen ipsis inesse contrarias hisce attributis voluntates, actiones, passiones, cujusmodi sunt sollicitudines, negotia, iræ, gratiæ, ex quibus contingat ut malis detrimenta maxima, & bonis præsidia ab ipsis naturis, hoc est, Diis, adveniant. Nempe homines innutriti propriis, hoc est, humanis affectibus, simileis sui Deos fingunt, & admittunt; & quicquid affectuum suorum non est, illud reputant ab ipsis alienum.

Quamobrem & dici non potest, quàm infœlix se genus humanum reddiderit, cùm talia Diis tribuit, ac iras præsertim acerbas adjunxit, ob quas Animi formidine Divùm facti humiles, nonnemi membra conrepunt pavore, seu tonitru Cælum murmure percurrit, seu Terra intremiscit vacillâtque sub pedibus, seu ventorum vis, ac tempestas mare commover; seu quid aliud demùm occurrit, ex quo Mentem subeat velle Deos à se misero exigere pœnas.

Non ita vero, qui ratione edocti didicere Deos securum ævum agere; naturamque eorum esse à rebus nostris longiùs semotam, sejunctamque, quàm ut erga nos aut gratiâ, aut irâ tangantur.

N n n

Sanè

Sanè verò si tangerentur, hominùmque etiam vota exaudirent; quæso te, quàm brevi perirent omnes homines; qui continuò, ut multa, ita perniciofa in se invicem comprecantur!

Quamobrem cave, ne reputans Deum esse immortale, beatùmque Animal, ut communis notio de Deo suggerit, quidquam ipsi attribuas, quod aut ab immortalitate alienum sit, aut à beatitudine abhorrens: sed quicquid de illo opinabere, fac, ut valeat salva immortalitate, beatitudinèque constare.

Scilicet Dij reverà sunt; evidens est enim illorum notitià, ut superiùs deduximus; at quales vulgò homines existimant, minimè sunt; siquidem quales ipsos esse quibusdam adjunctis, seu proprietatibus opinantur, ut cùm immortalibus, ac beatos dicunt; non talibus deinde tuentur, sed aliis adjunctis contradicentibus eisdem negant; ut dum illos dicunt negotium habere, aut exhibere alteri; itaque, & gratia teneri; quæ ut superiùs attigimus, præ imbecillitate, metu, opisque externæ indigentia contingunt.

Neque verò propterea erit, cur reputeris impius; quoniam impius revera est, non is, qui vulgareis multitudinis Deos tollit; sed is, qui multitudinis opiniones Diis adhibet: non enim germanæ prænotiones sunt, sed suspiciones falsæ, ea, quæ de Diis ab hominibus è vulgo traduntur.

Qua ratione quoque non is pius est, qui præ Deorum metu ad nullum non lapidem, nullam non aram vertitur, nulla non delubra sanguine respergit; sed is, qui pacata Mente omnia contuens, de Diis vera sentit, ac illos Animo, non spe quidem, pretiove inductus, sed ob majestatem eximiam, supremamque naturam colens, tuetur respectu ipsorum venerationem omnimodam; & genere etiam orationis utitur eas suggerente cogitationes ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones nascantur, neque adeò patitur id, quod cæteri, in quorum Animis contrarietas hæc maximam ingenerat perturbationem.

*Qua Impietas heic repetitur, refutata fuscè habetur iis in locis præsertim, quibus ostensum contra Epicurum est, & esse Deum Rectorem Mundi, & gerere Deum specialem curam Hominum. Pag. 107. 109. & seqq.*

## C A P U T

## CAPUT XXI.

*De Fortitudine circa metum Mortis.*

**Q**UOD deinde Hominum Mentis tæterrimo metu percellit; Mors est; quoniam nescio quid sempiterni mali juxta fabulas præstolantur, suspicianturque (& quod est quidem mirum, in ipsa, quæ contingit, privatione sensus; quasi & tunc ipsi forent aliqui) ignari nempe, quæcumque sunt prodita esse in Inferis, quæque etiam antè memoravimus, figmenta esse Poëtarum mera; aut si quid veri contineant, id nobis contingere in vita; scilicet ob metus inaneis, ob sollicitudines vanas, ob cupiditates insatiabiles, ob cæteras demùm passiones, quæ sic miseros mortaleis excruciant, ut ipsorum vita plusquam Acherusia reddatur.

Tu igitur, ut hisce te eximere terroribus possis, reputare assuesce nihil ad nos pertinere mortem, ac ejusmodi quidem argumento, quod quicquid nobis sive boni, sive mali est, cum sensu sit; Mors autem privatio sit sensus. Dissolutio nempe est mors, & quod dissolutum est, sine sensu manet; aded proinde, ut videatur Mors esse contemptu perfacilis; quoniam agens irritum est, ac dolorem frustra minatur, ubi patiens est è medio sublatum.

Enimverò Homines vulgares Mortem refugiunt, interdum quidem, quasi dolorum maximum, interdum verò, quasi omnium, quibus in vita fruimur, cessationem. Abs re verò ipsum non vivere, seu non esse, terrori est; quoniam nihil vitæ in eo superest, ut dignoscere liceat, esse non vivere quidquam mali.

Quo fit, ut illi prorsus desipiant, dum, cætera inter exhorrent, indignanturque se iri post mortem laniatum à feris, crematum ab igne, corrosolum à vermibus; quippe, quòd non videant nullos fore se, ut se lugere possint preemptos, laniatos, exustos in putrorem versos. Itemque, dum ægrè ferunt non versaturos se amplius cum uxoribus, cum liberis, cum Amicis; nullum ipsis officium, nullum auxilium præstituros: quippe, quòd non ratiocinentur, neque fore tum sibi ullum desiderium hujusmodi rerum.

Nnn 2

Igitur,



Igitur, quæ omnium malorum maximè horrendum existimatur Mors, nihil, sicut dixi, ad nos attinet; quia dum nos sumus, mors non adest; & dum mors adest, nos non sumus: adeo proinde, ut neque ad vivos, neque ad mortuos pertineat; quoniam alteros quidem non attingit, alteri vero nulli sunt.

Exquisita porrò noticia, quod mors nihil pertineat ad nos, præstat, ut hæc vita mortali fruamur, non quidpiam incerti temporis adjiciens, sed cupiditatem Immortalitatis abiciens. Nihil enim mali in vita est illi, cui egregiè perspectum est nihil esse in vitæ privatione mali. Adeo proinde, ut quemadmodum cibus non qui plurimus, sed qui suavissimus est, deligitur, ita vitæ tempus, non quod longissimum, sed quod jucundissimum, fructuosè capretur.

Neque verò ille non ineptus est, qui timere se mortem dicit, non quod præsens dum fuerit, mœroris quicquam afferat; sed quod donec futura est, Animum mœrore conficiat. Quod enim, quando præsens est, molestiæ nihil exhibet, id dum expectatur, ne quicquam contristat. Si quid certè in hoc negotio incommodi, aut metus est, morientis est vitium non mortis; neque molestiæ quicquam est in ipsa, magis quam post ipsam; ac tam stultum est ipsam timere, quàm senectutem; quoniam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors ipsam senectutem.

Adde quod, saltem sperandum est, aut nullum fore in extremo illo anhelitu dolorem, aut, si sit, fore aliquantulum in ipsa brevitate solatij; quod nullus sit dolor longus, qui sit magnus; ac persuasus esse quisque debeat, si ipsa Animæ, corporisque distractio cum cruciatu fiat, se saltem post illum dolorem non posse dolere.

Ridiculus quoque est ille, qui juvenem admonet, ut honestè vivat; senem, ut honestè moriatur, quod hæc se jungenda non sint, sed una eadèmq; esse meditatio debeat honestè vivendi, & honestè moriendi. Quippe quod & juveni possit mors immatura contingere; & seni tum vitæ aliquid superfit, tum qui postremum actus est, sit pars etiam quædam, imo coronamentum vitæ.

Perspectum profecto esse utrique debet, tamen si possint homines parare sibi securitatem ad cætera quod attinet: ad mortem tamen ipsam quod spectat, versari omnes homines quasi in civitate, quæ muris, & præsidio careat.

Potest

Potest aliunde juvenis felix mori, qui cogitet nihil aliud se in longiore vita manere, quàm quod eatenus viderit, fueritque expertus. Potest & senex vivere infelix, qui commoda vitæ, quasi in vas pertusum congesta præterfluere sinat, nec rerum satur unquam sit, ut tanquam vitæ satur conviva cedere, capereque velic æquo Animo quietem securam.

Cave scilicet ullum senem esse felicem reputes, quod senex diem obeat; sed si bonorum quidem sit satur, ac plenus.

Denique multo magis ineptus, ridiculusque ille est, qui esse ait bonum non nasci,

*Aur natum Ditis quam-primum claustra subire:*

Si enim persuasus hoc dicit, quamobrem non statim abijt ipse è vita? id nimirum illi, si rem modò seriò deliberavit, promptum est. Sin joco dicit, insanè facit; cum hæc non sint res, quæ jocum admittant. Sed nempe est in ipsa quidpiam per se amabile; illique idcirco non minùs objurgandi sunt, qui mortem concupiscunt, quàm qui ipsam timent. Quid esse profecto tam ridiculum potest, quàm mortem appetere, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? aut præ vitæ tædio currere ad mortem, cum genere vitæ effecoris, ut currendum ad mortem foret.

Id itaque potius curandum, ne tibi vita displiceat, neque dimittere eam velis, nisi te aut Natura vocet, aut intolerabilis quispiam casus. Ob id scilicet meditandum est, utrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad mortem. Etenim malum quidem est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est, quando Natura nobis dedit ut aditum ad vitam unum, ita exitus ab ea multos.

Quamquam, si interdum contingat, ut fugiendum, ac properandum sit, antequam aliqua vis major interveniat, quæ libertatem auferat recedendi: nihilominus nihil est tentandum, nisi cum aptè poterit, tempestivèque tentari. Cum vero illud tempus, quod fuerit diu captatum, venerit, tum demùm exsiliendum est. Neque enim par est dormire illum, qui de fuga cogitat; neque non debemus sperare etiam ex difficillimis salutarem exitum, si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore.

*Qua reperitur etiam hocce loco Impietas, refutata fuisse habetur cum dicimus esse Animos hominum immortales. Pag. 29.*

## C A P U T XXII.

### *De Fortitudine adversus Corporis dolorem.*

**A**D Dolorem quod attinet, corporeum intelligimus; quæ profectò solus, ut Mali, ita Summi Mali rationem haberet, nisi nostrâ culpâ dolorem Animi accerferemus, qui evadat etiam, ut jam antè dictum, corporeo deterior, nam concepta quidem Animo ægritudo propter jaçturam divitiarum, honorum, liberorum, & similibus, ejusmodi est, ut plerumque habeatur, ac fiat gravissimis coloribus corporis intolerabilior: sed nimirum id nostrâ opinione, quæ si foret sana, non commoveremur, quatenus ista extra nos sunt, neque nos reverâ attingunt, sed interveniente solum opinione, quam ipsi nobis facimus; sicque intelligeremus nullum esse revera malum, præter dolorem corporis, nihilque dolendum esse Animo, quod sit à dolore corporis præsentis, futuròve se junctum.

Itaque, qui sapiet, cavebit, ne quempiam dolorem in corpus accersat, quidpiamve committat, unde sibi dolor creari possit in corpore, nisi aut declinandi gravioris doloris, aut comparandæ uberioris voluptatis gratia id fiat, ut jam aliquoties inculcatum est. Quo magis mirari par est esse aliquos, qui cæteris habentibus sanitatem, quæ status est indolentiæ, tanquam rem bonam, defendant tamen esse habendam ut aliquid indifferens; quasi verò quis nisi verbis ludat, aut planè desipiat, reputare pro eodem possit, in dolore esse, & dolore vacare.

Porrò autem, si necessitas quæpiam aut naturalis constitutionis, qua corpus morbis obnoxium sit; aut factæ exterius violentiæ, quam, ut se res humanæ habent, defugere interdum non liceat (nam Sapientem quoque, ac innocentem virum posse aliquando

&

& in jus vocari, & damnari, & cædi, & variè torqueri, manifestum est) dolorem quempiam fecerit; tunc Sapientis est ipsum ferre æquo, fortique Animo, ac patienter aut solutionem, aut relaxationem ejus præstolari.

Non diu certè perseverat in corpore continens dolor; sed summus quidem, valdè intensus, brevi desinit; aut enim solvitur, succedentemque habet, nisi omnimodam indolentiam, saltem mitigationem magnam; aut solvit, sicque finitur morte, cum quod ab ea doleat, nihil sit. Qui dolor verò moram trahit, diuque in corpore perdurat, is sanè & remissior est, & non multos est dies, imò horas non multas, absque aliqua in ipso corpore voluptate.

Et non-ne observare licet prolixiores morbos plus habere per intervalla jucundi, quàm mali, dolentisve in corpore? quippe ut raceam accensam sitim voluptatem, bibendi augere; & refectio locum dant, & interfandi vires patiuntur, & ludos aliquos admittunt, & longas plærumque habent intercapedines, per quas vacare etiam studiis, negotiisque concedatur. Unde & planum sit dolorem ut in gravitate brevem, sic in longinquitate levem esse solere; ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur.

Quamobrem illud sæpe succurrat, neque perpetuum esse dolorem; quòd omnis videlicet sit, si longus, levis; si magnus, brevis: dummodò finium ipsis rebus præscriptorum memineris, nihilque adjeceris ex tuo opinatu, quo graviorem ducas, ac facias, quàm sit; & te querelis onerans, impatienterque exasperans, eò solùm proficias, ut intolerabiliorem reddas: cum ex opposito nihil sit, quod dolorem allevet magis, quàm ipsa constantia, & quasi patiendi assuetudo, ex qua fit, ut Sapiens, qui sæpiùs laborat, etiam per ipsa mali corpus afficientis vehementiam, lætari interdum, ac ridere possit.

Testari profectò de nostro Metrodoro id possumus, qui semper intrepidè se, ut adversus mortem, ita adversus dolorem gessit. Nam de nobis quidem nihil attinet dicere, quibus familiare propemodùm est, eos adesse morbos vesicæ, ac viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere possit. Et compensatur tamen

cum

cum ipsis omnibus Animi læticia, quam capimus memoriâ rationum, inventorumque nostrorum, eaque constantiâ quâ beatos habere dies illos non desinimus, quibus hujuscemodi morbis, atque doloribus torquemur.

Atque hæc quidem causa est, cur superius dixerimus Sapientem, tametsi torqueatur, posse nihilominus esse beatum; quoniam & quam necessitatem frangere non potest, patientia emollit; & quantum potest Animum suum à dolente corpore abducit, cumque ipso amplius, quàm fragilli, querulâque parte versatur. Cogitat quid honestè, quid fortiter fecerit; & memoriâ in eâ, quæ maximè miratus est, quæq; maximè delectârunt, spargens, recreat se bonis præteritis, adversus quæ longè abest, ut sit insipientium more, ingratus.

Cogitat & se nihil posse facere ea virtute, ac sapientia, quam profitorur, dignius, quàm si dolori, hoc est, rei omnium toleratu difficillimæ non succumbat; si se erectum teneat, si patientiâ hostem tam insensum ejiciat: si victoriâ demùm reportet, cujus deinceps recordatio sit jucundissima futura: at per indolentiam præfertim, quæ successura sit tantò gratior, quantò, ut ex mari procelloso, evaserit in portum tranquillum.

Quod si in gravi etiam dolore allevamenta Sapienti non desunt, quid esse putemus de leviore dicendum, aut de privatione quoque alicujus vel membri, vel sensus? haud abs re sanè dictum est antè, tametsi fuerit oculis captus, fore nihilominus scelicem. Videlicet, si ipsa nox beatam vitam non adimit; cur adimat dies, cum similis est nocti utcumque verò tunc aliquæ corporis voluptates absint: & variæ tamen adhuc supersunt; & quod caput est, ipso Animo multis delectari, variisque modò licet, etiam si non adhibeatur aspectus.

Etenim, cum ipsi Sapienti vivere cogitare sit; ejus cogitatio non formè ad investigandum adhibet oculos advocatos. Illi certè, cujus doctrinæ dedimus aliquando nomen, sine varietate colorum licebat vivere beatè; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri Animi etiam aciem aspectu oculorum arbitrabatur; & cum alij sæpe, quod esset ante pedes, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret.

CAPUT

## CAPUT XXIII.

*De Fortitudine adversus Animi ægritudinem.*

**D**ixi jam ægritudinem, quæ Animo concipitur, concipi solere ob ea, quæ reputantur mala externa, quibûsque opposita bona maximè concupiscimus. Res etiam adversas, & prosperas, seu secundas dicunt; observareque licet eundem esse humilem, abjectumve Animum, qui ut adversis deprimitur, ita prosperis insolefcit. Quò fit, ut quæ forent hoc loco dicenda speciatim de malis ægritudinem inducentibus, & quorum occasione fortitudine opus est, intelligi debeant ex iis, quæ attigimus circa bona quorum cupiditates sunt, & propter quæ est temperantia opus.

Id heic generatim sufficiat, quod obiter quoque insinuavimus, esse ægritudinem non natura, sed opinione mali, qua necesse est omnis esse in ægritudine, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisâ, & expectata sint, sive intervenerint. Nam quî fit, ut non minus lætetur, cujus filius sit interfectus, sed id tamen nesciat, quàm si reverà viveret; ac pari ratione, si famæ detractum, si peculium furto ablatum, atque ita de cæteris? An non id facit opinio sola? nam si natura faceret, quo momento filius abesset à vivis, exprimeretur jacturæ sensus in paterno Animo; neque se-cus jactura famæ, peculii que sentiretur.

Quare, ut ægritudinis sensus exprimatur in Animo, necesse est opinio, non natura interveniat. Quòque minùs dubites, si ille filium supposititium esse germanum existimet, si & germanum pro filio non habeat; renuntiata germani morte nullatenus movebitur; renuntiata suppositioni, vehementissimè angetur: idque proinde non natura, sed opinio sola præstabit.

Exinde verò hoc saltem constat, ista, quæ nos angunt, non esse nobis reipsa mala; quia extra nos sunt, neque nos per seipsa attingunt, sed opinione solùm nostra in nobis mala fieri; & ex hoc esse, cur jam ante Rationem esse dixerimus, quæ vitam jucundam,

O o o

seu

seu beatam faciat dum opiniones abigit, ob quas Animos occupat perturbatio. Scilicet ægritudo est, qua & Animus conturbatur, & illius tranquillitas, iucunditasque evertitur.

At quomodo tandem potest ipsa ratio hæc opiniones expellere? nempe quatenus, ut est ante dictum, comparat se Sapiens adversus fortunam. Hæc quippe externa, quæ opinamur bona, quorumque jactura ægritudinem in Animis parit, fortunæ quoque bona dicuntur, quod nostra reverâ non sint, sed pro ipso fortunæ arbitrio adesse, & abesse possint.

Unde & Sapiens ista habet non magis sua, quàm aliena; neque ipsa sic possidet, quin sit ad eorundem amissionem comparatus. Quippe opinionem illam exuit, qua bona hujuscemodi reputantur falsò, ut propria, ita inamissibilia, illam verò induit, qua esse ambigua, & fluxa, uti & sunt, persuasum habet, sicque providet, quid acturus sit, si facere se contingat illorum jacturam, providet, inquam, ne tunc se inani mœrore conficiat, sed æquo ferat Animo id à fortuna repeti, quod non dederit, nisi composito.

His sanè, qui hujusmodi bonis privati opinantur malum, id gravissimum accidit, ut quæ possent saltè leviora præmeditando fieri, & quasi vetustate minui, præmeditatio malum adaugeat, sicque stulta fiat cogitatio mali, quod futurum sit, aut fortasse ne futurum quidem. Scilicet eo casu odiosum est satis malum omnè cum venerit; & si forte non venerit, frustra omnino suscipitur miseria voluntaria, ac efficitur, ut quis nunquam non aut excipiendo, aut cogitando malo angatur. Nam & qui semper cogitet posse sibi aliquid mali, adversive accidere, evadet hoc illi sempiternum malum.

Quod si Sipienti quoque contingat, ut propter factam aliquam in usu bonorum fortunæ assuetudinem, illam opinionem non prorsus expungat, sicque saltè exigua ipsi fortuna interveniat, ob quam in ægritudinem saltè mediocrem incidat, unde & fieri possit, ut mœreat: tunc ægritudinis levatio in iisdem duabus rebus ponitur, quæ paulò ante sunt circa dolorem insinuata: videlicet avocatione à cogitanda molestia, causave, quæ  
illam

illam induxit; & revocatione ad ea, quæ agnovit esse Animo grata, & jucunda.

Potest siquidem Animus Sapientis parere rationi, & quo duxerit, illam sequi. Vetat autem ratio intueri ea, ex quibus creetur, foveaturque molestia; sicque abstrahit ab acerbis cogitationibus Animum, ut illum convertat ad cogitandum bona, futura, aut præterita, eaque præsertim, ex quibus noverit illum delectari.

Ac facile quidem molestæ, importunæque cogitationes recurunt; sed isti tamen avocationi, revocationique insistendum est; quoniam Animus jugi deflexione assuescit paulatim molestiam quasi eluere; neque alia ratione tempus ægritudinem sensim minuit, quàm quia exhibet occasiones varias, quibus distractus Animus assuescit sensim non cogitare & quasi oblivisci ea, quæ ægritudinem induxerunt.

## C A P U T XXIV.

### *De Iustitia universè.*

**I**ustitia restat, quam totam esse ad alterum prædiximus, quàmque idcirco Homini, ut in societate degenti convenire constat. Et certè ipsa est quasi communis nexus, sine quo constare nulla potest societas; cum Virtus sit, qua unicuique id, quod est ipsius, tribuitur, & ne ulli fiat injuria cavetur.

Atque ut exordiar ab eo, unde dicere de cæteris Virtutibus cœpi, haud ab similia profectò sunt, quæ dici quoque de ipsa possunt. Ut enim Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem copulatas esse docui cum Voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possint; sic de Justitia judicandum est; quæ non modò nunquam nocet cuiquam, sed contrà, semper alit aliquid, tum vi sua, atque natura, quod tranquillet Animos; tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret.



Et quemadmodum Temeritas & Libido, & Ignavia semper Animum excruciant, & semper sollicitant, turbulentæque sunt; sic cujus in Mente injustitia consedit, hoc ipso, quod adest, non potest turbulenta non fieri: etsi verò molita quidpiam est, quamvis occultè fecerit, nunquam tamen confidet id fore semper occultum. Quod si qui satis opibus Hominum sibi contra conscientiam sæpti esse, & muniti videantur, Deorum tamen numen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum Animi nocteis, atque dies exeduntur, à Diis immortalibus supplicij causâ importari putant.

Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ molestias accessio fieri potest; quanta ad augendas tum ex conscientia factorum, tum pœna legum, odióque civium? & tamen in quibusdam neque pecuniæ modus est, neque honoris, neque imperij, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla præda unquam improbè parta minuit, sed auget potiùs, atque inflammat; ut coercendi magis, quàm dedocendi esse videantur.

Invitat igitur vera ratio bene sanos ad Justitiam, æquitatem, fidem; neque homini infanti, atque impotenti injustè facta conducunt; qui nec facile efficere possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit: & opes, vel fortunæ, vel ingenij liberalitati magis conveniunt; qua qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, & quod aptissimum est ad quietè vivendum, caritatem; præsertim, cum omninò nulla sit causa peccandi.

Quæ enim cupiditates à natura proficiuntur, facile explentur, sine ulla injuria; quæ autem inanes sunt, his parendum non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt, plùsque in ipsa injuria detrimenti est, quàm in aliis rebus emolumenti, quæ injurià parantur.

Itaque ne Justitiam quidem rectè quis dixerit per seipsam optabilem: sed quia jucunditatis vel plurimam afferat. Nam diligere, & carum esse jucundum est; propterea, quia tutiorem vitam, & voluptatem efficit plenior. Itaque non ob ea solùm incommoda, quæ eveniunt improbis, fugiendum improbitatem putamus; sed

sed multò etiam magis, quòd cùm in Animo versatur, nunquam finit eum respirare, nunquam acquiescere.

Ac possent hæc quidem pene esse satis; sed subjiendum tamen est quidpiam, partim de jure, sive justo, à quo Justitia denominatur, ut intelligi plenius possit, quæ illius origo sit, quos inter versetur, quo fructu colatur; partim de quibusdam Justitiæ affinitibus Virtutibus, cujusmodi sunt Beneficentia, Gratitude, Pietas, Observantia, & Amicitia.

## C A P U T XXV.

### *De jure, seu justo, à quo justitia dicta.*

Imprimis ergo, cùm Justitiam esse ex eo dictam constet, quòd jus alij debitum tueatur, seu id, quod justum est, exsequatur; nosse operæpretium est, quid sit id, quod Jus, Justumve censere oporteat.

Itaque, cùm Justitia ad commune bonum sit excogitata, necesse est, Jus, seu Justum, quod spectat, tale quidpiam sit, quod sit omnibus singulisque, qui sunt societatis participes, bonum. Et quia unusquisque id, quod sibi est bonum, naturâ duce expetit; necesse est id, quod est jus, seu justum quidpiam secundum naturam sit, ac naturale idèd dicatur.

Nequicquam verò hoc non attingo; quoniam contingit aliquando, ut id quasi jus, sive justum in societate præscribatur, quod societatis bonum non sit; ac idèd, quia non naturale, sive contra naturam sit; non debeat, nisi ex abusu, ac nomine tenus justum reputari; cùm id, quod veram juris, seu justitiam naturalis rationem habet, ejusmodi sit, ut sicuti præscribitur, ita sit reverà utile, ac bonum.

Quocirca, ut propriè loquamur, Jus, sive Justum naturale nihil aliud est, quàm tessera utilitatis; seu ea, conspirantibus votis, proposita utilitas, ut Homines adinvicem, neque lædant, neque

lædantur; atque aded securè degant, quod, ut bonum est, sic naturâ duce quisque expetit.

Utile proinde, ac bonum pro eodem heic habeo, censeoque, ut quidpiam sit justum, seu jure serveretur, duo quædam exigere, unum, ut utile sit, seu ad communem utilitatem, hoc est, securitatem, spectet; alterum, ut sit ex communi societatis consensu præscriptum. Neque enim quidpiam est completè justum, nisi quod societas communi consensu, communive pacto inito censuerit servandum.

Heinc fit, ut utrique istorum Juris, sive Justi nomen tribui so-  
leat: siquidem tam utile ipsum dicitur jus esse, quod cui competit, seu quod illi tribui, servarive est justum: quàm ipsa communis societatis pactio præscriptiove, quæ & dicitur Lex; ut putà, quasi id, quod est cuique utile, seu justum, præscribens.

Ac sunt quidem, qui existiment ea, quæ justa sunt, esse secundum propriam, invariataque naturam justa; & Leges non ipsa justa facere, sed dumtaxat præscribere juxta eam, quam habent naturam: verùm res non ita se habet, sed eo potiùs modo, quo se habere observatur cæteris in rebus, quæ sunt utiles, ut quæ ad sanitatem spectant, sexcentæque similes, quæ utiles istis, noxiæ illis sunt, sicque à scopo sæpenumerò tam communiter, quàm privatim aberrant.

Et certè cùm res unaquæque qualis est secundum naturam, talis esse deprehendatur ubique, semper, & omnibus; quippe quòd invariata sit: quæso ea, quæ justa hi dicunt, ubivis-ne, ac semper, atque omnibus justa sunt? an-non pervidere deberent ea, quæ sunt Legibus constituta, ac idcirco legitima, justave habentur, non esse perinde apud omnes Nationes constituta, atque recepta; sed partim quidem ut indifferentia à plerisque negligi, partim ut noxia à cæteris respui, ac injusta censerent? an-non & sunt quidam, qui ea, quæ non sunt universè utilia, talia nihilominus putent; atque idcirco ea complectantur; quæ accommodata universè non sunt, si respectu modò suæ societatis deprehendant esse utilia, & generale aliquod præ se ferre emolumentum?

Qua-

Quamobrem dici ad summum potest, illud univèrsè est justum, haberève justì naturam, quod utile est, sive conforme prænotioni de justo, quæ est mox descripta; nam speciatim quidem, ut utilitas apud varias gentes variatur, ita & justum variùm est, sive uni quidem sic habitum justum, ut alteri injustum sit. Atque ita dum quæritur idemne apud omnes sit Jus, sive justum? respondeo, generatim quidem esse idem; utile nempe aliquid in societate mutua, verùm spectatis singulatim tum regionibus, tum causis apud varias variis, fieri, ut non sit idem apud omnes.

Atque, ut ex istis aliqua deducam, quod experientiâ comprobatur utile esse ad mutuos usus in societate, communive eorum participatione, quæ esse justa reputantur, illud justì naturam habet, si tale quidem sit, ut utilitas ad omnes attineat. Quod si tale quidem quis ponat, & contingat tamen, ut mutuò sociatis utile non sit, id jam veram justì naturam non habes.

Rursus &, tametsi interdum ex eo, quod fuerit justum habitum, utilitas excidat: si nihilominus interdum utilitas aliqua sit, ac idcirco ad prænotationem, quæ habetur de justo, congruat; id pro illo quidem tempore est justum: certè apud illos, qui sese inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generalitèr perspiciunt.

Denique, ubi nulla nova interveniente rerum circumstantia, ea quæ fuerint habita justa circa actiones hominum, deprehenduntur ad prænotationem habitam de justo non congruere, ipsa justa haudquaquam sunt. Ubi verò novatis rebus, ea, quæ fuerant decreta justa, desierunt esse utilia; ea quidem illeic existere justa, quanto tempore ad mutuam concivium societatem permanere utilia; deinceps verò statim atque desierunt esse utilia, desierunt simul esse justa.

CAPVT

## CAPUT XXVI:

*De Origine Juris, ac Iustitiæ.*

**S**ed, ut rem altiùs, & ab ipso, quod ajunt, ovo repetamus; tam videtur esse antiquum, esse quidpiam jus, sive justum, & coli Justitiam apud Homines; quàm sunt ipsæ eorum inter se societates antiquæ.

Nam initio, cùm Homines ferarum ritu vagarentur, & incommoda varia tum à feris, tum ab inclementia Cæli paterentur, (præstitit quidem naturalis quædam eorum inter se conciliatio) quippe ob formæ. Animæque, seu morum convenientiam (ut in variis coetus coirent, ac illis etiam incommodis aliquatenus providerent (extractis videlicet casus, comparatisque tum adversus feras, tum adversus ipsum frigus, munimentis) verùm quod unusquisque bene sibi esse, quàm alteri mallet, ideo frequentes erant rixæ de cibatu, de foeminis, de commodis aliis, quæ sibi invicem præcipiebant; quousque animadverterunt, non posse se tutò, commodèque degere, nisi pacta inirent de non lædendo se invicem, atque ita quidem, ut si quis alterum læderet, cæteri lædentem punirent.

Itaque is fuit primus societatis nexus, qui ut supposuit posse unumquemque habere quidpiam proprium, seu quod posset dicere suum, utpote aut tanquam primo usurpatum, aut tanquam donatum, pretiòve acceptum, aut tanquam propria arte quæsitum, aut aliis modis habitum, ita fecit illud unicuique ratum. Talis autem nexus, sive talis pactio, nihil aliud fuit, quàm communis Lex, ad cujus observationem omnes tenerentur, & quæ attribueret, faceretve certum unicuique jus, sive facultatem utendi re sua, unde & ipsa quoque Lex fuit quasi commune, sicuti jam dixi, societatis jus.

Ac non memoro quidem, ut tota societas suam illam puniendi, sive coercendi facultatem in aliquos paucos Sapientis, ac bonos, aut etiam in unum, qui sapientissimus, optimusque omnium reputa-

reputaretur, transtulerit: adnoto solùm illos fuisse in societate habitos justos, colentesive justitiam, qui juribus suis contenti, aliena non invaderent, sicque nemini facerent injuriam; illos verò injustos, injustitiamve exercentes, qui non contenti juribus suis, in jura aliorum involarent; sicque aut rapiendo, aut cædendo, aut alia ratione nocentes, lædentesive injuriam inferrent.

Et fuit quidem aliquouſque tranquilla, ac scælix vita hominum, & maximè quidem sub illis sive pluribus, sive uno, qui essent Principes, seu Reges sapientissimi, optimique, qui toti in eo, ut salutem, utilitativè publicæ prospicerent, varias conſiderunt, sanxeruntque Leges consentiente Populo, quibus diffidia apud ipsum, aut exortitura anteverterent, aut componerent, si exorirentur. Attamen, ut se res Hominum habent, transiit demùm res in Principes, ac Reges non bonos, unde illis dejectis, aut etiam occisis, rediit summa ad Populum, atque adeò ad turbas, ob factiones varias ambientium imperium; quousque inimicitias, diffidiisque languens Populus, ac defessus vi ævum colere, regi iteratò à Magistratibus, seu Principibus voluit; tamen, cum antea Principum arbitria ut plurimum pro legibus essent, leges, quibus vellet regi, pepigit, sicque iterum recidit sub Leges, hoc est, arcta jura.

Sed ne ad posteriora tempora descendam, ac præcipuum caput dumtaxat attingam, quod spectat ad tutandum vitam, cujus (ut carissimæ omnium rei) cura fuit ab initio, ut securitas pactationibus, seu Legibus communibus stabiliretur: videntur sapientissimi, optimique illi Legum conditores, cum ad vitam societatem, & ad ea, quæ Homines invicem agunt, attenderent, declarasse nefandum esse hominem interficere, & ignominiam non vulgarem (ut pote quæ esset conjuncta cum minutione capitis) interfectori decrevisse; partim quidem permoti illa, de qua jam dixi, hominum conciliatione inter se, quæ attentâ Homines deberent non perinde esse proclives ad consimile sibi Animal, ac dissimile aliquod ex iis, quorum cædes est concessa, perdendum; partim verò & maximè considerantes, averſari id homines debere, quòd nullius foret ad vitam transigendam emolumenti, ac malignitatè solùm verti posset.

Nempe ab initio, illis quidem, qui ad constitutionis utilitatem attenderunt, nullâ aliâ fuit opus causâ, quâ se ab agendo quidpiam

P p p

simile

simile continerent ; qui verò non potuere satis, cujus ea momenti esset, capere, ii magnitudinis pœnæ metu à patrandis temerè mutuis cædibus abliauerunt ; quod utrumque etiam num deprehenditur evenire. Etenim, qui considerant quanta sit hujuscemodi constitutionis utilitas ; ii comparati ad constantem illius observantiam sunt ; qui illius verò intelligendæ capaces non sunt, ii se comparant præ metu pœnarum, quas leges intentant, quasque Prudentiores quidam adversus illos, qui utilitatis rationem non habent, statuerunt ; & majore quidem parte multitudinis illas, ut legitimas, admittente.

Quippe à principio nulla earum Legum, quæ sive scriptæ, sive non scriptæ, ad nos usque pervenerunt, transfendæque porrò in Posteros sunt, violentia quadam constitit ; sed mero, ut jam dixi, utentium consensu. Videlicet Mentis prudentiâ, non robore corporis, aut imperioso obsequio multitudini præcelluere, qui has leges Populum rogârunt ; ac illud quidem, inducendo nonnullos ad considerandum quid utile foret (cùm prius, ut par erat, non assequerentur) aliis verò ipsa pœnarum magnitudine metum incutiendo. Neque enim alio uti medicamine ad curandum imperitiam utilitatis licuit, quàm pœnæ à lege præscriptæ timore. Nam & nunc quoque ipse est solus, qui vulgareis homines in officio continet ; obstatque ne quidpiam seu in publicum, seu in privatum commodum peccent.

Quod si omnes possent per-æquè & nosse, & Mente tenere, quid utile sit, Legibus haud-quaquam egerent, sed suapte sponte ab iis caverent, quæ illæ vetant ; agerent, quæ illæ præscribunt, quando vel agnoscere solum quid utile, quid noxium sit, ad inducendum horum quidem fugam, illorum verò prosecutionem, satis, superque idoneum est. At verò comminatio pœnæ adversus eos, qui, quid expediat, non prospiciunt, est necessaria. Siquidem pœna impendens cogit eos refrænare impetus, qui ad actiones pravas instigant, ac ad agendum, iavirè licet, quod sit consentaneum, compellit.

Exinde sanè Legum latores, ne eædem quidem involuntariam esse omnis mulctæ immunem statuerunt ; non quidem, ne affectantibus voluntariam prætextum ullum facerent imitandi ex proposito, quæ alii facerent inconsultò ; verùm, ne non satis cautionis, atque

di-

diligentiæ hac in parte adhiberent: sicque benè multa, quæ reverà forent involuntaria, contingerent. Neque enim hoc non utile fuit propter easdem causas, ob quas se mutuo conficere voluntaria cæde prohibitum fuit. Adèd proinde, ut cum eorum, quæ involuntariè fiunt, alia quidem ex causa improvisa, inobservabilique naturæ humanæ contingant; alia verò ex nostrâ negligentia, incogitantiaque imminentis discriminis: idcirco volentes avertere scordiam, quæ in proximorum cederet perniciem, ne ipsam quidem involuntariam actionem abire omnino in vitam consuetuerint, sed peccati huius frequentiam pœnarum metu sustulerint.

Quin etiam ego existimo cædis quoque Lege permissis non aliam ob causam esse factas solitis illis per lustrationes expiationibus obnoxias (idque eorum consilio, qui isthæc præclarè invexerunt primi) quàm quòd esset in Animo, Homines à cæde voluntaria nimis quàm frequenti absterere.

Siquidem Homines vulgares aliquo passim indigebant, quo, ne temerè facerent, quod non conduceret, arcerentur. Unde primi illi id intelligentes, non pœnas modo decreverunt, sed aliam insuper timorem, cujus non esset ratio perinde patens, incusserunt; declarando illos, qui quomodocumque interfecissent hominem, nisi lustrationibus uterentur, fore impuros.

Nimirum pars Animæ bruta, seu in qua affectus, passionesve sunt, diversimodè quasi instituta accessit ad eam, quæ passim jam viget, mansuetudinem; adhibitis contra affectus impetus serini iis cicurandi artibus, quibus ab initio usque uti sunt, qui multitudinem rexerunt; ex quibus est illud inter cætera, ne homines se invicem indiscriminatim occidant.

## C A P U T XXVII.

### *Quos inter Jus, ac Justitia versetur.*

**H**Is vero dimissis, cum requiri possit, ob ea, quæ præmissa sunt, Inter quos nam tam ipsum Jus, ejusque violatio, quæ Injuria est,



est, quàm ipsa Justitia, & quæ Injustitia illi opposita, reperiatur; idcirco res intelligenda ex comparatione inter Homines, cæteraque Animalia est.

Quemadmodum igitur, inter, quæcumque Animalia convenire non potuit, ut nec læderent, nec læderentur adinvicem, nulla est Juris, Injurizæve, seu Iusti, & Injusti ratio: pari modo, neque est ulla censenda inter eas nationes, quæcumque non potuere, aut noluerunt, ut adinvicem neque læderent, neque læderentur, pacisci. Etenim Justum, sive Jus, quod servare Iustitia est, nisi in mutua societate non est; Iustitiaque adeò bonum est societatis, quatenus quisque sociatorum securè degere, experisq; ejus anxietatis, quam continens metus nocumenti creat; ex eoque fit, ut quæcumque Animalia, aut quicumque Homines inire non possunt, aut nolunt societatem inter se, neque adeò quicquam pacisci, tali bono careant, sive nullo juris, justitizque vinculo, quo securi degant, inter se teneantur. Unde & fit, ut non alia ipsis securitatis ratio supersit, quàm ne lædantur, sic lædere, ut etiam lædi, cum læserint, non possint.

Quare &, sicut, dam Animalium, quæ nihil inter se pepigerunt, unum lædit aliud; dici quidem potest esse illi noxium inferre ipsi nocumentum, aut noxam; at non tamen esse respectu illius injustum, inferre ipsi injuriam, quia nullo jure, nullave pacto, aut lege de non lædendo ipsum, tenetur: eadem ratione Hominum quoque, inter quos nulla pactio, societasve intervenit, si unus lædat alium, is dici quidem potest nocens, noxamve, aut damnum asserens; verùm non injurius, seu injuriam faciens, quòd nulla pactio, aut lex sit, quæ ad non lædendum teneatur.

De Animalibus autem loquor, non quasi sint aliqua, etiam ex gregalibus, sociatimve viventibus, quæ pacta ineant inter se, ne adinvicem lædant, aut lædantur; sicque possint adinvicem, justa, si non lædant, injusta, si lædant, censeri; sed quasi exinde intelligi possit, inter homines quoque ipsos Iustitiam per se nihil esse, quatenus reperitur solum in mutuis societatibus, pro ea cujusque regionis amplitudine, in qua possunt pacta de non inferendo, accipiendove nocumento iniuriam alioquin & in homine solitarie spectato sit nulla, & quæ in una societate Iustitia est, in alia plerumque, ob pactiones contrarias, Injustitia habeatur.

An

An verò inter Homines , ipsaque Animalia intervenire Iustitia potest ? non sanè : nam si homines quidem possent , ut cum ipsis hominibus ; ita & cum aliis Animalibus stipulatione quadam pacisci , ne nos occiderent , neque ipsa quoque à nobis indiscretè occiderentur ; eatenus præclare liceret ipsa inter , & nos Iusti rationem exigere ; illud videlicet ad mutuam securitatem dirigeretur : at quandoquidem fieri nequit , ut quæ sunt rationis expertia Animalia , communi nobiscum lege contineantur : hanc ipsam ob causam non licet id adipisci utilitatis , ut majorem securitatem ex aliis Animalibus , quàm ex ipsis rebus inanimatis impetremus. Adeò proinde , ut quò reddi securi ab ipsis possimus , supersit utamur ea facultate , quæ in nobis est , eorum necandorum.

Requies fortassis obiter , quí fiat , ut Animalia etiam occidamus , à quibus nihil esse , quod timeamus , videtur ? nempe possumus id prærumque facere præ intemperantia , & feritate aliqua ; uti & præ immanitate , crudelitateque sævimus in eos homines , etiam extra societatem positos , à quibus fieri potest , ut nihil timeamus. Sed videlicet aliud est peccare adversus Temperantiam , illiusve species , cujusmodi est , ut sobrietas , sic lenitas , seu mansuetudo , sive mavis humanitas , naturalisve bonitas ; aliud peccare adversus Iustitiam , quæ inita pacta , legesve supponit.

Nec verò illud dici potest , concessum nobis Lege esse interficere aliqua ex illis Animalibus , quæ naturæ humanæ exitialia non sunt , aliove quopiam modo Hominis vitæ non officiunt. Neque enim , ut fatear , ullum est ex lege concessis , quod permixtum ex crescere in multitudinem ingentem , nobis perniciosum non sit ; reterentur verò eâ copiâ , quâ vulgò habetur , usus aliquos non præbeat ad vitam.

Etenim & ovis , & bos , & quodcumque aliud hujuscemodi , donec mediocri copia habetur , subsidia nobis aliqua vitæ transigendæ necessaria confert : at verò , si in quantamcumque , & superantem longè eum modum , quo jam possidetur , ubertatem abeat , tunc sanè vitæ nostræ officiat , aliud quidem usum suo robore ( quippe ad id pro indole sibi nativa comparatum ) aliud autem , vel ex eo , quòd alimentum nobis ex Terra proveniens , absumat. Quocirca & propter hanc causam vetitum non est hujuscemodi Animalia interficere ;

& eo quidem modo, ut retineatur copia, quanta ad usum vitæ conducit, quantumque regere difficile non sit.

Non enim, ut circa leones, lupos, universæque cætera, quæ vocari solent fera Animantia (sive illa parva, sive magna sint) accipere non possumus quandam ex ipsis multitudinem, quæ reservata, quodpiam subsidium ad vitam necessarium præstet; ita se habet res circa boves, equos, & universæ cætera, quæ appellantur mansueta Animalia. Ex quo fit proinde, ut illa exterminemus penitus; ex his id solum, quod consentaneum modum excedit, rescindamus.

Unde, ut hoc quoque breviter attingam, reputandum est, etiam apud illas nationes, in quibus delectus circa esum Animalium est, fuisse rem appositè ad jam dictas causas præscriptam ab iis legibus, quæ sunt his similia complexæ; & quod ad ea spectat, quæ edendo non sunt, fuisse utilis, ac non utilis habitam rationem, & ob causam quidem cujusque regionis specialem, cujusque constitutionibus adhærere nos, qui illic locorum nusquam degimus, nihil est necesse.

Ex hisce autem intelligimus haud abs re fuisse habitum, etiam ab usque initio, circa occisionem aliorum Animalium, ipsorumque Hominum discrimen. Nam ad alia quidem Animalia quod spectat, consentaneum est primos illos, qui ea, quæ forent nobis agenda, vel non agenda, præscriperunt, occidere nullum vetuisse. Etenim quæ utilitas respectu eorum percipitur, ex ritu agendi contrario (illis scilicet, de quo antè circa homines diximus) est nata. Neque enim poterat fieri, ut Homines mutud cum Animalibus viventes, tuerentur sese incolumis, nisi conarentur illa propulsare.

At verò ad ipsos Homines quod attinet, cum aliqui ex iis, qui erant pro illo tempore venustiores (iique, ut probabile est, suasores fuere primæ illius pactionis, de qua antè dictum) recordarentur, ut illicmet, ubi mixtim vivebatur, à cæde interdum abstinuissent, propter ipsam, quæ ad salutem attingebat, utilitatem; revocârunt quoque in memoriam aliis, dum in unum congregarentur, ecquid rei tum contigisset: quo abstinentes ab Animalis congeneris inter necione, vitæ societatem tuerentur, quæ generatim causa est privato cuique propriæ salutis, utile autem fuerat antè secedere à societate cœquantium aliorum seu Animalium, seu Hominum, aut damno certè

certè afficere nullum, ne non modò Animalia, quæ diversa genere erant, sed ne Homines etiam; qui erant congeneres, & ad noxam inferendam comparati, irritarentur. Quare & ob hanc causam continuere manus ab Animali congeneri, quodcumque se in communionem rerum necessariarum præbuit, quosdamque in ipsam societatem usus contulit.

Procedente autem longiùs tempore, & progenie utrimque longè succrescente, ac depulsis, quæ generis erant alieni, Animalibus, secretionèque ipsorum facta, cœpere quidam ratiocinando (& non sola, ut priùs, sine ratione memoria utendo) consilia de eo, quod foret utile, dum adinvicem convenirent. Nempe conati sunt validiùs inhibere illos, qui se invicem temerè, imprudentèrque conficerent, & mutuam auxilium imbecillius redderent, ob præteriti temporis, quibus res sui similibus malè cessisset, oblivionem. Adnixi ergo hoc facere, eas Legum constitutiones, quæ etiamnum per Civitates, Nationesque perseverant, induxerunt; consentiente ipsis, ut jam inculcatum, multitudine sua sponte, quatenus pensit quam major exinde utilitas degentibus in mutua congregatione proveniret. Pari modo videlicet ad securitatem conducit, illud, quod perniciosum est, citra indulgentiam perdere, & id, quod ipsi exterminando utile est, servare.

Probabile igitur est, factum ob has causas, ut cæterorum Animalium licita cædes fuerit, Hominum verò prohibita: tametsi immorror heic nimiùm.

## C A P U T XXVIII.

### *Quàm merito jure Justitia colatur.*

**S**uperest ergo, ut cum Iustitia communi pactione sit constabilita, unusquisque existimet se sive natum, sive adscitum, ea conditione societati, in qua degit, nomen dedisse, seu in illam admissum esse, ut sive expressè, sive tacitè, in pactionem illam ne lædat, lædatùrque, consenserit. Quare & standum esse pactioni, aut à societate

tate exeundum ; quoniam non alia , quàm qua receptus condicione est , in ea toleratur. Ex quo sequitur , ut cùm naturæ sponte nolit se lædi à cæteris , non lædat ipse cæteros ; sicque non faciat alteri , quod sibi ipse fieri nolit.

Possunt certè exinde Leges positæ cenferi in Sapientum gratiam ; non quidem ne ipsi quid injustè agant , sed ne quid in ipsos injustè agatur : nam ad ipsos quod attinet , sunt sanè ita comparati , ut etiam sine legibus nemini inferant nocumentum. Quippe , quod præscripserint modum suis cupiditatibus , easque ad Naturam composuerint , qui nihil sit necesse re injusta gratificari. Neque enim ulla voluptas , quæ secundum naturam sit , causa est , ut alii patiantur injuriam , sed quæ cupiditas ex vanis opinionibus effrænis creatur.

Cùm enim Natura , ut exemplo dicam , fecerit herbas , fruges , fructus , ac unà ipsam aquam , res paratu facillimas ; non ea voluptas , quæ ex ipsis famem , sitimque exspectando , maxima percipitur , causa est latrociniorum , cæterarumque injuriarum , quæ vulgò patrant homines , sed inanis cupiditas vivendi lautius opulentiùsque , atque idcirco ditescendi , ut sit quod in sumptus sufficiat. Quod idem dicendum de iis , qui simplici veste , simplici domo , simplici conjugio , similibusque , præ ambitione , luxu , libidine , aliis passionibus non contenti , plura appetunt , quàm quibus natura indigeat.

Quin-etiam , cùm Sapiens , ut antè innuebam , sui ipsius causâ omnia faciat , nihil est omninò , quod magis sui causâ facere possit , quàm dum præclare justitiam colit. Quippe dum suum cuique tribuit , ac nemini nocet , servat , tueturque sartam tectam , quantum in se est , societatem , quæ nisi salva sit , salvus esse ipse non possit ; & neque cujusquam in se provocat injuriam ; neque multam , pœnamve ullam , publicè infligendam metuit : sicque nihil sibi malè conscius , omni perturbatione caret , qui fructus est Justitiæ omnium maximus , quemque proinde dum colligit , quid majus sui causâ faciat ?

Neque verò est , cur existimes , posse illum , qui clam , neminèque conscio , violaverit aliquid juris , pactorumve eò sancitorum , nequis faciat patiaturve injuriam , pari esse securitate , vacuitatèque perturbationis ; siquidem , ut antè dicebam , quamvis occultè fecerit , nunquam tamen confidet , id fore semper occultum. Nam scelera qui-

quidem secreta esse possunt, at secreta esse non possunt; neque prodest quicquam peccanti latere; quoniam non ut felicitatem, sic fiduciam latendi habet.

Sanè & quantumvis id millies impræsentiarum lateat, occultumve sit; incertum est tamen, an ad mortem usque sit futurum occultum. Plerumque enim improborum facta primò suspicio insequitur; deinde sermo, atque fama; tum accusator, tum index. Multi etiam sæpè se indicaverunt; alii quidem per somnum, alii per delirium, alii per ebrietatem, alii per quandam incogitantiam. Adèd proinde, ut vir scelestus, etsi *Divum genus, Hominumque*, ut dicitur, fallat, ut id tamen perpetuò clàm futurum sit, diffidere debeat.

Unde & efficitur, ut quamvis Injustitia non sit aliquid secundùm se malum, quatenus quod heic est injustum, idem alibi justum reputatur; at malum tamen sit in eo metu, quo exstimulante conscientia, suspicatur quid, vereturque, ne quæ injustè patrata sunt, animadverfores scelerum non lateant: nihilque adèd est, ut securius, sic ad degendum placidam, pacatamque vitam conducentius, quàm innocenter vivere, & scœdera pacis communia factis nullatenus violare.

Quare & cùm Justus, Injustusque ea sint antithesi, ut sicuti ille est maximè omnium perturbationis immunis, sic iste, ex opposito sit perturbationis plenissimus; ecquid esse illi utilius, quàm justitia: isti nocentius, quàm injustitia potest? quid enim? possuntne esse cuiquam utiles angores, sollicitudines, diurni, & nocturni metus?

Cùm tantum ergo bonum Iustitia, tantum Injustitia sit malum; illam unicè exosculemur, istam impensè abhorreamus. Et, si quando fortè Animus vacillet, dubii que hæreamus, quid agendum sit, quid factò sit opus; aliquis Vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus; ut sic, tanquam illo spectante, vivamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus.

Valebit certè hoc consilium, non modò ne quidpiam agamus, quod injustum sit; sed etiam, ne quidpiam occultè adversus honestatem peccemus. Scilicet ille erit nobis, quasi custos, ac Pædagogus, quem quia Animus verebitur, ejus autoritate etiam secretum suum sanctius faciet. Illo præsentè non facerem: absente cur faciam? ille id carperet, quia malum; cur ipse malum sponte non fugiam?

giam ? Sic itaque fac omnia, tanquam spectet aliquis ; nam si ve-  
rearis sic aliquem, eris ipsis citò verendus.

## C A P U T XXIX.

### *De Beneficiencia, Gratitudine, Pietate, Ob- servantia.*

**S**equuntur jam illæ Virtutes, quas affineis esse Justitiæ idè dixi-  
mus, quòd ipsæ quoque ad alterum sint ; & nisi perinde legibus,  
pactionibusque præscribantur, non desinant tamen quandam ex de-  
coro, ex officio, ex usu, obligationem similem illi, quæ Justitiæ est,  
præ se ferre.

Talis verò imprimis est Beneficiencia, ad quam ii tenentur, qui  
aut operâ, aut pecuniâ adjuvare indigentes possunt ; cùm nisi operam  
quidem præstent, barbari, immites, inhumani audiant ; nisi pecu-  
niam, tum paria audiant, tum præterea sordidi, tenaces, avari, alia-  
que id genus ; sin autem præstent, tum audiant comes, benigni,  
officiosi ; tum liberales, munifici, magnifici, &c. adèd proinde, ut  
vel sui, suæve utilitatis gratia ad Beneficienciam ( sed ita ut fiat citra  
Prodigenciam ) teneantur.

Etenim, qui illâ utuntur, ii sibi, ut jam attingi, benevolentiam  
conciliant ; & quod aptissimum est ad quietè vivendum, caritatem ;  
qui non utuntur, malevolentiam, & quod ad molestè vivendum est  
comparatissimum, contemptum, & odium. Cave autem saltem,  
ne circa res parvas beneficus non sis ; ne id emolumenti perdas, quod  
exinde habendus sis etiam circa magna gratificabundus.

Haud absre verò superius dixi esse non modò præclarior, verùm  
etiam jucundior, beneficium dare, quàm accipere ; quoniam is,  
qui dat, non modò eâ re major, atque superior est, sed & quasi fœ-  
nus, gratiam colligit ; cùm interim res nulla sit, quæ majus pariat  
gaudium, quàm gratia. Similis nempe beneficus fonti, cui si Men-  
tem des, ecquo non sit gaudio perfulus, cùm tot sata læta, ex sui  
diffusione quasi ridere observabit ?

Talis

Talis deinde est Gratitude, ad quam reciprocè tenetur, qui beneficium accipit. Nimirùm, nisi velit odio, probròque quam-maximo esse. Neque enim injuriâ exosa est omnibus Hominibus Ingratitudo; quòd cùm nihil sit magis secundum naturam, quàm propensum esse ad habendum bonum, contra naturam maximè sit, non esse propensum, grâte affectum in authorem boni.

Cùm nemo sit porrò in Benefactorem magis grâte affectus, quàm Sapiens; licet sanè asserere, Sapientem solum referre gratiam scire, quatenus solus debitam gratiam Amicis & præsentibus, & absentibus, & vitâ etiam functis habet.

Cæteri enim ferè dumtaxat gratiam habent præsentibus, (idque aliunde, ut plurimùm, quo possint beneficium aliquod novum provocare) at absentium, quotus est quisque, qui grâte commemorerit? qui, si possit, in liberos, in Amicos, in res ipsius, vices rependat? vitæ autem functorum, quotusquisque est, qui caram habeat memoriam? qui non lætetur quasi solutam agnoscendi obligationem? qui in eos, quos illi habuerint percaros, aut obsequium, aut etiam beneficentiam, si possit, testetur?

Talis rursùs est Pietas, Gratitude sanctissima species. Ea videlicet primariò erga Parentes attenditur, quibus nemo est, qui non ampliùs, quàm cæteris Hominibus debeat, quando potest quidem alia debere cæteris; at Parentibus sese ipsum debet. Unde & fit, ut si ingratitude adversus alios exosa sit, ea, quæ adversus Parentes est, sit maximè horrore, execrationique.

Dico autem primariò, quoniam secundario, & quasi ex confectione extenditur ad Consanguineos, Fratresque cum-primis, quibus Parentum interventu, quasi vinculo sic adstringimur, ut intelligere debeamus non posse nos illos amore magno non prosequi, quin ingrati simus adversus Parentes, Avos, cæterosque nostri Authores; scilicet rem illis ingrati facientes, qui fuere suâ benevolentia omnes à se sive exortos, sive exorturos complexi.

Non est verò Pietas sejuncta à Caritate in Patriam, quæ ipsosmet etiam Parentes, Consanguineosque complectitur; nosque & nascenteis excipit, & natos alit, ac tuetur. Cùmque, ut Parentum interventu tenemur affectu erga Consanguineos, sic generaliùs erga Conciyveis Patriæ interventu teneamur; tum maximè sanè tene-



mur erga Magistratus , atque Principes , qui quâ ipsam patriam , legesque tutantur, id in nos speciatim beneficii conferunt, ut ipsorum freti præsidio degere securè , tranquillèque possimus.

Talis præterea est Observantia, seu venerabunda affectio , quâ erga illos omnes tenemur , qui aliqua re super-eminet. Quare & partim conjuncta est cum Gratitude, & Pietate , quatenus non licet gratum Animum magis apertum facere , quàm debitam venerationem , gratumque cultum exhibendo , Benefactoribus , Parentibus , Principibus , omnibus dignitate præfulgentibus Viris ; partim maximo cum decore iis exhibetur , qui ætate , & sapientiâ , sive virtute , re omnium spectatissima , & merentissima antecellunt.

Speciat porro ad Observantiam , quæ Religio est , Sanctitasque adversus Deos : videlicet, quos colere , non aliter , quàm Parentes teneamur , non sanè ullâ spe , pretiove inducti ; non quasi aliquo accepto ab iis , aut sperato bono : verùm , ut antè diximus , propter illorum majestatem eximiam , supremamque naturam ; utpote , quia venerationem justam habet, quidquid excellit, & nullius naturæ major , quàm Divinæ est excellentia ; quippe cum æterna , & beatissima sit. Ex hoc sanè efficitur , ut ipsi quidem intelligentes Deos , nec sibi fingere ullam molestiam , nec alteri quærere , piè , sanctèque colamus naturam excellentem , atque præstantem.

## C A P U T XXX.

### *De Amicitia.*

**T**alis postremò est Amicitia , ad quam reciprocè tenentur , qui amaantur reciprocè. Meritò verò ipsa nobis erit instar Coronidis ; quoniam omnium rerum , quas ad beatè vivendum Sapia comparaverit , nihil est majus Amicitia , nihil uberius , nihil jucundius. Inter cætera sanè eadem scientia confirmavit Animum , ne quod sempiternum , aut diuturnum timeret malum , quæ perspexit in hoc vitæ spatio Amicitia præsidium esse firmissimum , ac unà cum securitate maximas parere voluptates.

Nimi-

Nimirum, ut odia, invidiæ, despictiones adversantur voluptatibus, sic amicitia non modò faultrices fidelissimæ, sed etiam effeultrices sunt voluptatum tam Amicis, quàm sibi; quibus non solùm præsentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis, ac posterit temporis: efficiturque aded, ut cùm solitudo, & vita sine Amicis, insidiarum, & metus plena sit, ratio ipsa moneat Amicitias comparare, quibus partis confirmatur Animus; & à spe pariendarum voluptatum se jungi non potest.

Cùm Amicitia autem comparentur ob usus, utilitatémve, eo modo, quo serimus terram, ob proventus futuri spem; ipsi quidem primi congressus, copulationesque consuetudinum, instituendarum amicitiarum sunt propter utilitatem, propterque voluptates, quæ exinde sperantur: at vero, cùm usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amor efflorescit tantùm, ut etiamsi nulla sit utilitas ex Amicitia, tamen ipsi Amici propter se ipsos amentur. Etenim, si loca, si sana, si urbeis, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicra, exercendi, aut venandi consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine faciliùs fieri poterit, & justius?

Quærendi vero interim, parandique Amici cum delectu sunt: antè enim circumspectandum est, cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas. Et licet visceratò, cibatiove sine Amico, leonis vita, ac lupi sit; is tamen Amicus deligendus est, cujus consuetudine nullum suavius sit condimentum. Quamobrem quærendus quidem est Amicus, cui nihil candore, simplicitate, bonâ fide antiqius sit; sed & danda opera est, ut is sit non difficilis, querulus, omniaque deplorans, sed qui morum facilitate, alacritate, jucunda spe, suavem reddere vitam possit.

Consistit porro, cohæretve, seu perseverat Amicitia in mutua participatione voluptatum, si ve bonorum, quibus frui, donec vivimus, licet. Non est vero tamen propterea necesse deponi in commune Amicorum opes, utile censet, qui esse *omnia Amicorum communia* dicit; quippe hoc diffidentium est (ne non sint nempe futuræ omnium satis constantes voluntates) qui vero diffidunt, ii non sunt Amici; sed illi dumtaxat, qui possunt plena confidentia capere quicquid opus est ex ipsis Amicorum bonis (tametsi ab illis afferentur, neque in commune congesta sint) haud secùs, quàm ex suis met; re-

putando scilicet illa non esse sua minùs , quàm si ipsimet ea possiderent , atquè asservarent.

Ac stupent quidem Homines vulgares , id dum audiunt ; sed nihil est , quòd ipsos moremur ; neque enim quidquam fidei , aut constantiæ in amicitia , venevolentiaque hominum hujusmodi est , cùm neque harum rerum capaces sint , neque ullius Sapientiæ partis , quæ commendationem aliquam mereatur. Quin etiam , qui è media multitudine est homo , non intelligit quid privatim , publicèque utile sit ; neque constituere inter mores prava , honestòsque discrimen potest.

De Sapienibus ergo loquimur , quorum est quoddam quasi fœdus , ut ne minùs Amicos , quam seiplos diligant ; quod & fieri posse intelligimus , & sæpè usu evenire videmus ; ut proinde perspicuum sit , nihil ad jucundè vivendum reperiri posse , quod conjunctione tali sit aptius ; ac propterea intelligamus , non modò non impedire rationem , si summum bonum in Voluptate ponatur , sed etiam , sine hoc , institutionem amicitia non posse reperiri.

Videlicet , quia nullo modo , sine Amicitia , firmam , & perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus , neque verò ipsam amicitiam tueri , nisi æquè Amicos , & nosmetiplos diligamus ; idcirco hoc ipsum efficitur in amicitia , & amicitia cum voluptate connectitur ; nam & lætamur Amicorum lætitiâ æquè , ac nostrâ , & pariter dolemus angoribus.

Quocirca eodem modo Sapiens erit affectus erga Amicum , quo erga seipsum ; quosque labores propter suam voluptatem susceperit , eosdem suscipiet propter Amici voluptatem ; ac ut habere se lætaretur , qui sibi ægro assideret ; & coniecto in vincula , vel inopi succurreret ; ita lætabitur se habere , cui , si æger fuerit , assideat ; si conjiciatur in vincula , laborève inopiâ , succurrat. Ac neque id modò , verùm etiam erit ita affectus Animo , ut & dolores gravissimos subiturus pro Amico sit ; & si occasio poposcerit , mortem etiam appetiturus.

Novimus certè evenisse ( idque Patrum etiam nostrorum memoriâ ) ut quibuscumque plenam fiduciam , securitatè que parare fas fuit ex societate hominum , pari sententia , affectuque viventium , ii suavissimo freti pignore , quam-suavissimè inter se vixerint , ac ple-

plenissimâ necessitudine juncti præoptarint sine laments, pro illo, qui foret ad mortem destinatus, mortem subire.

Atque hæc sunt quidem, quæ dicenda habui circa Ethicam, eamque, ut ab usque initio contestatus sum, præcipuam Philosophiæ partem. Tu, quisquis es, cui adspiranti ad germanam Sapienciam gratificari in animo fuit, ista age, ac meditare; ratus ipsa esse Elementa honestè, atque adeò bene, beatèque vivendi.

Meditare, inquam, interdium, noctuque; & sive quidem ipse tecum, sive cum fido socio, qui persimilis tui sit, & cui dicere valeas: Soli quidem sumus, sed hoc magis nobis disquirere verum sine invidia licet: Hæc ego non multis, sed tibi, tu quoque non multis, sed mihi, sed nempe alteri satis magnum theatrum sumus.

Et non ne agnoscis posse neminem cum viro illo comparari, qui & de Diis vera sentit; & omninò intrepidè adversus mortem est comparatus; & de ipso Naturæ sine, bonorùmque extremo sic ratiocinatur, ut intelligat ipsum posse facillima facilitate adimpleri, compararique, ac id, quod in malis tolerandum est, aut esse duratione breve, si vehemens sit; aut, si diuturnum, toleratu leve; & sibi metipsi denuntiat nullam erga se fatòrum necessitatem esse, sed vigere in se liberum arbitrium, ac nullam sibi, aut perexiguam intervenire fortunam posse; & quæ cætera inculcata sunt.

Sanè &, cum tu Vir hujusmodi evaseris, evenier, ut nunquam sive vigilans, sive in somnis perturbere (neque enim eris in somnis, ob Mentem bene compositam, alio affectu, quàm per vigiliam) sed ut quispiam Deus inter Homines vivas. Nihil quippe mortali Animali simile habet Homo, qui in immortalium bonorum possessione ævum traducit.

H A C T E N V S E P I C V R V S .







